D 100/48

Digitized by Google

D 100/48

Digitized by Google

Recenſ. noua acta eruditorum Lipſ. ann. 1760. pag. 28. ſqq.

Digitized by Google

TEMPE ANECDOTA SACRA

VARIA
VIRORVM QVONDAM DOCTISSIMORVM
OPVSCVLA INEDITA
AD ANTIQVITATES ECCLESIASTICAS
ET THEOLOGIAM EXEGETICAM PATRISTICAMQVE
SPECTANTIA COMPLEXA.

PVBLICI IVRIS FECIT
ET PRAEFATVS EST

IOAN. DIETERICVS WINCKLERVS
S. THEOL. DOCTOR ET ECCLESIARVM
HILDESIENSIVM SVPERINTENDENS.



QVEDLINBVRGI
APVD VIDVAM SCHWANIANAM
MDCCLIX.

ECOLE SAINTE GENE...
Digitized by Google

DOM. S. ALOYS. JERSEIENS. S.J.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IO. DIETERICVS WINCKLERVS.

Gauiſus toto animo ſum, iuſtis peritisque rerum ad eruditum forum ſpectantium cenſoribus haud diſplicuiſſe conamina mea, luci publicae exponendi monumenta et opuſcula *ανεκδοτα*, quorum vſus maior dicendus, quam vt blattis tineisque concedantur. Quo conſilio cum vtrumque opus publici iuris fecerim, tum *Syllogen anecdotorum*, Lipſiae anno huius ſeculi quinquageſimo in forma quadruplicari ſolita euulgatam, tum *Anecdota hiſtorico-eccleſiaſtica nouantiqua*, per partes inde ab anno MDCCLI. in forma octaui ordinis Chemnitii et Brunſuigae edita: et literis ad me datis humaniſſimis, et in publicis ephemeridibus literariis, albo calculo digna eſſe varii Viri docti iudicarunt ſtudia haec mea de communi bono promerendi, et ad plures virorum eruditorum foetus poſthumos, in ſcriniis meis latentes, in lucem protrahendos amice me-

Digitized by Google

met inuitarunt. Nullus ergo dubitaui luſtrandae ſupellectili meae literariae ανεκδοτω dicare horas ſubſeciuas, optime easdem falli ratus, ſi nec otioſae prorſus ac inutiles hac ratione effluxerint. Spesque me iam laeta alit, fore, vt aequi pariter bonique conſulat parergica haec molimina beneuolus Lector, dum in conſpectum ipſius denuo prodire iubeo opuſcula aliquot virorum olim doctiſſimorum hactenus inedita, ſed luce vtique digna, ad antiquitates ſacras ſiue eccleſiaſticas, nec non theologiam exegeticam biblicam atque patriſticam pertinentia, et ab auctoribus profecta, qui per ſolidiſſima ſcripta nominis celebritatem, dum in viuis erant, conſecuti ſunt.

Primum locum occupant IOANNIS ANDREAE SCHMIDII, S. Theol. quondam Doctoris eiusdemque et Antiquitatum ſacrarum Prof. Publ. Ord. in Academia Helmſtadienſi, Abbatisque Mariaeuallenſis, *Fragmenta Lexici eccleſiaſtici maioris.* Huius viri ſummi quanta fuerint in rempublicam eruditam merita, conſtat inter omnes. Dignus ergo erat, qui poſt fata meritorum ſuorum praeconem nanciſceretur oratorem diſertiſſimum, IOANNEM LAVRENTIVM MOSHEMIVM, Academiae tunc Iuliae, deinde Georgiae Auguſtae inſigne decus, cuius *laudatio* tanti viri *funebris* Helmſtadii anno MDCCXXVI. in forma quadripartita prodiit, recuſa vero fuit in ipſius *Diſſertationibus ad hiſtoriam eccleſiaſticam pertinentibus, volum. I. p. 699. ſeqq.* Exhibetur praeterea memoria huius polyhiſtoris Iulii poſteris ſacra in *Bibliotheca Germanica*, vernaculo Gallis idiomate edita, *Tom. XIV. p. 165. ſeqq.* et in IO. PETRI NICERONI *Memoires pour ſervir à l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la Republique des lettres, Tom. IX. p. 32. ſeqq.* harumque memoriarum verſione Germani-

manica, ſub auſpicio et cum anteloquio venerandi SIGISMVNDI IACOBI BAVMGARTENII Halae Saxonum typis exſcripta, *Part. IX. p. 49. ſeqq.* Curatiorem vitae ſcriptorumque beati SCHMIDII enarrationem continet *Programma* an. MDCCXXVI. in ipſius exſequiis publico Academiae Iuliae nomine euulgatum, quinque plagulis in forma quadruplicata conſtans; in quo tamen ſcripta tantum indicantur, poſt annum MDCCXII. a beato viro edita, cum de iis, quae vsque ad citatum hunc annum SCHMIDIVS publica luce donauit, ſingularis *Catalogus* iſto anno MDCCXII. duas plagulas adimplens, in forma octopartita typis exſcriptus eſſet. Neque defuit laudibus viri huius laudatiſſimi pro eo, ac decebat, praedicandis celeberrimus quondam eccleſiarum Annaebergenſium primum, deinde Lubecenſium praeſul GEORG. HENR. GOETZIVS in *Meletematibus Annaebergenſibus*, *p. 261. ſeqq.* orationem quippe *de claris Schmidiis*, quae ibidem *p. 223-280.* legitur recuſa, in ſynodo dioeceſana Annaebergenſi an. MDCXCIX. recitans. Studium inprimis ſacrarum antiquitatum, in quo tunc temporis deſudauerit SCHMIDIVS beatus, GOETZIVS cum laude commemorat, *loc. cit. p. 264.* ſcribens: *Eo celeberrimi Viri labor tendit in praeſens, vt antiquae eccleſiae ritus ac inſtituta deſcribat, et monumenta Graecorum ac Latinorum euoluat, ac, quid in illis contineatur, dilucide exponat.* Teſtes ſane huius ſtudii, in illuſtrandis antiquitatibus eccleſiaſticis feliciſſime occupati, exſtant hodienum ac ſuperſunt variae viri beati Diſſertationes, quarum mentionem GOETZIVS *loc. cit.* in adiecta *nota n)* fecit. Sed et teſtatur idem *Lexicon eccleſiaſticum maius*, cuius *Fragmenta* nunc foras dare in animum induxi. Anno huius ſeculi duodecimo Helmſtadii prodiit in forma octuplicata SCHMIDII

noſtri *Lexicon eccleſiaſticum minus, in quo eccleſiaſticae voces, phraſes, antiquitates, ceremoniae ac ritus liturgici, haereſes, feſta, ordines religioſorum, dignitates et officia, nec non chriſtianorum mores etc. vtriusque eccleſiae, latinae et graecae, ex aetate prima, media et infima exhibentur.* Quem ſibi ſcopum in adornando iſto opere Auctor praefixerit, ipſe titulus abunde docet. Nec potuit non eruditae reipublicae pergratum eſſe tale opus, prouti ex *Actis eruditorum latinis, anni MDCCXII. p. 334.* et *den unſchuldigen Nachrichten von alten und neuen theologiſchen Sachen*, eiusdem anni, *p. 1023. ſequ.* patet. Veritati ſane ex aſſe reſpondet iudicium beati IAC. FRID. REIMMANNI in *Catalogo bibliothecae* ipſius *ſyſtematico-critico, Tom. I. p. 856.* obuium, vbi de hoc opere ſequentem in modum commentatur: *In quo multiiuga lectio, magna in colligendo induſtria, in iudicando acrimonia, nec minor eruditionis ſoliditas et ſanitas.* Sed vero maioris operis praecurſor tantum fuit *Lexicon* hoc *eccleſiaſticum minus*, quod ipſe Auctor ſub finem *praefationis* promiſit proxime edendum. *Plura*, ibi ſcribit, *prolixioraque Deo volente dabit* LEXICON ECCLESIASTICON MAIVS, *excerptis ipſis auctorum locis, et potioribus ſcriptoribus indicatis, qui de quavis materia ſcripſerunt ex profeſſo, plenius inſtructum, primo cuique bibliopolae, illud a me poſtulanti, ſtatuto tempore certisque conditionibus concedendum.* Haud ſane mirum, *maioris* huius *Lexici eccleſiaſtici* deſiderio flagraſſe viros harum cupediarum doctarum amantes. Quid enim, niſi perfectum, exſpectari in hoc ſcientiarum genere poterat a SCHMIDIO beato? Ex vero certe de illo, occaſione cuiusdam ad hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantis commentationis, ſupra laudatus IAC. FRID. REIMMANNVS in citato *Catalogo bibliothecae* ſuae *ſyſtematico-critico*, *Tom.*

Digitized by Google

Tom. II. p. 319. iudicauit: *Libris rarioribus editis ineditisque adiutus, et ingenio perſpicaci iudicioque ſuffultus, ſedulitate etiam et vigiliis ſubleuatus, multa in hiſtoria eccleſiaſtica obscura illuſtrat, ignota aperit, complicata euoluit.* Quare nihil adulationi dediſſe iudicandus eſt REIMMANNVS, quando *Tom. I.* huius *Catalogi, p.* cit. *856.* de iſto beati SCHMIDII noſtri *Lexico eccleſiaſtico maiori* ab ipſo promiſſo ſimilem in modum disſerit: *Hoc ſi eidem licuiſſet,* (ſcilicet vt in lucem opus illud maius emiſiſſet,) *ſuperaſſet ſemetipſum procul dubio, et nos haberemus omiſſa quam plurima ſuppleta, obscuriora illuſtrata, errata emendata, inſtituta perpolita, et omnia ad perpendiculum magis exacta. Siquidem cognitiones poſteriores prioribus vtplurimum ſunt excellentiores. Sed hoc,* addit, *vsque ad vocabulum* BAPTISMVS *tantum eſt perductum,* ανεκδοτον *etiam, et cum bibliotheca* POLYCARPI LYSERI, *Hiſt. et Poëſeos P. P. qui auctoris gener erat, A. C. 1729. Helmſtadii ſub haſta venundatum.* Dolendum vtique, opus tam amplum tantaeque vtilitatis non ab ipſo SCHMIDIO ad vmbilicum perductum et cum orbe docto communicatum eſſe. Errauit autem REIMMANNVS, opus hoc ανεκδοτον *Schmidianum* anno praeſentis ſeculi vigeſimo nono vna cum reliqua bibliotheca *Lyſeriana* ſub haſta venundatum eſſe narrans. Quamuis enim in *Catalogo bibliothecae Lyſerianae,* Helmſtadii anno MDCCXXVIII. euulgato, *Sect. IV.* libros ad Hiſtoriam eccleſiaſticam pertinentes complexa, *num. 30. p. 88.* commemoretur IO. ANDR. SCHMIDII *Lexicon eccleſiaſticum maius, MS. autogr. quod tamen non niſi vsque ad vocabulum* Baptiſmus *perductum;* ipſe tamen REIMMANNVS *Tom. II. Catalogi bibliothecae* ſuae, *p.* 680. omnia IO. ANDR. SCHMIDII manuſcripta venditioni publicae certas ob cauſas ſubducta

Digitized by Google

tunc eſſe teſtatur. Latuit autem ſine dubio hoc manuſcriptum opus, vna cum aliis *ἀνεκδότοις Schmidianis*, in beati POLYCARPI LEYSERI ſupellectile libraria, quae reſidua manſit et apud huius haeredes asſeruata fuit. Nec, cum pars illius anno MDCCXL. Helmſtadii publica auctionis lege distraheretur, in Catalogo harum reliquiarum *Leyſerianarum*, typis tunc exſcripto, apparuit illud indicatum. Ceſſit autem, neſcio quo caſu, posſeſſori beato CHRISTIANO MVENDENIO, Academiae Helmſtadienſis per aliquot annos theologo, tandemque ſacrorum in vrbe Francofurtana ad Moenum praeſuli meritiſſimo, cuius cum bibliotheca inſtructiſſima poſt ipſius fata ibidem publicae auctionis ritu venundaretur, in *Catalogo* eiusdem inter libros manuſcriptos quarti ordinis *pag. 73. num. 72.* deprehenditur allegatum. Ex hoc inſigni apparatu literario ad me tunc rediit plus licitantem manuſcriptum hocce opus *Schmidianum;* quod quidem inuidendum neutiquam eſſe cenſui orbi erudito, praeprimis cum ipſa beati auctoris manu conſignatum totum ſit, neque nomine ipſius euadat indignum, quamuis poſtremas curas iſti perpoliendo prorſusque perficiendo Auctor haud dicare potuerit. *Fragmenta* vero *Lexici eccleſiaſtici maioris* illud inſcripſi, non ac ſi mancum eſſet opus per ſe; ſed quoniam haud vltra vocabulum *Baptiſmus*, indicante pariter *loco* ſupra *allegato* REIMMANNO laudato, illud procedat ac elaboratum ab Auctore fuerit. Lectori certe quin ſeſe probaturus ſit foetus iſte *Schmidianus* doctus *ἀνέκδοτος*, nullus ego dubito.

Secundum, quod Tempe haec anecdota ſacra exhibent, opuſculum eſt beati GODOFREDI CHRISTIANI BOSII, S. Theol. quondam Doctoris et ad D. Thomae aedem Lipſienſem Archidiaconi meritiſſimi, *de Anathemate Commentatio philologica.* Neque huius viri docti ignotum eſt in republica eruditorum nomen. Praeter concionem quippe funebrem IO. VLRICI MAYERI, Theologi Lipſienſis, in ipſius exſequiis habitam, Lipſiaeque anno MDCLXXI. in forma quadripartita excuſam, exſtat VALENTINI ALBERTI, iſtius Almae profeſſoris bene quondam meriti, *Oratio parentalis* eius *memoriae habita*, quae ibidem ſequenti anno MDCLXXII. in folio edita fuit, recuſa vero deinde in GEORGII HENRICI GOETZII *Elogiis Germanorum quorundam*

rundam

rundam Theologorum, pag. 398. ſeqq. Haec eius *de Anathemate Commentatio* ſumma fuit praelectionum, publice ab ipſo anno MDCLXIII. Lipſiae pro more recepto habitarum, cum licentiam ſummos in theologia honores conſequendi anhelaret a venerando tunc temporis iſtius academiae theologorum ordine. Pauca ex illa excerpta leguntur in *den unſchuldigen Nachrichten von alten und neuen theologiſchen Sachen, anni MDCCVII. pag. 202. ſeqq.* Cum vero thema illud critice ac theologice dederit vir beatus illuſtratum, operae pretium eſſe duxi, ſchediaſma ipſum integrum collectioni praeſenti inſerere. Neque tamen impetrare a me poſſum, vt ſilentio premam, me illud debere beneuolentiae ſumme reuerendi IOANNIS BENEDICTI CARPZOVII, Theologi Helmſtadienſis celeberrimi, amice meis vſibus λειψανον hoc *Boſianum* concedentis, cui proinde publice obſtrictum me profiteor gratiasque decentes ago.

Quae tertio loco comparet, PETRI ZORNII, in Gymnaſio primum Sedinenſi, deinde Thorunienſi Profeſſoris, huiusque Rectoris et Bibliothecarii, *Delineatio Theologiae patriſticae, ſecundum ordinem locorum theologicorum adornata*, digna neque minus mihi viſa eſt publica luce. Inſigne laudis eſt encomium, quo virum huncce, die XXIII. Ianuarii anno MDCCXLVI. mortalium numero ereptum, ornant celeberrimi Auctores *Nouorum Actorum eruditorum* Lipſienſium *anni MDCCXXXVII. pag. 507.* moris ipſi fuiſſe iudicantes, nihil vmquam, quod peruulgatum ac tritum ſit, luci ſiſtere, ſed praeſtantiſſimi argumenti libris famam ſibi conciliare. Et variis, nemine diffitente, huius commatis ſcriptis is inclaruit, quae vna cum vitae eius potioribus momentis recenſuerunt ſumme venerandus GABRIEL GVILIELMVS GOETTEN, aulae regio-electoralis Hannoveranae hodie Theologus celeberrimus, *part. I. des ietztlebenden gelehrten Europa, pag. 254. ſeqq.* et *part. III. pag. 759. ſequ.* beatus IOANNES MOLLERVS in *Cimbria literata, tom. I. pag. 750. ſeqq.* Auctores *der unpartheyiſchen Kirchen-Hiſtorie, tom. III. pag. 1173. ſeqq.* editionis ſupra citatae in forma quadruplicata curatae, cel. GOTTLIEB BIDERMANNVS *part. I. des Alten und Neuen von Schul-Sachen, pag. 327. ſeqq.* beatus IOANNES FABRICIVS *part. VI. Hiſtoriae bibliothecae* ſuae, *pag. 431. ſeqq.* et venerandus CHRI-

Digitized by Google

STIANVS GOTTLIEB IOECHERVS *part. IV. des allgemeinen Gelehrten-Lexici, pag. 2224. ſeqq.* Neque tamen negandum eſt, maiori laude dignum virum hunc doctum fuiſſe, niſi vatiniano in theologos omnes odio, quod ipſi beatus REIMMANNVS *tom. I. Catalogi bibliothecae* ſuae *pag. 633.* exprobrauit, duci abripique ita ſeſe paſſus eſſet, vt felle, non atramento in ſcriptis ſuis conſignandis vteretur, ſummosque, imo de ſe ipſo meritiſſimos, viros inhumane prorſus ac hoſtiliter aggrederetur, quod ſummopere pariter ven. GOETTENIVS *loc. cit. pag. 255. ſeq.* improbat. Summus adeo IOANNES CHRISTOPHORVS WOLFIVS in literis, ad MATVRINVM VEYSSIERE LA CROZE Hamburgi d. III. Nouembris anni MDCCXXIV. datis, et in *Theſauro epiſtolico la Croziano, tom. II. p. 204.* obuiis, de eo haud ſane honorifice ſentit, ſcribens: *Eum noui a primis vnguiculis, cum primum manſuetiores litteras ſalutaret, eo animo ad eas acceſſiſſe, vt, ſi per ipſum ſtaret, efferatae aliquando viderentur.* Interim pertinacem ZORNII induſtriam ſemper ſe admiratum eſſe, idem WOLFIVS pro aequitate ſua *loc. cit. pag. 197.* teſtatur libereque profitetur. Diligentiae huius teſtes ſunt non ſolum in lucem ab ipſo emiſſi libri bene multi, ſed et manuſcripta varia relicta opuſcula, recenſita a beato IOANNE MOLLERO *loc. cit. pag. 752.* in *der Berliniſchen Bibliothec, volum. I. pag. 294. ſeqq. 455.* et *863.* et in *den Hamburgiſchen Berichten von gelehrten Sachen, anni MDCCXLVII. pag. 564. ſeq.* et *592.* inter quae tamen viri beati opera anecdota neque publici nunc a me iuris facta *Delineatio Theologiae Patriſticae*, neque *Hiſtoria religionis motuum*, cuius in *der fortgeſetzten Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen, anni MDCCXXVII. pag. 113.* addito, vt aliquando publicae luci illa exponeretur, voto, mentio fit, cuiusque ego pariter duplex poſſideo exemplum, recenſita fuit. Optaui in *praefatione*, quam *Philologematibus* meis *Lactantianis ſacris* praemiſi, *pag. 32.* vt, quale ex LACTANTIO concinnare reuerendus IO. GEORGIVS GERET coepit, ex ceteris quoque Patribus vir quis doctus aliquando ſusciperet adornandum opus, ſyſtema quaſi theologiae Patrum comprehendens. Certa ratione iſti deſiderio reſpondet *Zorniana* haec *Delineatio Theologiae Patriſticae.* Sed index tantum, vt, quod verum eſt, fatear, hiſtoricus ſalutari debet, nec ipſa Patrum loca exhibens, neque accurate ſatis, argumentum exhau-

Digitized by Google

hauriens. At nec ſpernenda tamen prorſus opera, hic a beato viro praeſtita. Cum in manus meas incideret opuſculum id anecdotum, vix abſuiſſet, quin vnum idemque illud eſſe primo intuitu iudicauerim cum *Vindiciis SS. Patrum per omnes fidei articulos, Ioannis Dallaei libris de vſu et abuſu Patrum oppoſitis*, quas Gieſſae Haſſorum anno MDCCIX. in forma octuplicari ſolita ſub perſonato PEZRONII nomine auctor prima vice edidit, deinde vero *Opuſculis* ſuis *ſacris, tom. I. pag. 659. ſeqq.* inſeruit recuſas. Poſtquam autem ſecum inuicem vtrumque ſchediaſma cum cura contuli, facile, erraſſe memet, deprehendi. In *Vindiciis* namque defenſorem tantum Patrum ille agit, contra DALLAEVM pugnans. In hac vero *Delineatione* hiſtoricum ſe magis praebet theologiae patriſticae interpretem. Animum quidem primis Eccleſiae Chriſtianae doctoribus plus iuſto ſaepius fauentem, quem in reliquis ſuis ſcriptis prodidit, neque in hac *Delineatione* celauit. Quae tamen ipſi a theologis Gieſſenſis Academiae tributa fuit laus viri in omni diſciplinarum genere, praeſertim in lectione Patrum Graecorum verſatiſſimi, quamque ipſi adeo Eccleſiae Romanae membra docta eidem minus denegarunt, de grauioribus momenti rebus, ex Patrum lectione definiendis, illum interdum conſulentia, narrante IOANNE FABRICIO *loco ſupra citato pag. 432. ſeq.* per opuſculum praeſens nanciſcitur nouum quaſi fulcrum atque confirmationem. Duplex eiusdem exemplum dum ſupellex mea literaria manu exarata complectitur, factum hoc ipſo eſt, vt eo accuratius ſiſtere id Lectori beneuolo potuerim typis exſcriptum. Auditoribus, in Academia Kilonienſi dum doctorem priuatum ſiue magiſtrum legentem egit, illud collegii inſtar ſuppeditaſſe auctorem calamis excipiendum, haud vano augurio coniicio non ſolum ex variis operis ipſius locis, ſed et alteri exemplo in fronte additum a iuuene ſtudioſo, qui id calamo excepit, fuit his verbis: *Habitae ſunt hae praelectiones a M.* PETRO ZORNIO, *Hamburgenſi, in Academia Kilonienſi.* Quoad theologiam autem Patrum dogmaticam, in qua enarranda prima maximaque huius *Delineationis* pars occupatur, magis illa Lectori beneuolo ſatisfaciet, quam quoad *ſecundam tertiamque partem,* de Patrum arte homiletica et theologia morali agentem. Macilenta enim haec duplex poſterior pars eſt ac breuis ita, vt ſceleton propemodum dici mereatur.

Ob

Digitized by Google

Ob materiae affinitatem operi ZORNIANO huic quarto loco ſubieci IOANNIS IVSTI LOSII, Philoſophiae quondam Doctoris, et Bibliothecae Wrisbergianae in praedio Wrisbergholtenſi prope Hildeſiam Praefecti, *de defectu iudicii logici in ſcriptoribus eccleſiaſticis et haereticis veteris Eccleſiae Exercitationem.* Docti huius viri, ex ſcriptiunculis haud paucis iisdemque limatiſſimis nominis famam adepti, vitam excluſosque foetus eruditos enarrauit beatus ERNESTVS FRIDERICVS NEVBAVERVS *part. II. der Nachrichten von den ietztlebenden evangeliſch-lutheriſchen und reformirten Theologen in und um Deutſchland, pag. 764. ſeqq.* Poſtquam anno huius ſaeculi quadrageſimo nono die XIII. menſis Septembris ad meliorem vitam ille transiit, ex voluntate relictae eiusdem ſororis, Hildeſiae hic apud nos degentis, ſchedae ipſius manuſcriptae poſſeſſorem nactae ſunt maxime reuerendum IOANNEM CAROLVM KOKEN, ſacri noſtri ordinis decus et collegam meum aeſtumatiſſimum, qui mihi quidem beneuole praeſentem *Exercitationem* conceſſit publicandam. Grato vti non poſſum non agnoſcere animo hanc amiciſſimi collegae beneuolentiam, ita nec Lectori diſplicituram eſſe ſpero opellam iſtam, ZORNIANO operi iunctam. Valde quidem a ſe inuicem differunt in diiudicandis Patribus piae memoriae eorundemque pretio determinando; ZORNIO nimium forte eorum honori nonnumquam tribuente, LOSIO contra meritis ipſorum, quod ad forum philoſophicum, et logicum inprimis, ſpectat, mirum quantum detrahente. At vel ſic, vtriusque viri docti meletemata rimatus, confirmatum memet ſenſi in ſententia, quam nec pro ingenuo meo mentis cogitata exponendi more reticui in *praefatione*, meis *Philologematibus Lactantianis ſacris* praemiſſa, *pag. 18.* Quae de haereticis monuit beatus LOSIVS, noſtra aetate haud raro quotidiana experientia deprehenduntur obuia ſeu probata in hominibus, ſanam religionis ſanctae veritatem ſiue deſerentibus, ſiue riſui pro vano ſuo ſtupore exponere geſtientibus.

Agmen denique claudit beati HERMANNI VON DER HARDT, Linguarum Orientalium in Academia Iulia quondam Prof. Publ. Ord. et Praepoſiti Mariaemontani, *Exegeſis locorum difficiliorum quatuor Euangeliſtarum.* De vita ſcriptisque celeberrimi huius philologi commentatus cum cura eſt maxime reuerendus ERNESTVS LVDOVICVS RATHLEF, dioeceſeos Nienburgenſis in electo-

electoratu Brunsvico-Luneburgenſi Superintendens hodie meritiſſimus, *part. III. des ietztlebenden gelehrten Europa, pag. 484. ſeqq.* et *689. ſeqq.* itemque in *den Geſchichten ietztlebender Gelehrten, part. I. pag. 105. ſeqq. part. IV. pag. 437. ſeqq.* et *part. VIII. pag. 434. ſeqq.* Exſtat etiam ampla vitae ac ſcriptorum eius recenſio in *der unpartheyiſchen Kirchen-Hiſtorie, Tom. III. pag. 1037. ſeqq.* editionis recentiſſimae in forma quadripartita maiori Ienae curatae. *Elogium piis* ipſius, die XXVIII. Februarii menſis anno MDCCXLVI. demortui, *manibus publico Academiae Iuliae Carolinae nomine* a CHRISTIANO BREITHAVPTO *P. P. conſecratum*, Helmſtadii dicto anno, ſex plagulis in forma quarti ordinis conſtans, exſcriptum typis eſt, ex quo vita eiusdem excerpta legitur in *Nouis Actis eruditorum* Lipſienſibus, *anni* citati *MDCCXLVI. pag. 475. ſeqq.* Conferri praeterea meretur celeberrimi CHRISTIANI GOTTLIEB IOECHERI *Allgemeines Gelehrten-Lexicon, part. II. pag. 1361. ſeqq.* Quanta eius fuerit orientalis literaturae peritia, abunde ſat loquuntur magno cumulo ab ipſo publicata ſcripta, in ornando foro hocce ſacro occupata. Dolendum autem, paradoxarum ſententiarum adeo tenacem et patronum eundem extitiſſe, vt veritati prorſus conueniat character eius ſiue icon, a ſupra laudato IACOBO FRIDERICO REIMMANNO *tom. I. Catalogi bibliothecae* ſuae *ſyſtematico-critici, pag. 544. ſequ.* adumbratus. Audit namque ibidem REIMMANNO beato HARDTIVS noſter, *vir portentoſi ingenii, variaeque doctrinae, et indefeſſae prorſus ſedulitatis; ſed rerum nouarum ita cupidus, vt fere nihil ſuperſit in republica literaria, quod non inuerterit.* Idem fuit ſummi quondam IOANNIS LAVRENTII MOSHEMII iudicium in literis, Helmſtadii d. XXIV. Nouembris anni MDCCXXIII. ad ſupra dictum doctiſſimum polyhiſtorem Berolinenſem LA CROZIVM datis, in *Theſauro epiſtolico la Croziano, tom. I. pag. 306.* obuium: *Quantum intelligo, H** vir alioquin eruditiſſimus, verum ingenio nimium tribuens, hanc ſibi perſuaſit opinionem, omnes vetuſtioris orbis incolas per aenigmata et ſymbola loquutos eſſe, et ſub aliarum rerum imaginibus non modo ſapientiam, verum etiam hiſtorias propoſuiſſe. Hinc omnes, quos habemus, auctores aliter, ac ſcribunt, eſſe capiendos defendit, quin vniuerſum ſacrum peruertit codicem, cuius quidem*

hiſto-

hiſtorias aenigmata eſſe putat et adumbrationes aliarum rerum. --- *Praeterea Geographiae veteris omnes prorſus eſſe ignaros opinatur, et ex Graeca lingua, quicquid habemus nominum Geographicorum, eſſe deriuandum ſtatuit. Quam in rem mirabiles prorſus comminiſcitur etymologias, nullis facile ferendas, niſi illis, qui pituita laborant.* Haec MOSHEMIVS. Quae quamuis negare nemo audeat, cui ſcripta *Hardtiana* innotuerunt; abeſt tamen tantum, vt nihil inde lucri exſpectare poſſint ſacrarum literarum ſtudioſi, vt in iisdem potius varia nec rara malis mixta bona ſint. Teſtatur id praeter alia etiam *Exegeſis locorum difficiliorum quatuor Euangeliſtarum*, quam publici nunc ego iuris facio. Tranſiit opus hoc ανεκδοτον *Hardtianum* vna cum ſupra dicto *Schmidiano* ex bibliotheca laudati CHRISTIANI MVENDENII auctionis, quam vocant, iure ſiue beneficio in meam, cum anno MDCCXLII. ſub haſta illa, vt iam monui, venundaretur; prouti et in *Catalogo bibliothecae Muendenianae* inter *libros manuſcriptos* quarti ordinis *pag. 71. num. 7.* occurrit indicatum. Data occaſione varia ex eodem excerpta luci publicae expoſui in ſcriptis meis critico-ſacris, nimirum in *Hypomnematibus philologicis et criticis, pag. 103. 187. ſeqq. 226. ſeqq. 234. ſeqq. 271. ſequ. 291. ſequ. 310. ſequ.* et *323. ſeqq.* nec non in *den bibliſch-exegetiſchen Unterſuchungen, part. II. pag. 70. ſeqq. 87. ſeqq. part. III. pag. 319. ſeqq. 334. ſeqq. 342. ſeqq. 356. ſeqq.* et *363. ſeqq.* et in *Philologematibus Lactantianis ſacris, pag. 260. ſeqq. 275. ſequ.* et *308. ſeqq.* modeſte ſimul ob paradoxa ſua meletemata notato atque refutato auctore alias doctiſſimo. Monuerunt mox me literis ad me datis humaniſſimis Viri quidam eruditi, vt integram cum orbe docto communicarem *Exegeſin* iſtam *Hardtianam*, quae licet varia tradat nequaquam approbanda, multa tamen non poſſit non continere quoque bonae frugis obſeruata. Obtemperaui horum nutui, nec ingratum prorſus fore poſthumum id opus confido philologiae ſeu exegeſeos ſacrae fautoribus. Si enim ab iis recedas, quae ingenium quidem ſapiunt *Hardtianum* nouaturiens ac παραδοξοφιλον, ſaepius arridebunt Lectoribus viri beati exegemata ſacra, explicandis multis quatuor Euangeliſtarum locis vtique inſeruientia. Quemadmodum autem prioris generis meletemata facile ſubodorari valebit Lector prudens: ita poſterioris quae ſunt conditionis, eo magis ipſi ſe probabunt.

Digitized by Google

babunt. Animus mihi erat, adiectis ſub finem paginarum breuioribus animaduerſionibus, indicare ac refutare ſententias beati HARDTII hinc inde obuias ſingulares ſeu obelo notandas. Sed cum intelligerem, iuſto maiorem ſic forte euaſuram fore libri molem, in aliud tempus differre id curarum criticarum genus ſatius putabam. Eadem prolixitatis fuga in cauſa eſt, cur non integrum *Exegeſeos Hardtianae* opus typis exſcriptum hic exhibeatur. Cum enim multa contineret ſatis trita, vel centies ab aliis dicta atque apud quosvis commentatores obuia: vt ſunt doctrinae monitaque mere theologica aut moralia; his praetermiſſis, ea ſaltem cum orbe erudito communicare placuit, quae ad ipſam locorum difficiliorum expoſitionem facere videbantur.

Tria mihi liceat ſub finem huius anteloquii verba adiicere de opere quodam a me ante aliquot annorum ſpatium promiſſo, neque tamen ex promiſſi legibus foras dato, *Spicilegio* nempe *anecdotorum V. C. Abbatis de* LONGVERVE *opuſculorum*, cuius inter alia mentio facta eſt in beati IOANNIS CHRISTOPHORI STRODTMANNI *Neuem gelehrten Europa, part. III. pag. 833.* et allegatis ibidem *not.* *) ephemeridibus literariis. Per literas aliquoties, vt promiſſis ſtarem, amice memet Viri docti hortati ſunt. Neque meis ego partibus defui, ope ſummorum quorundam Virorum, apud exteros quorum haud leuem eſſe noueram auctoritatem atque gratiam, pulſandi eruditorum Gallorum fores, precibusque ab his, vt ſi quid adeſſet ipſis reliquiarum *Longueruea-narum* doctarum rei publicae literatae haud inuiderent, contendendi. Verum ſpes me haec fefellit, nec praeter λείψανα *Longuerueana*, in venerandi FRID. GVIL. KRAFTII *Noua Bibliotheca theologica, tom. V. pag. 915.* indicata, quicquam harum diuitiarum doctarum latentium ad me rediit. Conſilium igitur vt mutem, et, cum ad iuſti voluminis menſuram non exſurgant, quae posſideo, κειμήλια *Longuerueana* anecdota, illa alia ratione in publicum prodire iubeam, coactum memet ferme video; niſi forte vnica, quae ingredienda reſtat, via aditum ad occluſos hosce theſauros literarios paratura mihi foret. Ignorare haec Lectorem nolui, mihi quo non culpam promiſſi nondum perſoluti iſte tribuat. Ego certe latere meis in ſcriniis nullus patiar publicis vſibus inſeruitura docta eiusmodi meletemata. Dabam Hildeſiae, die VII. Septembr. A. C, R. MDCCLVII.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTVS ANECDOTORVM IN HISCE TEMPE SACRIS EXHIBITORVM.

I. IO. ANDREAE SCHMIDII, S. Theol. quondam Doct. et Prof. Publ. Ord. in Academia Iulia, Abbatisque Mariaeuallenſis, *Fragmenta Lexici eccleſiaſtici maioris* - - pag. 1.

II. CHRISTI. GODOFR. BOSII, S. Theol. Doct. et ad D. Thomae olim Archidiaconi Lipſienſis, *de Anathemate Commentatio philologica* p. 229.

III. PETRI ZORNII, in Gymnaſio primum Sedinenſi, deinde Thorunienſi Profeſſoris, huiusque Rectoris et Bibliothecarii, *Delineatio Theologiae Patriſticae, ſecundum ordinem locorum theologicorum adornata* - - p. 263.

IV. IO. IVSTI LOSII, Philoſ. quondam Doctoris, et Bibliothecae Wrisbergianae in praedio Wrisbergholtenſi prope Hildeſiam Praefecti, *de defectu iudicii logici in ſcriptoribus eccleſiaſticis et haereticis veteris eccleſiae Exercitatio* p. 409.

V. HERM. VON DER HARDT, Lingu. Orient. in Academia Iulia olim Prof. Publ. Ord. et Praepoſiti Mariaemontani, *Exegeſis locorum difficiliorum quatuor Euangeliſtarum* p. 443.

I. IO.

Digitized by Google

I.

IO. ANDREAE SCHMIDII,

S. THEOL. QVONDAM DOCTORIS EIVSDEMQVE ET ANTIQVIT. SACR. PROF. PVBL. ORD. IN ACADEMIA IVLIA, ABBATISQVE MARIAEVALLENSIS,

FRAGMENTA LEXICI ECCLESIASTICI MAIORIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

A et Ω eſt ſiglum, ſiue nota, qua indicatur Chriſtus, quater in apocalypſi IOANNIS (a) hoc ſigno expreſſus. Quemadmodum vero hae duae literae aperiunt et claudunt graecum alphabetum, ita ſenſu myſtico initium et finem denotant. Hinc ipſe Chriſtus hoc modo ſe explicat, *primus et nouiſſimus.* Poteſt id intelligi, praeeuntibus quibusdam autoribus, 1) de *aeternitate*, quia caret principio et fine, ſiue, *qui eſt, qui erat, qui venturus eſt.* Eſt ergo α, quia omni principio antiquior, et ω, quia omni fine poſterior. 2) De cauſa *efficiente* et *finali:* dum a Deo omnia ſunt et in eum omnia tendunt. Expreſſit id eleganter TERTVLLIANVS (b): *Duas Graeciae literas, ſummam et vltimam, ſibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in ſe figuras: vti quemadmodum α ad ω usque voluitur, et rurſus ω ad α replicatur, ita oſtenderet, in ſe eſſe et initii decurſum ad finem, et finis recurſum ad initium* (c)*: vt omnis diſpoſitio in eum deſinens, per quem coepta eſt, per ſermonem ſcilicet Dei, qui caro factus eſt, proinde deſinat,*

quem-

a) Apoc. 1, 8. 11. c. 21, 6. c. 22, 13. b) *Libr. de Monogam. c. 5. p. m.* 671. c) Haec verba repetit ISIDORVS *Hiſpalenſis lib. 1. Orig. c. 3. p. m.* 2. tacito Tertulliani nomine.

Digitized by Google

quemadmodum et coepit. Ad idem reſpexit CLEMENS ALEXANDRINVS (d): διὰ τοῦτο Ἄλφα, καὶ Ω ὁ λόγος εἴρηται· οὗ μόνου τὸ τέλος ἀρχὴ γίνεται, καὶ τελευτᾷ πάλιν ἐπὶ τὴν ἄνωθεν ἀρχήν, οὐδαμοῦ διάστασιν λαβών. *Et ideo dictum eſt verbum Alpha et Omega, cuius ſolius finis fit principium, et rurſus deſinit in id, quod eſt deſuper principium, nusquam diſtantiam accipiens et dimenſionem.* Et PRVDENTIVS (e):

Corde natus ex parentis, ante mundi exordium,
Alpha et ω cognominatur, ipſe fons et clauſula
Omnium, quae ſunt, fuerunt, quaeque poſt futura ſunt.

3) Vt indicetur per literam primam et vltimam omnis perfectio: quoniam duobus extremis nominatis, omnia, quae interiacent, intelliguntur. 4) Secundum EPIPHANIVM (f) τὸ ἄλφα, τὸ κάτω βλέπον· καὶ τὸ ω, τὸ ἄνω βλέπον. ἵνα πληρωθῇ τὸ εἰρημένον· ὁ καταβάς, αὐτός ἐστιν ὁ ἀναβὰς &c. *A, quod deorſum reſpicit, et ω, quod ſurſum obuertitur: vt et illud impleatur: Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit.* Plures luſus qui deſiderat, eos ex ſcriptoribus inferiorum temporum dabit F. IO. DE SYLVEIRA in *commentario in apocalypſin S. Ioannis* (g).

Sed nec haeretici defuerunt ſuorum dogmatum myſteria in his literis quaerentes. Marcus ſcilicet et Colarbaſus, (vel minimum ille,) nouam haereſin ex Graecorum alphabeto componentes, totam plenitudinem et perfectionem veritatis in iſtis literis eſſe diſpoſitam ſtatuerunt. Propter hanc enim cauſam Chriſtum dixiſſe: *Ego ſum α et ω*: referente TERTVLLIANO (h). Idem Marco tribuit IRENAEVS (i) καὶ διὰ τοῦ ἄλφα καὶ ω ὀνομάζεσθαι αὐτόν, τὴν ἐκ πάντων γένεσιν σημαίνοντα: *ob idque ſeſe* A *et* Ω *nominaſſe; quo illam ex omnibus ſui productionem exprimeret.* Porro docuit, Chriſtum deſcendiſſe in Ieſum quaſi columbam, quae eſt A et Ω (k). Numerus enim ipſius vocis columbae apud Graecos, nimirum περιστερά, eſt unum et octingenta. Atqui etiam α et ω tantundem conficiunt. Quomodo vero

d) *Stromat. lib.* 4. *p. m.* 537. *C.* e) *Cathemerinon, hymn.* 9. *verſ.* 10. *ſqq.* f) *aduerſ. haer.* 62. *p. m.* 519. *B.* g) *ad Apoc.* 1, 8. *quaeſt.* 30. et praecipue 31. p. 30. *ſq.* h) *praeſcript. adu. haer. c.* 50. *p. m.* 243. i) *adu. haer. l.* 1. *c.* 12. et ex eo EPIPHANIVS *haer.* 34. *p. m.* 243. k) IREN. *ibid.* EPIPH. *l. c. p.* 240. C. TERTVLL. *l. c.*

Digitized by Google

vero περιςερὰ DCCCI. ſignificet, ſic poteſt explicari: π et ε valent 85. ρ et ι 110. σ 200. τ et ε 305. ac ρ et α 101.

Saepe haec nota, monogrammati ☧ hoc modo α ☧ ω iuncta, in variis antiquorum chriſtianorum monumentis deprehenditur. Sic eam obſeruamus 1) in *frontibus templorum.* Vt enim olim templa chriſtianorum vel ſolo ςαυροπηγίῳ dedicabantur, ita facile fieri potuit, vt etiam poſtea fores eorundem hoc ſigno ornauerint. Certe ANT. AVGVSTINVS (l) teſtatur, quam plurimis templorum portis in Hiſpania et alibi eſſe notam illam appictam; et IAC. MASENIVS (m) refert, hodienum hoc ſignum eccleſiae ad S. Paulinum, quae Auguſtae Trevirorum viſitur, pro inſigni eſſe, et in fronte eius delineatum conſpici. 2) in *inſcriptionibus ſepulchralibus et tumulis chriſtianorum*, vt id videre eſt in PAVLI ARINGHI Roma ſubterranea diuerſis in locis (n). Vbicunque hae literae cum XP. in ſepulchris inuentae, indicium erat, defunctos fuiſſe catholicos, vt ſignificarent, Chriſtum eſſe primum et vltimum. Ariani contra XP. quidem habuerunt, ſed A et Ω omiſerunt, obſeruante LAVR. RAMIREZ (o), licet id ANT. AVGVSTINVS (p) in dubium vocare voluerit. Digna tamen putamus RAMIREZII verba, quae huc tranſcribantur: *In ſepulchris antiquitus apponebantur ad denotandum, ea catholicorum, non arianorum eſſe. Fuit namque inſigne labari Conſtantini M. vt paſſim eſt obuium. Chriſtus namque Dominus noſter, qui principium et finis eſt, hisce literis, prima et finali alphabeti graeci, ſuam oſtendit diuinitatem aequalem patris cum diuinitate:* Ego ſum alpha et omega, principium et finis, Apoc. 1. *quam ariani negabant. De hoc interpretandi modo, et hocce Hiſpanorum more vſitatiſſimo tempore Gothorum, teſtatur* AMBROSIVS DE MORALES *lib. II. hiſtor. c. 41. p.* 48. D. FRANC. DE PADILLA *in hiſt. eccleſ. cent.* 4. *c.* 49. *fol.* 249. *b. Nouiſſime late et ad res Hiſpanas bene animaduertit* GVNDISALVVS ARGOTE DE MOLINA *lib.* 1. *cap.* 48. *cui dederunt anſam ad huiusmodi antiquitatem in lucem eruendam celebres verſus, inſcripti ſupra alteram portarum eccleſiae S. Ioannis Madridienſis, quos tranſcribere operae pretium duxi:*

l) in *dial. de re num. p.* 9. m) in *notis ad Brower. T. I. annot.* 1. *p.* 576. n) *lib.* 6. *cap.* 22. *p.* 29. et alibi. o) in *not. ad Luitprandi chronicon, p.* 363. p) *loc. cit.*

Condita mille annis maneo ſacrata trecentis,
In labaro Ariada A negat, Ω que negat.
En graue Quintus onus Paulus tenet vrbis et orbis,
Tertius hic et Iber ſceptra Philippus habet.

3) in *lucernis ſepulchralibus*, vt id videre eſt in FORTVNII LICETI libris de reconditis lucernis veterum (q). 4) in *nummis*. Ante Magnentium quidem et Conſtantium vix in nummis reperitur, maior tamen vſus poſt tempora Conſtantini, quem primum XP cum A et Ω in nummis poſuiſſe conſtat. Conſtantii et Magnentii nummos exhibet IAC. GRETSERVS (r), Conſtantii vero nummum DV FRESNE in familiis Byzantinis. In Conſtantii nummo additur inſcriptio SALVS AVGVST. id eſt, ſignum ſalutiferum, vt etiam obſeruauit ANTONIVS LE POIS (s). 5) in *ſigillis* chriſtianorum, quae ſiſtit ABR. GORLAEVS in dactyliotheca (t). 6) in *epiſtolis eccleſiaſticis*, earumque fronte, vt non dubitat FRANCISC. BERN. FERRARIVS ex ſimilibus obſeruationibus colligere (u). 7) in *diplomatibus* regum, teſte IO. MABILLONIO de re diplomatica (x). 8) in *ſtatuis*, vt hodienum in columnis Conſtantinopoli apparet, in quarum baſi clypeoli cum XP. has literas habent, notante LIPSIO (y). 9) in *inſignibus* equitum labari, quos Conſtantinum inſtituiſſe volunt, obſeruari ſcripſit BERNHARDVS IVSTINIANVS (z). Collegit haec et plura IO. BVRCHARDVS MENKENIVS in diſſertatione de monogrammate ☧ (a).

Euolui praeterea poſſunt de hoc ſiglo, ſiue notabili nota ZEHNERVS in adagiis (b), PIERIVS in hieroglyphicis (c), ERASMVS SCHMIDIVS ad h. l. (d) IO. PHILIPP. PFEIFFER graecae linguae profeſſor in academia Regiomontana in diſſertatione philologica in verba Apocalypſeos: *Ego ſum A et* Ω (e), IO. BALTH. BEYSCHLAG in diſſertatione *de ſigillo nominis Dei hominis* (f), SAMVEL REYHER, ICtus et mathematicus Kilonien-

q) Vtini 1653. fol. r) *de S. cruce Tom.* 3. *l.* 1. *c.* 9. *ſqq.* conf. IO. SMETII *antiquit. p.* 62. *ſq.* s) in *diſcours ſur les medailles p.* 103. *ſq.* t) *Tom. I. n.* 211. u) *de antiq. eccl. epiſt. gen. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 173. x) *l.* 2. *c.* 2. *p.* 67. *c.* 10. *p.* 110. *c.* 21. *p.* 161. y) *lib.* 3. *c.* 16. z) *annal. eccl. Tom.* 3. *p.* 653. a) Lipſ. 1696. 4. b) *Cent.* 4. *adag.* C. *p.* 70. *ſqq.* c) *lib.* 47. *c.* d) *pag.* 1418. *ſq.* e) Regiomont. 1677. 4. f) Witteb. 1692. 4.

Digitized by Google

nienſis in *matheſi moſaica*, vbi etiam huius ſigilli elegantes delineationes exhibentur (g), MELCHIOR LEYDEKER in *hiſtoria eccleſiae Africanae* (h), MATTH. ZIMMERMANN in *florilegio philologico hiſtorico* (i).

A eſt muſica nota, et in ſuperſcriptione cantilenae, vt altius eleuetur, admonet, vt id indicat NOTKERVS in opuſculo, *quid ſingulae literae in ſuperſcriptione ſignificent cantilenae* (k). Scilicet olim muſica non habebat lineas, claues et alia ſigna, ſed tantum literas alphabeti, quae indicabant diuerſitatem tonorum ac varietatem modulationis, vt id videre eſt apud SEVERINVM BOETHIVM, qui ſcripſit libros quinque de muſica. Ad cantum vero eccleſiaſticum literas illas transtuliſſe dicitur *Petrus* Romanus, quem Adrianus PP. ad Carolum M. miſit, vt ibi cantum romanum eccleſias doceret (l). Has notas poſtea cuidam amico quaerenti explicauit laudatus NOTKERVS Balbulus monachus S. Galli, qui anno MDCCCCXII. obiit.

ABASCANTVS, Ἀβάσκαντος, του, qui tutus eſt ab inuidia. *Abaſcanton* dicitur etiam pharmacum, amuletum, quod faſcinationes, ab inuidia profectas, auertit. Vſus eſt hac voce TERTVLLIANVS in ſcorpiaco aduerſus gnoſticos (m): *Nimirum cum animae de corporibus exceſſerint et per ſingula tabulata coelorum de recepto diſpici coeperint et interrogari arcana illa haereticorum ſacramenta, tunc confitendum apud veras poteſtates et veros homines, Teletos ſcilicet et* Abaſcantos *et Acinetos Valentini.* Sed vti *Teleti* et *Acineti* inter aeonas Valentinianorum noti ſunt, ita recte monuit PAMELIVS (n), quod TERTVLLIANVS addiderit nomen aliud Valentinianis incognitum *Abaſcantos*, tanquam poteſtatem talem, quae faſcini amuletum ſit.

ABBA, quod absque *S* paſſim ſcriptum reperitur, et ABBAS, orienti originem debet: אבא enim chaldaice et ſyriace ab Hebraeorum אב *pater* dicitur, et ea voce vſus eſt Chriſtus (o) et Paulus (p). Vt vero *pater* multis modis nominatur, doctrina, ſenectute, ſanctitate etc. ita mirum non eſt, *Abbatis* nomen pluribus

g) *p. m.* 795. *ſqq.* h) *Tom.* 2. *p.* 122. *ſq.* i) *part.* 1. *p.* 61. *ſq.* k) habetur ap. CANISIVM *antiq. lect. part.* 2. *p.* 739. l) ECKEHARD. Iunior *de Caſ. S. Galli c.* 4. m) *cap.* 10. n) *ad illum locum p.* 603. o) Marc. 14, 36. p) Rom. 8, 15.

Digitized by Google

bus olim fuiſſe commune. Hinc *abbates* dicti latinis et graecis ſcriptoribus vniuerſim *monachi omnes*, praeſertim ſenio ac vitae ſanctitate venerandi, qua notione nos *patres* eosdem vulgo appellamus. Ita CASSIANVS (q) Moſen et Germanum commonachos *abbates* vocat. Regula S. Columbani haec habet (r): *cum tanta pluralitas eorum ſit, ita vt mille abbates ſub uno archimandrita eſſe referantur.* EPIPHANIVS de locis SS. *monaſterium* ἀββάδες (monachos) *mille continet et cellulas mille.* Apparet haec ſignificatio ex illis etiam locis, vbi vox illa per contumeliam, ad monachum indicandum, fuit adhibita. ANNA COMNENA (s) Ioannem Ducam caeſarem ſcribit a Byzantiis, quos ille cum Alexio Comneno obſidebat, per contumeliam τὸν Ἀββᾶν vocitatum, quia propter affectatam tyrannidem in monaſterium truſus fuerat a Michaele nepote, et monachum egerat. Sic eadem (t) BASILIVM monachum, Bogomilicae haereſeos auctorem, τὸν δαιμονιώδη Ἀββᾶν, et CEDRENVS monachum, qui Philippicum imperaturum vaticinatus fuerat, ψευδάββαν vocat (u). Interea diffitendum non eſt: plures viri ſanctitate et vitae integritate illuſtres abbatis ſeu patris nomen, tanquam nimis ambitioſum a ſe amoliti ſunt et ſequentibus temporibus fratris nomine contenti eſſe maluerunt. Iam olim HIERONYMVS ſcripſit (x): *Cum autem Abba pater hebraeo ſyroque ſermone dicatur, et Dominus noſter in euangelio praecipiat, nullum patrem vocandum niſi Deum: neſcio, qua licentia in monaſteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquieſcamus.* Ipſe etiam BERNARDVS maluit fratris quam abbatis audire titulum: hinc non duntaxat in epiſtolarum initiis ſaepe legitur: *frater Bernardus dictus abbas de Claraualle* (y), vel *non pater aut dominus, ſed frater et conſeruus* (z); ſed et in ipſis literis tanto honore indignum ſe iudicat. Speciatim vero abbatis nomine praepoſitus monaſterii inſignitur; et quamuis illud etiam regularium canonicorum praefectis commune fuerit,

q) *collat. lib.* 1. *c.* 1. r) *cap.* 7. *p. m.* 159. s) *lib.* 2. *Alex.* t) *lib.* 13. u) Ita paſſim PALLADIVS in *Lauſiacis*, *Vita S. Ioannis Eleemoſynarii cap.* 11. *n.* 65. *c.* 13. *n.* 85. S. EPHREM. *de compunct. c.* 71. x) in *epiſt. ad Galat. cap.* 4. y) *epiſt.* 61. *ſq.* et alibi *p. m.* 1443. *ſq.* z) *epiſt.* 72. *p.* 1451. vbi hos titulos deprecatur. Add. GVIGO, Prior maioris Carthuſiae, ap. PETRVM *Venerabilem, lib.* 1. *ep.* 25.

Digitized by Google

ſuerit, poſtea tamen monachorum praepoſitis proprium factum, vt hodie non alius hoc nomine intelligatur.

Ab initio cum monachi eſſent extra clerum, abbates ipſi erant laici: vnde abbas ponitur poſt oſtiarium, qui eſt infimus ordo clericorum (a). Sed rebus in melius compoſitis, ne deeſſet in monaſterio, qui miſſam celebraret et ſacramenta fratribus miniſtraret, vſu inoleuit, vt abbas cuiusque monaſterii eſſet presbyter. Obſeruauit hunc morem AVGVSTINVS diuerſis in locis, ita ſcribens (b): *Vidi ego diuerſoria ſanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus presbyter praeerat, vir optimus et doctiſſimus. Romae etiam plura cognoui, in quibus ſinguli grauitate atque prudentia et diuina ſcientia praepollentes ceteris ſecum habitantibus praeſunt, chriſtiana caritate, ſanctitate et libertate viventibus.* Ita EVDOXIO, abbati et presbytero inſulae Caprariae, ſcripta eſt AVGVSTINI *epiſtola LXXXI.* PAPHNVTIVM et ISIDORVM, abbates et presbyteros Scythiae vel Scythicae eremi, quae eſt in Aegypto, memorat CASSIANVS (c). Hodie in eccleſia romana abbas intra annum ad ſacerdotium promouendus eſt, alioquin dignitate priuatur. Ita conſtitutum fuit in ſynodo Viennenſi (d): *Quod ſi (ceſſante rationabili cauſa) non fecerint, eo ipſo nulla etiam monitione praemiſſa, praedictis prioratibus ſint priuati. Imo ſi huic legi non paruerit, omnes ex eo perceptos fructus reſtituere tenebitur* (e). Hinc ſe diaconum lectum in abbatem, et paulo poſt presbyterum ordinatum teſtatur GOFFRIDVS abbas Vindocinenſis (f): *Nam contra vitae merita ordinatus leuita; deinceps vero non quidem ſapientiae doctrina abbas factus, et Romae presbyter conſecratus.* In minoribus ordinibus conſtitutus non poterat ordinarie aſcendere ad abbatis dignitatem: quapropter etiam RAINALDVS abbas Caſſinenſis depoſitus fuit, quod ſubdiaconus electus eſſet contra canones (g); licet per diſpenſationem id fieri potuiſſe legamus (h).

a) Can. *A ſubdiacono, diſt.* 93. quocunque autem modo legatur ille canon, abbas ſemper poſtponitur; licet nota textus ſubiecta moneat, quod de abbate et monachis in ſynodi editionibus nulla ſit mentio. b) de morib. eccleſ. cathol. c. 33. c) *collat.* 18. *c.* 15. d) CLEMENT. *Ne in agro* §. *Caeterum, de ſtatu monachorum.* e) CHOPPIN. *Monaſtic. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 10. *p. m.* 62. f) *lib.* 2. *epiſt.* 30. g) LEO *Oſtienſ. chron. Caſſin. l.* 4. *c.* 123. h) Cap. *Tuam, de aetat. et qual.*

Digitized by Google

Electio abbatum ſiue ordinatio eorundem (quid ante factum, ex CASSIANO pete) ſpectabat quondam ad epiſcopum, quia abbates et monachi tunc omnino erant in poteſtate epiſcopi, vt id videre eſt ex concilio Chalcedonenſis, anno CCCCL. et LI. habiti, canone IV. (i) *Eos vero, qui per ſingulas ciuitates ſeu poſſeſſiones in monaſteriis ſunt, placet nobis epiſcopo ſubiectos eſſe debere &c.* et Aurelianenſis primi, anno DVII. conuocati, canone XI (k): *Abbates pro humilitate religionis in epiſcoporum poteſtate conſiſtant.* Quoniam vero epiſcopi poteſtate, quam in monachos habebant, abutebantur, et monachos ſeruilibus operis mancipabant, ſynodus Toletana, vulgo IV. anno DCXXXIII. celebrata, canone L. definiuit, quale ius epiſcopi in monaſteriis habeant: *Nuntiatum eſt praeſenti concilio, quod monachi epiſcopali imperio ſeruili operae mancipentur, et iura monaſteriorum illicita praeſumtione vſurpentur: ita vt paene ex coenobio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam ſeruitutemque perueniat. Quapropter monemus eos qui eccleſiis praeſunt, vt vltra talia non praeſumant. Sed hoc tantum ſibi in monaſteriis vindicent ſacerdotes, abbates aliaque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere. Qui contra fecerit, excommunicetur.* Videtur quidem, quaſi ex hoc canone appareat, hoc adhuc tempore ordinationem, id eſt, electionem abbatum penes epiſcopos fuiſſe; ſed cum aliunde conſtet (m), electionem abbatum monachis iam permiſſam, ſola inſtitutio electi, ſiue benedictio et inueſtitura epiſcopo relicta hoc loco indicatur. Praeterea ex regula S. BENEDICTI (n) ſatis patet, ante haec tempora, ſeculo ſcilicet ſexto, coetui monachorum conceſſam fuiſſe abbatis electionem: *In abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur, quem ſibi omnis concors congregatio, ſecundum timorem Dei, ſiue etiam pars, quamuis parua, congregationis, ſaniori concilio elegerit.* Similiter PELAGIVS papa voluit (o): *Abbatem in monaſterio illum volumus ordinari, quem ſibi*

i) *Ordinatio* hoc loco ſumitur pro electione, cum poſtea tantum pro benedictione electi fuerit vſurpata. k) qui etiam inſertus eſt 16. q. 1. *qui vere et pure.* et 18. q. 2. *quidam monachorum habitu.* l) 18. q. 2. *Abbates.* m) *can. vlt.* 16. *q.* 7. ex aliquo concilio Toletano. n) *cap.* 64. o) *can. Abbatem* 18. *q.* 2.

Digitized by Google

ſibi de ſua congregatione et monachorum electio et poſſeſſionis dominus, et (quod magis obſeruandum eſt) ordo vitae ac meritum popoſcerit ordinari. GREGORIVS I. quoque regulam Benedicti ſecutus, in concilio romano ſiue Lateranenſi, quod anno DCI. ſub eo tertium fuit, pro monachis eum in finem peculiare dedit inſtitutum (p), vt integra illis maneret abbatis electio. Cui ipſe conformiter *Caſtorio*, epiſcopo Ariminenſi, in mandatis dedit (q): *Abbatem vero eidem monaſterio non alium, ſed quem dignum moribus atque actibus monaſticae diſciplinae communi conſenſu congregatio tota popoſcerit, te volumus ordinare.* Ipſi etiam epiſcopi monaſteriis interdum tale priuilegium conceſſerunt, vt patet ex priuilegio (r) immunitatis et libertatis, quod epiſcopus Ambianenſis anno DCXLIV. monaſterio Corbeienſi in gratiam regis Chlotarii fundatoris conceſſit: *Cum Abbas fuerit de ſeculo iſto euocatus, quem vnanimiter congregatio ipſius monaſterii ex ſemet ipſis bonum et dignum elegerint, data auctoritate a praefato principe vel eius ſucceſſoribus, a nobis vel ſucceſſoribus noſtris absque vllo commodo ſecundum ſanctos canones ordinetur.* Idem imp. *Iuſtinianus* obſeruatum voluit (s), praeſcribens, eum eſſe abbatem conſtituendum, quem *commune reliquorum monachorum complementum, aut maxima eorum pars, idoneum ad hoc putauerit.* Et alibi: (t) *omnes monachi melioris opinionis exiſtentes eum eligant.* Quamuis vero per tales conſtitutiones electio abbatis ad monachos pertinuerit, nihilominus hi diuerſis temporibus a regibus et principibus priuilegia impetrarunt, de electione illa libere inſtituenda. Tale quid monaſteriis Lerinenſi, Agaunenſi et Luxouienſi conceſſum indicat *Marculfus* (u). Carolus M. Caſſinenſibus ius eligendi abbatis iuxta regulam S. Benedicti confirmauit (x): *Auctoritatem dedit, vt monachi iuxta tenorem ſanctae regulae abbatem ſibi absque alicuius praeiudicio, ſeu violentia eligerent*

p) habetur illud ap. BINIVM *tom.* 2. *conc. p. m.* 960. *ſq.* q) *lib.* 4. *indict.* 13. *ep.* 43. add. *lib.* 7. *indict.* 1. *ep.* 18. item *can. quam ſit neceſſariam.* 18. *q.* 2. r) vid. PETR. DE MARCA *de conc. S. et I. p.* 822. s) cod. de epiſcop. et cleric. leg. 47. t) Nou. 123. cap. 34. u) *lib.* 1. *formul.* 1. x) LEO, *Oſtienſis*, *Chron. Caſſinenſ. lib. I. c.* 12. *p. m.* 126.

rent (y). Hinc etiam cum iidem anno MLXXXIV. a Conrado imperatore poſtularent, vt eis abbatem conſtitueret, ipſe reſpondit: *non eſt meum hoc, vos eligite vnum ex veſtris* (z).

Licet vero libera electio ad monachos pertinuerit, ſede tamen vacante monachi a principe per nuntios ſolebant petere licentiam eligendi, qua impetrata fiebat electio. Obſeruatum id legimus in diuerſis regnis. In *Angliae* monaſterio S. Albani illum morem obtinuiſſe, refert MATTHAEVS PARIS in *vita Ioannis XXI. abbatis. Et cum rex tunc eſſet in partibus transmarinis, videlicet in Pictauia, miſſi ſunt ad eum duo de fratribus, vt licentiam eligendi ab ipſo, vt moris eſt, impetrarent.* In *vita Wilhelmi XXII. abbatis: Quo ſepulto in continenti tres fratres ad regem ſunt deſtinati, vt ab eo impetrata rite eligendi poteſtate abbatem eligerent.* Et in *vita Ioannis XXIII. abbatis: Et ſepulto tertio Kalendas Martii in capitulo eadem die fratres ad dominum regem ſunt deſtinati, vt, ab eo impetrata libera rite eligendi facultate, abbatem, ne grex Domini diu detrimentum pateretur, eligerent* (a). Dabit quoque *Germania* huius conſuetudinis exempla. Ita Fuldenſes olim monachi Ratgario feroci et indigno abbati ſucceſſorem dignum ſubſtituere cupientes, miſerunt *Adalfridum virum bene morigeratum, et cum eo fratres, ad imperatoris clementiam, ſi forte dignaretur quid indignis de abbatis electione praemonſtrare; quibus ſane clementer ſuſceptis electionem conceſſit* (b). Praeter regis vel principis conſenſum in quibusdam locis epiſcopi etiam dioeceſani conſenſus requirebatur, vt patet ex concilio Beccanceldenſi in Anglia ann. DCXCV. celebrato (c): *Sicut in canonibus praecipitur, ſeruandum eſt, vt quando aliquis de praelatis defungitur, epiſcopus, abbas, vel abbatiſſa intimetur archiepiſcopo propriae parochiae, et cum eius conſilio et conſen-*

y) Idem conceſſum B. Mauro et coenobio Glannafolii a Lothario rege, (vid. SVRIVM *d.* 14. *Iunii in vita Mauri*) nec non Fontanellenſi in concilio Rothomagenſi, anno DCLXXXII. (apud SVRIVM *d.* 9. *Febr. in vita Ansberti*) refert ALTESERRA *aſcet. lib.* 2. *c.* 14. *p.* 117. z) LEO *Oſt. l. c. lib.* 2. *c.* 65. *p. m.* 275. a) litteras regi a monachis eam ob cauſam oblatas exhibet SPELMANNVS *tom.* 2. *concil. Angl. ann.* 1235. b) CANDIDVS in *vita Eigilis abbatis Fuldenſis, n.* 6. c) ap. SPELMAN. *l. c. tom. I. cap.* 5.

Digitized by Google

conſenſu, vita et munditia eius examinata, qui dignus inuenitur, eligatur. Ex prouinciali ſynodo Normanniae anno MCXC: *In conuentualibus eccleſiis abbates vel priores vel abbatiſſae cum aſſenſu dioeceſani epiſcopi eligantur.* Ex diplomate Ludovici Pii imperatoris, quo priuilegium Aldrici Coenomanenſis epiſcopi pro monaſterio S. Saluatoris confirmat (d): *Quandoquidem autem diuina vocatione abbas, qui praeſenti tempore praefectus eſt, aut qui futuris temporibus ſubrogandi ſunt, ab hac luce migrauerint, vna cum conſenſu eiusdem Aldrici epiſcopi ſucceſſorumque eius licentiam habeant ex ſe ipſis eligendi abbates.*

Interea et illud obſeruandum eſt, quod licet electio communiter ad monachos ſpectauerit, aliquando tamen ab aliis abbates illis fuere dati; id quod deducendum eſt vel ex fundatoris iure ſibi reſeruato, vel ex conſuetudine quadam, a qua recedere noluerunt. Prius illud videre eſt in exemplo Aldrici Coenomanenſis epiſcopi, qui in conſtructo a ſe *monaſterio Talipiaco praepoſitum ſuum nomine Iacob archipresbyterum abbatem conſtituit, qui monachorum curam ibi gereret* (e). Praeter hos et epiſcopi aliquando hoc ius ſibi vindicarunt. Ita in monaſterio S. Symphoriani Auguſtodunenſis S. *Germanus* abbas a Nectario epiſcopo adſciſcitur (f). S. *Broctoveus* ab ipſo S. Germano Pariſiorum tunc epiſcopo abbas S. Vincentii delectus fuit (g). S. Audoënus Gemetici abbatem praefecit pro S. Filiberto tunc exulante (h). S. *Auſtregeſilum* Aeterius Lugdunenſis epiſcopus presbyterum et abbatem B. Nicetii epiſcopi et confeſſoris ordinauit (i). S. *Leodegarius* regimen abbatiale S. Maxentii iuſſu pontificis ſuſcepit (k). S. *Clarus* Viennenſis abbas factus eſt in monaſterio S. Marcelli a pontifice vrbis illius (l). Aliquando hoc ius habuerunt reges et principes. Ita S. *Agilus* autho-

d) Vid. *Geſta Aldrici num.* 35. ap. BALVZIVM in *tom.* 3. *miſc. p.* 81. *ſq.* e) Vid. *hiſtoriam fundationis Walciodorenſis* ap. BOLLANDVM in *vita B. Maccalini d.* 21. *Ian.* f) teſte FORTVNATO in *eius vita, num.* 3. *ſec.* 1. *Benedict.* g) ex *eius vit. n.* 2. *ſec.* 1. h) ex *vit. S. Filiberti c.* 25. *ſec.* 2. i) ex *eius vita n.* 4. *ſec.* II. k) ex eius *vita* authore VRSINO *n.* 3. *ſec.* II. l) ex *eius vita, num.* 4. *ſec.* II.

Digitized by Google

authoritate regia Luxouio eductus abbas Resbacenſis monaſterii ab ipſo rege inſtitutus eſt (m). In iis autem monaſteriis, in quibus abbates ex collatione regia inſtituebantur, defuncto abbate, baculus paſtoralis ad regem ipſum deferebatur, quem ille mittebat ei, quem abbatia inueſtire cupiebat, cuius exemplum habemus apud INGVLFVM Croylandenſem (n): *Vix egreſſus erat ſermo ex ore regis, et ecce nuntiatur in aula eius obitus Brichtmeri abbatis monaſterii Croylandenſis, cuius paſtoralis baculus per Priorem monaſterii ac duos alios fratres, eum comitantes, regi extitit praeſentatus.------ Recipiens ergo piiſſimus rex Edvvardus baculum paſtoralem----venerabilem patrem dominum Wlgatum abbatem de paſtorali regimine Croylandenſis monaſterii per eius paſtoralem baculum inueſtiuit.* Henricus etiam imperator Richardo, S. Vitoni Virdunenſis abbati, *Stabulenſis regiminis pedum mox porrexit, vtque Popponi pro ſucceſſionis indicio deferret, indixit* (o).

Sed redimus ad liberam monachorum electionem, quae in locis quibusdam fiebat in praeſentia epiſcopi et ſenioris, ad quem abbatia pertinebat (p). Per Seniorem forte intelligitur ille abbas, cui monaſterium fuit ſubiectum. Debebant enim monaſteria quaedam, praeter voluntatem et electionem conuentus, etiam abbatis principalis conſenſum requirere. Ita GREGORIVS papa VII. Gigniacenſe coenobium Hugoni Cluniacenſi emendandum commiſit, ac Cluniaco ſubiecit ea conditione, *vt nullus ibidem abbas eligatur, aut ordinetur, niſi vel prius Cluniacenſis abbas affuerit, eumque adprobauerit, vel per legatum ſuum aſſenſum praebuerit* (q). Imo S. BENEDICTVS agens *de ordinando abbate* (r) praeter epiſcopum abbates et chriſtianos vicinos in teſtimonium admiſit contra electionem vitioſi abbatis: *Quod ſi etiam omnis congregatio vitiis ſuis (quod quidem abſit)*

m) ex *eius vita n.* 16. *ſqq. ſec.* 2. Alia huius rei exempla habes ap. INGVLFVM in *hiſt. Croyland.* adde DV FRESNE *gloſſ. latinum* in voce *monaſterium.* n) in *hiſt. Croyl. ad ann.* 1048. o) EVERHELMVS in *vita S. Popponis, n.* 28. ap. BOLLANDVM 25. *Ian.* p) vt id conſtat ex antiq. conſuetudinibus monaſterii Farfenſis ad ordinandum abbatem, ap. MARTENE *de mon. vit. l.* 5. *c.* 1. *pag.* 666. q) citatur in S. *Bernonis elogio hiſtorico, n.* 15. *ſec. V. Ben.* r) in *reg. cap.* 64.

Digitized by Google

ſit) conſentientem perſonam pari concilio elegerit, et vitia ipſa aliquatenus in notitiam epiſcopi, ad cuius dioeceſin pertinet locus ipſe, vel abbatibus aut chriſtianis vicinis claruerint: prohibeant prauorum praeualere conſenſum, et domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſcientes, pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſte et zelo Dei faciant: ſicut e diuerſo peccatum incurſuros, ſi negligant. Ex eo factum, vt etiam principes et alii laici in electione abbatis interdum locum habuerint. Teſtis eſt *diploma* LEONIS *VII. pro monaſterio Floriacenſi*, in quo praeſcribitur (s), vt *in ordinando abbate tam rex, quam epiſcopi, vel boni principes, vel laici hanc poteſtatem iuxta B. Benedicti praeceptum habeant, vt prauorum non permittant praeualere conſenſum; ſed talem conſtituant, qui ſecundum regulam, et religioſas praedictorum patrum conſuetudines praeeſſe ſtudeat.* In vita S. Petri Vrſeoli (t), poſt mortem Guarini abbatis monaſterii S. Michaelis de Coxano, *inclitus vir Oliua ------ ab omnibus monachis et illius regionis incolis* electus dicitur. Teſtantur idem ſubſcriptiones laicorum in literis de electione facta (u), quod huic interfuerint.

Proceſſus autem electionis, quantum ex conſuetudinibus diuerſorum antiquorum monaſteriorum diſcimus, ita ſe habuit, vt peracto abbatis defuncti funere, Prior conſilio maiorum determinatum ad electionem diem praefixerit et abſentes a monaſterio, qui de iure electioni intereſſe debebant, conuocauerit per literas; quarum ſolennes fuerunt formulae cum conuocantis, tum abſentis, et ſe excuſantis (x). Dein electioni praemiſſae fuerunt preces et ieiunium, quod antiqui triduanum eſſe voluerunt, vt id conſtat ex electione S. Lantberti, abbatis Fontanellenſis, quae refertur in *vita S. Ansberti epiſcopi* (y). Ipſa electionis die debebat celebrari ſolenniter miſſa de S. ſpiritu, qua finita, ad campanae pulſum congregatis omnibus, poſt lectum martyrologium pronuntiabatur capitulum ex regula S. Benedicti *de ordinando abbate*, ſupra ex parte citatum, in quo praeter illa, alia de abbatis

s) extat in *fin. ſec. V. Bened. p.* 907. t) *num.* 21. *loc. cit. p.* 888. u) vid. *S. Maioli elog. hiſt. n.* 49. *ſec. V. Ben.* x) Earum aliquot vide apud MARTENE *loc. cit. p.* 646. *ſq.* y) *num.* 13. *ſec.* II. *Bened. p.* 1052.

tis virtutibus et officiis habentur. Alii volunt ſequentibus temporibus lectum eſſe caput XXIV. concilii Lateranenſis, anno MCCXIV. ſub Innocentio III. habiti, in quo agitur *de electione facienda per ſcrutinium et compromiſſum*, et ita ſe habet: *Quia propter electionum formas diuerſas, quas quidam inuenire conantur, et multa impedimenta proueniunt, et magna pericula imminent eccleſiis viduatis, ſtatuimus, vt cum electio fuerit celebranda, praeſentibus omnibus, qui debent et volunt et poſſunt commode intereſſe, aſſumantur tres de collegio ſide digni, qui ſecreto et ſingulatim voces cunctorum diligenter exquirant. Et in ſcriptis redacta, mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto, vt is, collatione adhibita, eligatur, in quem omnes vel maior vel ſanior pars capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium eccleſiae viduatae prouideant de paſtore; aliter electio facta non valeat, niſi forte communiter eſſet ab omnibus quaſi per inſpirationem diuinam absque vitio celebrata. Qui vero contra praedictas formas eligere attentauerint, eligendi ea vice poteſtate priuentur. Illud penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco, de quo debeat aduocari, iuſtoque impedimento detentus venire non poſſit, ſuper quo, ſi fuerit opus, fidem faciat iuramento, et tunc ſi voluerit, vni committat de ipſo collegio vicem ſuam. Electiones quoque clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, vt quam cito electio fuerit celebrata, ſolenniter publicetur.* Hanc lectionem excipiebat exhortatio vel breuis vel prolixior, potiſſimum de virtutibus et meritis eligendi et de dotibus a S. Benedicto in abbate requiſitis. Poſtea omnibus genuflexis diuinum implorabant auxilium per hymnum *Veni creator ſpiritus etc.* vel etiam per alias preces. Haec tamen hucusque adducta hodie aeſtumantur magis facere ad ſolennitatem, quam ad ſubſtantialia electionis. Ipſa electio, vt ex Lateranenſis concilii IV. capite XXIV. ante adducto conſtat, fieri poterat vel per *ſcrutinium*, vel per *compromiſſum*, vel per *inſpirationem.* Poſterior hic modus eſt, cum omnes quaſi diuinitus inſpirati, vno ore, talem vel talem ſibi poſtulant abbatem; qui tamen apud monachos rarior fuit, cum duas priores vias pro libertate potius adhibuerint.

Per

Per *compromiſſum* inſtituebatur electio, ſi aliqui per conuentum nominabantur fratres, *compromiſſarii* dicti, duodecim vel nouem, viri idonei, qui nomine reliquorum abbatem eligebant. Hunc morem olim obſeruarunt Cluniacenſes in Hugone eligendo, ad monitum abbatis Odilonis iamiam morituri (z); nec non Beccenſes et S. Albani in Anglia monachi. Tertius ritus per *ſcrutinium* fiebat, dum tres eligebantur fide dignae perſonae de ipſis fratribus, qui primo ſuas ſcrutabantur inuicem ſecreto voluntates et ſcribebant ſecrete; poſtmodum vota ſingulorum ſcrutari debebant et redigere in ſcriptis; quae vota, mox ad capitulum redeuntes, publicabant. Et hic modus eſt magis ſolennis et tutior, nec non hodie communior, poſtquam *ſynodus Tridentina* eum praecepit (a): *De electione ſuperiorum quorumcunque abbatum temporalium et aliorum officialium ac generalium, et abbatiſſarum et aliarum praepoſitarum, quo omnia recte et ſine vlla fraude fiant, inprimis ſancta ſynodus diſtricte praecepit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Tres autem in hoc modo requiruntur ſcrutatores, nec plures, nec pauciores, alias ſecundum communem doctorum ſententiam electio irrita eſſet; niſi aliter per ſpeciale priuilegium papae ſit indultum: vt Caſſinenſes monachi habent quatuor ex bulla Gregorii XIII. Interea vbi pauci ſunt electores in collegio, duo tantum ſufficiunt ſcrutatores. Hi aſſumi debent de capitulo, id eſt, de numero eligentium, per quos fidelius et honeſtius hoc munus peragitur. Hi ergo exquirunt eligentium vota vel viua voce vel ſcriptis per ſchedulam: quo poſteriori modo ne nomina quidem eligentium innoteſcunt ſcrutatoribus (b).

Conditiones eligentium monachorum (c), (qui tres, vel duo, vel vnus etiam eſſe poſſunt, reliquis mortuis, vel ſuſpenſis, vel excommunicatis,) hodie ſunt ſequentes: *primo* ſint profeſſi eiusdem religionis ſiue ordinis, cuius Praelatus eſt eligendus, ſiue profeſſio fuerit expreſſa ſiue tacita, quo ipſo a iure eligendi excluduntur nouitii, qui non ſunt vera religionis membra. *Dein,*

B in

z) VDALRICVS *lib.* 3. *c.* 1. a) *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de regul.* b) vid. ASCAN. TAMBVRINVS *de iur. abbat. T. I. diſp.* 5. *quaeſit.* 6. *p.* 33. *ſqq.* c) IDEM *ibid. quaeſ.* 8. *p.* 38. *ſq.*

Digitized by Google

in ſacris ordinibus ſint conſtituti, et minimum habeant ſubdiaconatum (d); atque hac ratione iterum ab electione remouentur non ſolum conuerſi, ſed etiam monachi omnes profeſſi quidem, nondum tamen ordine illo initiati. *Tandem*, per aliquam eccleſiaſticam inhabilitatem ab electione non ſint impediti, ſcilicet per excommunicationem, ſuſpenſionem ſiue interdictum (e), ſiue ſint ſuſpenſi ab homine, ſiue a canone inferente poenam talis ſuſpenſionis. *Eligendus* (f) vero in abbatem debet eſſe minimum *viginti quinque annorum*, id quod ex generali conſtitutione concilii Tridentini (g) colligitur: *Nemo deinceps ad dignitates quaſcunque, quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi qui ſaltem XXV. aetatis ſuae annum attigerit, et in clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur, iuxta conſtitutionem Alexandri III. in concilio Lateranenſi promulgatam, quae incipit: Cum in cunctis.* Porro ſit *expreſſe profeſſus* tria religionis vota: hoc enim ſtatutum fuit a Bonifacio VIII. (h) quando ſequentem in modum decreuit, quod *nullus religioſus ad abbatiam ſiue praelaturam ſuae vel alterius religionis de cetero eligatur, niſi antea fuerit ordinem regularem expreſſe profeſſus*, addendo, *quod ſi ſecus factum fuerit, reipſa irritum habeatur.* In prouiſione autem, quae fit per viam collationis vel poſtulationis, quibusdam videtur ſufficere profeſſio tacita. Debet vero illa expreſſa profeſſio fieri in *eadem religione:* quia rationi non congruit, vt homines diſparis religionis, vel habitus, in eisdem monaſteriis ſocientur. Sit praeterea *de gremio ipſius monaſterii*, non extraneus, niſi in defectum idonei (i). Ne monachus alterius monaſterii vel ordinis in abbatem eligatur, Corbeienſibus monachis vetuit Nicolaus I (k): *Abbatem vero fratres ipſius monaſterii de ſe ipſis eligendi ſemper habeant poteſtatem, et eam perſonam eligant, quae monachi propoſitum et habitu et moribus profiteatur, non canonicum aut laicum, neque alterius mona-*

d) *ex clem. vt ii, de aetat. et qualit.* e) *per cap. cum dilectus, de conſuetud. et cap. cum inter R. ſeniorem, de elect.* f) TAMBVRIN. *l. c. a quaeſito* 9. *ad* 12. *p.* 39. *ſqq.* g) *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 12. h) *cap. nullus de elect. lib.* 6. i) *can.* abbatem. can. *quam ſit neceſſarium* 18. quaeſt. 2. k) *epiſt.* 24.

monaſterii monachum: quoniam monachico ordini praeficere vel laicum vel canonicum, non eſt ſeruare ordinis profeſſionem, ſed euertere: quod vnusquisque praepoſitus cuius eſt ordinis, eius quoque erit et propagator. Idem pro Stradenſi monaſterio ſtatuit Carolus Caluus, vt habet auctor *vitae S. Genulfi* (l): *In clauſula demum perſcripti decreti ſtatutum, vt per ſuccedentia tempora locum ipſum inhabitantes e ſuis, non aliunde petitis perſonis eligerent ſemper, quibus ſacra praelatio loci committeretur, a quibus coenobii totius gubernatio aequo iure tractaretur: idque non cuiusquam mortalium vi, ſed fraterno coenobialium voto fieri quam maxime decreuit.* Ex priuilegio tamen vel conſuetudine praeſcripta quandoque electio abbatis fit de alio monaſterio (m). Vlterius ab eo deſideratur, vt ſit *presbyter* ſiue ſacerdos: quia animarum cura illi incumbet, tonſuram et minores ordines conferre poterit (n), et, iuxta praeſcriptum regulae, fratribus egredientibus et regredientibus, ac lectiones in choro recitaturis benedictionem impendet (o); quae omnia ad presbyterum ſpectare ſcimus. Si quis autem electus fuerit, qui nondum eſt presbyter, ille intra annum ad ſacerdotium promoueri debet, de quo ſupra plura diximus huc quoque transferenda. Tandem ſit *ex legitimis natalibus* (p): licet enim illegitimi per religionis ingreſſum, absque alia dispenſatione, ad ordines habilitentur, et ad ea etiam officia, quae ad ſuperioris nutum reuocari posſunt, admittantur; ad praelaturas tamen ordinarie eligi nequeunt, niſi acceſſerit dispenſatio. Haec autem de iure communi ad ſummum pontificem ſpectat, per bullam vero Gregorii XIV. etiam generales vel prouinciales Praelati, ſimul cum Generali, Prouinciali, vel intermedio capitulo dispenſare posſunt cum illegitimis ad praelaturas regulares. Sed et plura ſunt *impedimenta*, per quae a dignitate abbatiali quis excluditur. Scilicet in genere impeditur *infamis*, infamia tam iuris, quam facti: *inquiſitus*, pendente inquiſitione: *accuſatus* et *denuntiatus*, ſi praeceſſit infamia: quae ſi non praeceſſerit,

l) *lib.* 2. *c.* 12. m) cap. *cum dilectus. de conſuetudin.* cap. *Abbate.* de V. S. n) *can. quoniam. diſt.* 69. *Syn. Trid. ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 10. o) *cap.* 11. p) TAMBVRIN. *l. c. quaeſ.* 14. *ſqq. p.* 44. *ſqq.*

ſerit, eligi poteſt. Specialiter excluditur 1) *excommunicatus*, maiori vel minori excommunicatione. 2) *falſificans* literas apoſtolicas. 3) in *peccato mortali* publico conſtitutus. 4) *ſemel reprobatus*, nec hic nec alibi admittitur. 5) *transiens* de mendicantibus ad non mendicantes. 6) *denuntiatus* de aliquo crimine, pendente inquiſitione. 7) qui *exercuit chirurgiam*, ex qua ſequuta mors. 8) *ſimoniacus*. 9) *homicida*. 10) *periurus* declaratus. 11) *prodigus* notabiliter. 12) patiens *defectum animi vel corporis*, per quem ad exercitium officii ſui vel dignitatis inhabilis eſt. 13) *leproſus*. 14) quibus ex *nimia venere* ceciderunt capilli et barba, non vero ob aliam rationem. 15) laborantes *morbo gallico* notorie, phthiſi, paralyſi, podagra continua, morbo comitiali etc. (q)

Poſtquam vota eligentium, iuxta praecedentes conditiones, ſigillatim in literas ſunt relata, fit *publicatio* absque mora in capitulo, explicando duntaxat numerum perſonarum, quae ſuffragium tulerunt. Olim poſt publicationem inſtituebatur collatio votorum ratione meriti, numeri et zeli, iuxta gloſſam, quae ait, *collatione facta numeri ad numerum, et zeli ad zelum, meriti ad meritum* (r); ſed concilium Tridentinum, remotis duobus modis, tertium ſaltem obſeruandum eſſe praecepit (s), *vt in poſterum electiones omnes fierent per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur:* hoc ipſo enim cum ſuffragia ſecreta eſſe debent adeo, vt nomina eligentium nunquam publicentur; nullius ad merita vel zelum electorum reſpectus haberi poteſt, ſed tantum collatio numeri ad numerum. Poſt factam hanc collationem communis electio fieri debet, dum vnus nomine totius capituli per verba ſingularis numeri loquitur et eligit praelatum, ſequentem in modum: *Ego N. vice mea, et omnium electorum eligo N.* ſi vero aliqui non conſenſerunt: *Ego N. vice mea, et omnium aliorum, qui mecum conſentiunt, eligo N.* (t). Dein more antiquo (u) incepta antiphona: *Confirma hoc Deus*, electus deducitur ad eccleſiam, alta voce conuentu cantante: *Exurgat Deus*, quem ſequitur oratio: *Actiones noſtras quaeſumus Domine.* Tunc ſtatuto

q) Plura vide ap. eund. *quaeſ.* 21. *p.* 49. *ſqq.* r) quod ſumitur ex *cap. In geneſi*, et *cap. eccleſia veſtra. tit. de electione et electi poteſtate.* s) *ſeſſ.* 25. *de regular. c.* 6. t) TAMBVRIN. *l. c. quaeſ.* 6. *p.* 35. *ſq.* u) MARTENE *l. c. lib.* 5. *c.* 1. *p.* 652. *ſq.*

Digitized by Google

to electo in loco et ſtatione abbatis, incipitur hymnus: *Te Deum laudamus*, ad cuius ſecundum verſum ſinguli fratres veniam petentes incipiunt eum oſculari: deinde fratribus reuerſis in capitulum, omnes obedientiarii ponunt ad pedes ipſius claues ſuas; ipſe vero praecipit, vt eas reſumant. Pro diuerſis monaſteriorum conſuetudinibus olim et alia fuere obſeruata et forte hodienum minime negliguntur (x). Poſt electionis publicationem olim etiam requiſita fuit regis aut principis adprobatio, vt plura teſtantur exempla, quae in ſeculis Benedictinis MABILLONII paſſim occurrunt (y).

Poſthaec proximus actus eſt electi abbatis *confirmatio* a ſuperiori, qui eſt vel ordinarius loci epiſcopus, ſi abbas fuerit non exemtus (z); vel ipſe ſummus pontifex, vel eius legatus, qui eſt in prouincia, ſi exemtum fuerit monaſterium (a); quia ille eſt ordinarius exemtorum (b). Hoc iure Caſſinenſes querebantur de Victore II. pontifice, quod electioni abbatis manum iniicere niteretur, cum ante pontifices ſolam confirmationem ſui iuris duxiſſent, referente LEONE *Oſtienſi* (c): *Ita ad ſubiugandum ſibi monaſterium papa animum vehementer incenderat, cum nemo ante illum ex romanis pontificibus id attentaſſet, ſed electio libera ſemper monachis fuerit, ſola confirmatione ad papam pertinente.* Debebat autem electus, isque exemtus, ſe ipſum pontifici ſiſtere, ſi poterat; vel per alios, datis a conuentu literis, petere confirmationem, ſi eum quaedam impediebant, vt decreuit INNOCENTIVS III. (d) Pontifex vero literas acceptas aut per ſe aut per alium factam electionem examinabat, vtrum eſſet canonica: quae ſi talis fuerat, confirmatio dabatur formula conſueta. Apud Gallos in electione abbatum et praelatorum regularium forma capitis: *Quia propter*, diu fuit obſeruata, donec haec iura mutata et perturbata ſunt concordato ſolenni habito inter Leonem X. et Franciſcum I. in quo nominatio praelatorum ſecularium et regularium adſcripta eſt regi, prouiſio ſeu collatio pontifici (e). Non tamen omnes praelati ſubiiciuntur regiae

x) *Idem loc. cit.* y) Idem *l. c. p.* 655. *ſq.* z) *leg.* 47. *Cod. de epiſc. et cleric.* a) *cap. Nihil eſt. de elect. cap. Si abbas.* eod. tit. b) *cap. Si auctoritate de priuilegiis. in* 6. c) *Chron. Caſſin. lib.* 2. *c.* 95. d) in *concil. Lateranenſ. ann.* 1215. *c.* 26. e) §. 1. *de regia ad praelatur. nominat.*

giae nominationi, cum praeter abbatem Ciſtertii eiusque quatuor coabbates alii quoque excipiantur (f), de quibus infra in *nominatione* regia dicetur.

Confirmationem ſequitur *benedictio* ſiue orationum ſolennitas, quam accipiunt ab epiſcopo; licet videatur etiam olim facta a quodam ſacerdote vel aliis abbatibus, ſi recte intelligo regulam S. Benedicti in capite LXV. Forma benedictionis ſine dubio antiquitus breuior et ſimplicior fuit, quam noſtris temporibus. Ipſe *ordo romanus* de officiis diuinis, quem communiter ad octauum ſeculum referre ſolemus, ordinationem abbatis paucis abſoluit, quam epiſcopi et abbates quidam retinuerunt, alii pro lubitu quaedam pro diuerſitate religionum ſiue ordinum vel addiderunt vel mutarunt. Hinc paſſim tales formulae ordinationum antiquae obuiae ſunt, quae ab hodierna in multis recedunt. TAMBVRINVS (g) ex PETRO diacono (h) modum benedicendi abbatem montis Caſſini antiquitus vſitatum exhibuit, in quo benedictio quoque annuli et cum variis orationibus aliae ceremoniae ſunt adiectae, quae in ordine romano non leguntur. Omnes autem formulae ante *pontificale* Clementis VIII. editum conſuetae, poſtea per eundem Clementem ſunt ſublatae et prohibitae, noua vero benedictionum ratio inſtituta, (vt patet ex bulla eiusdem pontificis die decima Februarii anno MDXCVI. initio pontificalis appoſita,) ab omnibus praelatis in benedictionibus abbatum poſthac obſeruanda. Hanc ergo iuxta rubricam eiusdem *pontificalis* (i) et praxin ceremoniarum ANDREAE PISCARAE (k) breuiter dabimus, integrum vero benedicendi ordinem ſubiectis notis inſertum voluimus. Scilicet 1) ſi benedicendus eſt *exemtus*, debet is eſſe inſtructus *mandato apoſtolico;* ſi vero *non* eſt *exemtus*, non eſt illud neceſſarium: quia autoritate ordinarii benedicitur. 2) benedictio fit ab *epiſcopo*, *aſſiſtentibus duobus abbatibus*. 3) *die dominico* vel *feſtiuo*, praeuio *ieiunio* in priori die, 4) *capellae duae* ornantur pro epiſcopo

f) Vide interim TAMBVRIN. *l. c. diſp. 7. quaeſ. 1. ſqq. p. 63. ſqq.* et RENAT. CHOPPIN. *Monaſt. lib. 1. tit. 1.* g) *loc. cit. diſp. 11. quaeſ. 14. p. 92. ſqq.* h) in *expoſit. cap. 64. reg. Benedicti.* i) quod authoritate Vrbani VIII. recognitum prodiit Colon. Agripp. 1683. 8. k) *lib. 1. ſect. II. cap. 2. ſqq.*

Digitized by Google

po et electo, cum *paramentis* eorum. 5) praeparantur *duo intortitia*, *duo barilia vini et panis*, omnia ornata auro et argento, cum inſignibus epiſcopi et monaſterii aut electi. Panis et vinum denotant paupertatem monaſticam: adduntur duae faces, ne quid inter haec leuia munera pondere precioſius ſubrepat. 6) Epiſcopus tempore ſtatuto in ſede epiſcopali vel faldiſtorio *pontificalibus induitur*. 7) Electus in *habitu quotidiano* medius inter aſſiſtentes ducitur ad epiſcopum, ſedentem in throno vel faldiſtorio, eique *tradit mandatum* apoſtolicum, ſi fuerit exemtus, quod notarius epiſcopi legit. 8) Si electus non fuerit profeſſus, quod raro contingit, facit prius ſolennem profeſſionem coram epiſcopo. 9) *Lecto* mandato vel profeſſione edita, *electus in ſua capella* induitur in modum presbyteri, et iterum per aſſiſtentes ducitur ad epiſcopum, coram quo genuflexus legit *iuramentum*, epiſcopus vero inſtituit *examen*, ad quod reſpondet electus. 10) Epiſcopus facit cum electo *confeſſionem*, et incipit in altari *miſſam:* ſimiliter *electus*, aſſumtis quibusdam aliis veſtibus in capella, progreditur ad *miſſam:* vterque eandem deducit ad certum caput. 11) Dein illo procumbente et hoc proſtrato, dicuntur *pſalmi poenitentiales* et *litaniae*, nec non *orationes* ſuper electum. 12) His finitis epiſcopus ſedens dat *regulam*, *baculum et annulum*, qui ſi antea non fuerunt benedicti, prius benedicuntur. 13) Epiſcopus et electus *continuant miſſam* ad offertorium vsque. 14) Electus accedit ad epiſcopum, eique ſedenti *offert munera*, de quibus ſupra. 15) *Continuatur* ab epiſcopo *miſſa*, electo interea genuflexo in ſcabello cum miſſali: *epiſcopus* accepto *corpore et ſanguine Chriſti*, communicat *abbatem ſolo corpore: abſoluit miſſam* epiſcopus faciendo, electus legendo. 16) Epiſcopus ſedens in faldiſtorio, abbati cum biretto genuflexo dat *mitram* prius benedictam, dein extracto annulo, *chirothecas* imponit et iterum annulum. 17) Si *abbas in proprio monaſterio* eſt, epiſcopus eum pulſantibus campanis ducit ad chorum et *in ſedem* anteceſſoris, et ei dat *baculum:* ſi non eſt in monaſterio ſuo, epiſcopus eum ſtatuit *in faldiſtorio*, et inchoat hymnum: *Te Deum*. 18) Dicto primo verſu *abbas ſurgit*, cum aſſiſtentibus mitratis *circumiens eccleſiam, benedicit populo*. 19) Si eſt in monaſterio ſuo, redit ad cho-

Digitized by Google

chorum *in ſedem*, admittit *omnes monachos ad oſculum* oris et manus, et populo *pacem* dat ante altare. 20) Dein *finitis orationibus* et aliis, veſtibusque exutis, abbas epiſcopo et aſſiſtentibus gratias agit, et omnes in pace recedunt.

Effectus benedictionis huius eſt, quod abbas per benedictionem accipiat *poteſtatem* eorum, quae ſunt *ordinis*. Ad hanc poteſtatem pertinet *ordinatio diuini officii*, et omnia, quae ſpectant ad diuinum cultum (l), ſpeciatim etiam horas canonicas ſuis temporibus ſignificare (m). Dein vi eiusdem poteſtatis conferre poteſt *tonſuram et ordines minores* ſubditis intra ſepta monaſterii ſui, non aliis (n). Habet etiam ius fundendi *benedictionem* ſuper monachos. Ex priuilegio ſpeciali quoque poteſt ſolennem benedictionem fundere ſuper plebem, poſt miſſarum ſolennia, aut matutinas vel veſpertinas preces, in eccleſiis pleno iure ſibi ſubiectis, alibi minime, niſi ex ſpeciali priuilegio (o). Praeter hanc poteſtatem ordinis et dignitatis, eidem competit *oeconomica* poteſtas et alia *iurisdictionis*. Illius eſt adminiſtratio et diſpoſitio bonorum monaſterii. Huius vero eſt ordinaria iurisdictio in monachos. Per hanc recipit eorum profeſſionem (p): profeſſis confert beneficia regularia (q): ius habet conuocandi capitulum pro corrigendis fratribus (r): monachos excommunicandi (s), et ſuspendendi (t): monachos fugitiuos requirendi, eosque ad clauſtrum reducendi, ſalua ordinis diſciplina (u). Habet autem abbas coercitionem monachorum in his, quae pertinent ad diſciplinam regularem, et quae intra clauſtrum admittuntur: in aliis vero, quae committuntur extra clauſtrum, et grauioribus delictis, quae poenis legum vel

l) *d. can. nullam.* m) *Reg. Bened. cap.* 47. n) *Can.* 1. *et* 2. 69. *diſt. cap. Cum contingat. de aetat. et qualit. et ord. praef. cap. abbates. de priuileg.* in 6. *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 10. *cap.* 1. *de ſuppl. neglig. praelat.* o) cap. *Abbates.* et *Conc. Trid. d. loc.* p) cap. PORRECTVM. cap. *Ad apoſtolicam de regular.* q) cap. *Cum ſingula de praebend.* in 6. Clement. *Ne in agro.* §. *Caeterum* MS. *Sane Prioratus de ſtatu monach.* r) cap. *Nimis praua. de exceſſ. praelatorum.* s) cap. *Cum in eccleſiis. de maior. et obedient.* cap. *Quanto. de offic. ordinar.* cap. *Sicut. de ſimonia.* t) SOZOM. *libr.* C. *cap.* 28. NICEPH. *lib.* 11. *c.* 37. u) d. cap. *Quanto.* cap. vlt. *de regular.* cap. *A nobis. de apoſtat.*

Digitized by Google

vel canonum digna ſunt, cognitio pertinet ad epiſcopum (x).

Abbas poteſt *renuntiare* abbatiae, vt alias quilibet regulariter beneficio renuntiare valet. Debet autem huiusmodi renuntiatio fieri in manibus Generalis, vel Definitoris, aut alterius, qui habet poteſtatem inſtituendi et deſtituendi ſimul inuitum iuſtis de cauſis. Quomodo vero exemtus abbas et non exemtus ſe gerere debeat, infra in his titulis dicetur pluribus. *Cauſae* legitimae *renuntiationis* indicantur ſequentes (y): 1) conſcientia criminis, quod ordinis executionem, poſt peractam poenitentiam impedit (z). 2) ſenium tale, quo quis nequit ſuo muneri recte ſatisfacere (a), quod arbitrio ſuperioris iudicandum eſt. 3) infirmitas corporis (b), eaque frequens, per quam muneris ſui partes adimplere nequit, eodem modo aeſtumanda, vt ſenium. 4) defectus ſcientiae (c), non eminentis, ſed competentis. 5) vt graue ſcandalum, quod aliter tolli non poteſt, vitetur (d). 6) irregularitas (e). Fiebat olim abbatiae renuntiatio per reſignationem virgae ſuper altare et abſolutionem fratrum a ſacramento obedientiae. Ita Bruno abbas virgam paſtoralem deponens inquit (f): *Accipite, quam mihi tradidiſtis: abſolutioneque fratribus facta, ad epiſcopatum ſuum rediit.*

Non quidem facile *deponendus* eſt abbas, ne ei adimatur auctoritas, ſi monachorum poteſtati coeperit ſubiacere (g), id eſt, ſi poſſit amoueri ad libidinem monachorum, neve fiat meticuloſior ad coercendos monachos, metu depoſitionis; nihilominus ſi iuſtae interceſſerint cauſae, quamuis omnis congregatio, vitia eius diſſimulans et ferens, eum abbatem habere voluerit (h), deponi poteſt. Fieri autem id ſolet (i), ſi abbas fuerit 1) dilapidator bonorum monaſterii, vel negligens in eorum adminiſtra-

x) can. *Hoc tantum.* 18. quaeſt. 1. can. *Si quis.* 58. diſt. can. de *perſona.* 11. *quaeſt.* 1. *cap. Reprehenſibilis de appellat.* cap. *Monachi.* cap. *Vniuerſitatis. de ſentent. excommunicat. conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 14. y) TAMBVRIN. *l. c. diſp.* 13. *q.* 1. *p.* 101. *ſq.* z) cap. *niſi cum pridem.* a) *ibid.* §. *alia vero.* b) *ib.* §. *alia cauſa.* c) *ib.* §. *pro defectu.* d) *ib.* §. *pro graui quoque.* e) ib. §. *perſonae vero.* f) LEO *Oſtienſis, chron. Caſſin. lib.* 4. *c.* 44. g) can. *Nullam.* h) TAMBVRIN. *l. c. q.* 2. *p.* 102. *ſq.* ALTESERRA *l. c. lib.* 2. *cap.* 16. *p.* 124. *ſq.* i) can. *Si quis abbas.* 18. q. 2.

ſtratione (k). Dilapidatio illa non colligi debet ex aere alieno, quod contractum eſt ex iuſta cauſa. 2) incontinens in vita. 3) praeuaricator regulae, id eſt, qui regulae obſeruantiam negligit aut contemnit, et hoc ipſo praeuaricatur aduerſus votum. 4) Deſtituitur ſcientia ſufficiente ad munus gerendum. Conſuli praeterea debent ſpecialia ſingularum religionum inſtituta, ex quibus illa depoſitio eſt iudicanda. Sic cauſae, ex quibus Ciſtercienſis ordinis abbates deponi posſunt, ſtatutae ſunt a Clemente IV. in quadam eius conſtitutione edita anno MCCLXV. (l) quae inter alia habet ſequentia: *Statuimus et ordinamus, quod abbas ſubiectum ſibi abbatem deponere debeat, pro cauſis duntaxat inferius annotatis, videlicet pro haereſi: pro ſimonia manifeſta: pro immunditia carnali: pro dilapidatione ſui monaſterii, enormiter alienando, vel disſipando bona: pro furto, homicidio, graui ſortilegio, ſolenni periurio: pro conſpiratione, et ſi falſarius fuerit literarum ſummi pontificis, vel S. R. E. cardinalium, principum, epiſcoporum vel abbatum ordinis ſupra dicti; et ſi contra communia inſtituta ipſius ordinis priuilegia impetrauerit, vel retinuerit, aut vti praeſumſerit impetratis.* Id tamen notandum eſt, quod non posſit abbas deponi etiam in criminibus notoriis, niſi ei legitima permittatur defenſio, vt ſtatuit Leo X. in conſtitutione ſeptima, approbante concilio Lateranenſi (m). Depoſitio vero abbatum non fiebat ſolenniter, vti depoſitio epiſcopi vel degradatio presbyteri: quia abbatis munus non eſt ordo, ſed officium; verum vel nuda et ſimplici fractione ſigilli, vt id conſtat de abbate Conchenſi (n): *Et inſtrumenta ſua fracto ſigillo, quo vſus fuerat, in manibus eorundem iudicum reſignauit, et abbatiam abiurauit memoratam.* Vel per ſolam depoſitionem virgae vel per depoſitionem eius ſuper altare (o): *Ita demum Baſilius ad hoc monaſterium veniens, et abbatis virgam, quam eatenus tenuerat, abiiciens, paucis poſt diebus ad vallem Luce praepoſitus transmiſſus eſt.* Sic quoque Petrus abbas (p) *tertia poſthaec*

k) d. can. *Nullam.* et *Si quis abbas.* can. *dictum.* 81. diſt. cap. *quoniam* 100. *diſt. cap. Monachi.* infin. *de ſtat. monachorum.* l) incipit *Paruus fons*, et habetur in *Bullar. nouo* LAERT. CHERVB. *tom.* I. *bulla* 3. m) §. 7. et habetur *loc. cit.* n) INNOCENT. III. *lib.* 2. *epiſt.* 38. o) LEO *Oſtienſis*, *chron. Caſſ. lib.* I. *cap.* 94. p) Id. *ibid. c.* 96.

haec die coram cunctis fratribus in eccleſiam veniens, ac virgam ſuper altare deponens, officium et hoc monaſterium deſeruit. Vel per depoſitionem virgae ſimul et annuli et regulae ſuper corpora ſanctorum, vt factum fuit in Rainaldi abbatis Caſſinenſis depoſitione (q). *Sicque illorum iuſſu aſtantibus omnibus, virgam et annulum et regulam ſupra corpus ſanctiſſimi Benedicti depoſuit.* Plerumque tamen abbati depoſito vel ab adminiſtratione amoto asſignabatur cella vel prioratus alimoniae gratia, vt id liquet ex epiſtolis Innocentii (r).

Si tandem ad *ſepulturam* abbatis deſcendimus, illius ratio ex antiquis ritualibus et conſuetudinibus (s) diuerſorum monaſteriorum eſt addiſcenda. Ex illis ergo obſeruamus: 1) abbatum ſepulturam in alterum tertiumve diem dilatam fuiſſe. 2) conuocatos ad eorum exequias vicinos abbates. 3) illos cum veſte ſacerdotali ſepultos, nunc pluribus, nunc paucioribus, additis etiam interdum inſignibus pontificalibus, imo et oblatis ſiue hoſtiis non conſecratis, aliisque. 4) ratione loci ſepulturae, ſingulare ius abbatum fuit ſepeliri in eccleſia, aut ſaltem in oratoriis; quamuis aliquos legamus, qui humilitatis gratia, aut alia de cauſa extra eccleſiam ſepulturam elegerint. Alii in clauſtro monaſterii ſepeliri voluerunt. Tandem ſucceſſu temporis communis ſepulturae locus eſſe coepit in capitulo. Haec omnia laudatus MARTENE (t) exemplis variis confirmat, ex ſpicilegio Dacheriano et ſeculis Benedictinis, Bollando aliisque deſumtis. Hodie abbatum cadauera induuntur iisdem veſtibus et inſignibus pontificalibus, quibus abbas viuens induebatur, dum ſolenniter celebraturus erat, nempe caligis, ſandaliis, amictu, alba, cingulo, ſtola, manipulo, cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo et mitra ſimplici, et ponitur ſuper pectus defuncti crux aliqua, quam manibus tenet. Defuncti abbatis cadauer debet a dignioribus monaſterii deferri, et officium ab aliquo abbate ex vicinioribus (ſi haberi poterit) celebrabitur; ſin minus, a digniori illius collegii. Exequiae pro defuncto abbate, ſolenniter debent ab alio abbate celebrari, cum oratio-

q) Id. *loc. cit. lib.* 4. *cap.* 123. r) *epiſt.* 8. 30. 38. *et ep.* 111. *regiſtr.* 13. s) vid. quasdam earum ap. MARTENE *l. c. lib.* 5. *cap.* 12. *p.* 828. *ſqq.* t) *loc. cit. p.* 870. *ſqq.*

Digitized by Google

oratione funebri, ab aliquo theologo ſiue oratore ad hoc vocato, in fine miſſae, ante abſolutionem faciendam. Abſolutio autem fit ab abbate celebrante, et quatuor ex dignioribus illius monaſterii (u).

ABBAS ABBATVM, titulus eſt honoris, qui ſi vlli, certe abbati Caſſinenſi conferri debet, cum ab eo reliqui omnes in occidente deſcendant. Agnouit id *Odilo* abbas Cluniacenſis, qui cum Caſſinum veniſſet, et ab abbate Caſſinenſi Theobaldo paſtoralis baculus ei offerretur in proceſſione, illum accipere renuit, dicens (x): *Nequaquam dignum eſſe ſe in magnitudinis eius praeſentia, huiusmodi virgam geſtare; nimis profecto indecens et contra omne ius eſſe percenſens, quempiam abbatum manu paſtoralem virgam praeferre, vbicunque Benedicti vicarium, cunctorum ſcilicet abbatis abbatum praeſentem adeſſe contingeret.* Idem cum non obſeruaſſet *Pontius*, abbas quoque Cluniacenſis, in ſynodo romana anno MCXVI. ſe *abbatem abbatum* eſſe iactitans, *Ioannes* cancellarius eum interrogauit (y): *an Caſſinenſes accepiſſent regulam a Cluniacenſibus, an Cluniacenſes a Caſſinenſibus? Pontius reſpondit, quod non ſolum Cluniacenſes, verum etiam omnes monachi in orbe romano degentes regulam Patris Benedicti a Caſſinenſi coenobio acceperunt; tum cancellarius: ergo ſi ex Caſſinenſi coenobio, tanquam a viuo fonte monaſticae religionis, norma manauit, iure ac merito Caſſinenſi abbati haec praerogatiua a romanis pontificibus conceſſa eſt, vt ipſe ſolus, qui Benedicti legislatoris eſt vicarius*, abbas abbatum *vocetur.* Praerogatiua autem illa data fuit a Paſchali II. in bulla ann. MCXIII. (z): *Ac tam te, quam omnes ſucceſſores tuos in omni conuentu epiſcoporum ſeu principum, ſuperiorem omnibus abbatibus conſidere, atque in iudiciis priorem ceteris tui ordinis viris ſententiam proferre decernimus.* Lotharius etiam imperator anno MCXXXVII. eandem dignitatem huic abbati confirmauit (a): *Vnde iterum atque iterum decernimus ---- vt ſupra*

u) Haec TAMBVRINVS *l. c. diſp.* 20. *quaeſ.* 4. *p.* 303. ex praxi cerem. ANDR. PISCATOR *lib.* 1. *ſect.* 9. *cap.* 9. deducit. x) LEO *Oſtienſis chron. Caſſ. lib.* 2. *c.* 53. *p. m.* 259. y) Id. *ibid. lib.* 4. *c.* 60. *p.* 483. z) in *bullar. Caſſin. tom.* 2. *p.* 130. a) ibid. *pag.* 157.

pra dictus locus vigore ac honorificentia omnia praecellat monaſteria, quae conſtructa vel conſtruenda ſunt in toto orbe terrarum, et totius chriſtianitatis abbates et monachi honorem et reuerentiam deferant. PETRVS etiam diaconus in *continuatione chronici Caſſinenſis* eiusque *prologo* abbatem Rainaldum appellat *patrem patrum* (b) et *abbatum abbatem* (c). Haec autem D. ANGELVS DE NVCE, Neapolitanus et abbas Caſſini centeſimus trigeſimus ſextus, recte monet (d) intelligenda eſſe, non de titulo auctoritatis in omnes, ſed praecellentia dignitatis, ob ſanctiſſimi patriarchae reuerentiam, cuius ſedem implet. Fuit quidem etiam in eccleſia Conſtantinopolitana dignitas quaedam, quae ἄρχων μοναστηρίων dicebatur (e), et apud Byzantinos Hegumenus ſeu abbas monaſterii Dalmati dicti, ceteris monaſteriis quoad ſupremam in diſciplina monaſtica poteſtatem praeerat, eoque nomine dicitur idem Dalmatus in concilio epheſino, πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης, πατὴρ μοναστηρίων. Ita *catholicus* ſeu abbas et hegumenus vniuerſalis appellatus S. Eutychius, antequam patriarchatum Conſtantinopolitanum conſequeretur, quod omnium in vrbe regia monaſteriorum cura ei demandata eſſet (f). Sed hi abbates cum Caſſinenſibus comparandi non ſunt, cum quod hi in toto orbe romano habent, illi ratione dignitatis in vrbe vna duntaxat habuerunt.

ABBAS CANONICVS et *canonicorum*, cuius epitheti mentio fit in concilio Aquisgranenſi (g): *Vt abbates canonici gregibus ſibi commiſſis inſtanter inuigilent.* His opponuntur canone ſequente *abbates monachorum.* Nec non in capitularibus Caroli M. (h): *Praecipimus, vt vnusquisque epiſcopus ſciat per ſingula monaſteria, quantos quisque abbas canonicos in monaſterio ſuo habeat. Et hoc omnino ambo pariter prouideant, vt ſi monachi fieri voluerint, regulariter viuant; ſin autem canonice viuant omnino.* Quem locum ita explicat is, qui ſtatuta collegit, quae S. Bonifacio tribuuntur (i): *Vt diligenter vnusquisque epiſcopus in ſua parochia praeuideat, vt vbi monaſterium monachorum fuerit, ſi regulariter viuant et monachice: vbi*

b) *prolog. lib.* 4. *p.* 423. c) *ibid. p.* 425. d) in *not. ad l.* 4. *c.* 60. *p.* 483. e) cuius meminit THEOSTERICTVS in *vita S. Nicetae, num.* 43. et IO. CANTACVZENVS *lib.* I. *c.* 50. f) vt tradit EVSTATHIVS in *illius vita num.* 18. g) *cap.* 2. h) *lib.* 5. *cap.* 144. *p. m.* 853. i) *tom.* 9. *Spicileg. Dacheriani p.* 64. *cap.* 12.

Digitized by Google

vbi autem canonica vita fuerit, bene et canonice viuant. Id ergo vult, illa verba capituli ſumenda eſſe de diſtinctis monaſteriis canonicorum et monachorum, quibus monaſterii appellatio tunc communis fuit. Hoc vti verum eſt, ita et iſtud a temporibus illis alienum non eſt, quod abbatis nomen tributum fuerit praefectis canonicorum et monachorum. Sed et de vno eodemque monaſterio puto dici poſſe, quod ibi fuerit primum abbas monachorum, dein mutato illius ſtatu, abbas canonicorum, imo ibidem eodem tempore quondam abbas fuit abbas canonicorum et monachorum. Ea enim olim in Gallia erat regum poteſtas, vt canonicos interdum pellerent a monaſteriis, vt monachos ſubſtituerent, hos vero, ſi res ita ferret, dein exturbabant, vt canonicos reducerent: quod multis exemplis probari poteſt. Praeterea, poſtquam Carolus M. facultatem dediſſet perſonis eccleſiaſticis, vt aut pleniter ſecundum canonicam aut ſecundum regularem inſtitutionem viuere deberent (k), multi monachi monaſticam vitam et habitum deſeruerunt, canonicamque elegerunt vitam. Exinde factum eſſe videtur, quod nomen abbatis, antea vſitatum, retinuerint. Alterum, quod in eodem monaſterio quis fuerit abbas canonicorum et monachorum, colligi poterit ex *praecepto Ludouici Pii de ordine monaſtico reſtituto in monaſterio S. Dionyſii* (l); in quo ſub abbate Hilduino fuerunt quidam monaſticam vitam et habitum deſerentes, et alii profeſſionem ſuam priſtinam obſeruantes, licet in cella monaſterii. Confer BALVZIVM ad capitularia (m) et notis ad Lupum abbatem Ferrarienſem (n). Etiam inferioribus temporibus canonici regulares habebant ſuos abbates, vt ex decretalibus (o) conſtat, vbi quidam canonicus regularis transiuit ad monachos, poſtea ad cor reuerſus, rediit ad ſuos canonicos, a quibus fuit creatus abbas; nec non vbi canonici regulares ſuum accuſarunt abbatem (p). Adhuc hodie quoque plurima ſunt monaſteria canonicorum regularium, quae habent abbates, vt Pariſiis

k) *Capitular. lib.* 1. *c.* 69; licet ibi dicatur, quod epiſcopus eorum regere debeat vitam, ſic abba monachorum. l) quod legitur inter capitularia regum Francorum *ad ann.* 832. *Tom. I. p.* 675. *ſqq.* m) in *not. T.* 2. *p.* 1115. n) *p. m.* 372. *ſqq.* o) cap. *Intelleximus. de aetat. et qualit.* p) cap. *Cum I. et A.* de *ſentent. et re dicat.*

Digitized by Google

ſiis eſt abbatia S. Victoris, Neapoli S. Petri ad aram, Papiae in coelo aureo, Vercelli S. Andreae et S. Marci, in Sabaudia S. Mauritii, etc. (q). Nec illud tacendum eſt, quod MOLANVS notauit (r), eſſe quasdam canonicorum eccleſias, in quibus abbas eſt ſecularis, praepoſito dignior, cuiusmodi in dioeceſi Leodienſi 12. recenſentur in *chronico Leodienſi* in RICHARIO (s); qui quidem abbates nominetenus ita nuncupantur, nullo caeteroquin abbatum habitu, atque adeo nec mitra nec pedo donati, etſi primum in canonicorum conſeſſu locum obtineant. Negat porro idem MOLANVS hanc abbatum nomenclaturam ſupremae collegiorum canonicorum dignitati inditam, quod in iis, vbi ſupereſt, eccleſiis vel collegiis primitus monachi fuerint; cum pro certo haberi debeat in plerisque, vbi adhuc viget appellatio, neutiquam monachos extitiſſe. Recte reſtringit MOLANVS ſuam negationem ad quasdam duntaxat eccleſias, cum alias de omnibus, iuxta ante adducta, id dici nequeat.

ABBAS CAPELLAE *palatinae*, qui palatinis oratoriis et ſacellis praefectus erat. Talis fuiſſe legitur *Ruſticus*, tandem epiſcopus Cadurcenſis (t): *Ruſticus e primis pubertatis annis clericus factus, archidiaconatus officium in vrbe Ruthena et abbatiae ſub Lothario rege adminiſtrauit.* Et poſtea (u): *Ruſticus (vt praefati ſumus) abbatiam palatini oratorii, quod regalis frequentat ambitio, et archidiaconatus officium geſſit.* Similiter de Chlotario rege notatur: *Illico epiſcopum poſcit, vti pro ſalute ſua ac exercitus ſui licentia daretur, vt vir beatus in ſuis caſtris abbatis officio potiretur*, id eſt, vt capellae regiae praeeſſet. Eandem abbatis dignitatem ANGILBERTO archicapellano ſub Carolo M. tribuit Adrianus PP. *Directus nobis eſt a veſtra praecelſa regali potentia fidelis familiaris veſter Angilbertus abbas et miniſter capellae.* Is *primicerius palatii* dicitur ALCVINO (x), vt Angilrannus archiepiſcopus, *ſanctae capellae primicerius.* Hilduinus apud AGOBARDVM (y), *ſacri palatii* antiſtes; qui *abbas ſacri palatii et clericorum ſummus* dicitur apud HINCMARVM (z). Vide infra *Capellanus.*

ABBAS

q) TAMBVRIN. *l. c. diſp.* 25. *q.* 1. *p.* 356. r) *lib.* 1. *de canon. cap.* 5. s) *cap.* 43. t) Vita *S. Dionyſii epiſcopi Cadurcenſ. cap.* 1. u) *ibid. cap.* 2. x) *epiſt.* 42. *et* 79. y) in *epiſt. ad proceres palatii.* z) *epiſt. ad Carolum C. de vita S. Dionyſii.*

Digitized by Google

ABBAS CARDINALIS, cui indultum eſt priuilegium et nomen cardinalis. Teſtatur hoc de abbate Cluniacenſi HVGO monachus Cluniacenſis, quando in epiſtola ad Pontium abbatem Cluniacenſem ſcribit, *Calixtum PP. cum Cluniacum veniſſet, communi ſuorum aſſenſu aſſidentium largitum eſſe Cluniacenſi eccleſiae ſpeciali et propriae ſuae, vt abbas Cluniacenſis ſemper et vbique romani fungatur officio cardinalis:* idque bulla ac priuilegio edito ſtatuiſſe. Alia etiam notione *abbas cardinalis* in bulla Vrbani II. anno MXCVII. apud IO. MABILLONIVM (a) occurrit: *Placuit ---- vt vtrique loco, ſicut antea fuerat, abbas cardinalis reſtitueretur*, etc. id eſt, *abbas in capite;* (vt habet charta Guilelmi epiſcopi Trecorenſis apud AVGVSTINVM DV PAS in ſtemmate Penteurienſi (b), *abbé en chef, en titre:*) agitur enim de duabus abbatiis ſimul vnitis et hac bulla a ſe diuulſis, quibus dati abbates proprii ac *cardinales.*

ABBAS COMMENDATARIVS eſt, cui plures abbatiae traduntur (c). Olim quidem ſingula monaſteria habebant proprium abbatem regularem, nec poterat vnus idemque abbas praeeſſe diuerſis monaſteriis (d); ſed vitio ſeculi et nimia indulgentia principum, imo et pontificum factum eſt, vt plures abbatiae vni et eidem abbati traderentur ob gratiam principis, vel merita in rempublicam, vel vrgentem neceſſitatem: vna ſcilicet in titulum et nomine abbatis, alia vel aliae procurationis ſeu cuſtodiae, ſiue commendationis nomine. Sic Hilduino abbati S. Dionyſii et archicapellano palatii a Ludouico pio conceſſae ſunt procurationis titulo abbatiae S. Medardi Sueſſionenſis et S. Germani Pariſienſis, teſte AIMOINO (e): *Ipſe autem venerabilis abbas praefatus Hilduinus inter plurima, quae ei auguſtali benignitate commiſſa fuerant monaſteria, habebat procurationem coenobii nobilis in proſpectu vrbis Sueſſorum, quod Clotharius quondam rex Francorum filiusque eius Sigebertus, in honorem beatiſſimi Medardi confeſſoris Chriſti, magnis conſtruxerant ſumtibus, in quo et eius ſacratiſſima tumulauerant membra.* Similï modo *praedi-*

a) *tom.* 4. *vitar. ordinis S. Benedicti*, *p.* 448. b) *pag.* 17. c) Vid. ALTESERRA *Aſcet. lib.* 2. *cap.* 6. *p.* 94. *ſqq.* et TAMBVRINVS *l. c. diſp.* 4. *qu.* 1. *ſqq. p.* 24. *ſqq.* d) can. *Monachum* 20. *quaeſt.* 4. can. *Vnum abbatem.* 21. *q.* 1. e) *lib.* 4. *c.* 114.

praedictus abbas poſt deceſſum Irminonis regebat locum S. Vincentii leuitae et martyris in ſuburbano vrbis Parchiſiacae, vbi pretioſus Chriſti confeſſor Germanus requieſcit etc. Eodem et peiori vitio temporis abbatiae commendatae ſunt epiſcopis. Abbatiam enim S. Germani vacantem morte Hilduini abbatis, Ebroino epiſcopo Pictauienſi conceſſit idem Ludouicus pius, commendae ſeu procurationis nomine, teſte eodem AIMOINO (f): *Imperator porro praefatum epiſcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remiſit, dans ei regimen abbatiae S. Germani Parchiſienſis: nam Hilduinus abba vita deceſſerat.* Abbatiam S. Galli apud Heluetios vna cum epiſcopatu Aquileienſi tenuit Vdalricus, teſte BERTHOLDO Conſtantienſi presbytero (g): *Dominus Vdalricus, qui abbatiam S. Galli et Aquileienſem epiſcopatum, non intrando per oſtium, obtinuit.* Etiam in vrbem Romam iam a temporibus Nicolai I. irrepſit idem vitium, dum Zachariam epiſcopum Anagninum procuratorem ſeu adminiſtratorem fuiſſe monaſterii S. Andreae ad cliuum Scauri in vrbe, quod a beato Gregorio in aedibus propriis extructum eſt, refert IOANNES diaconus (h): *Reuerendae quoque memoriae Nicolai pontificis tempore regimen eiusdem monaſterii Zacharia ciuitatis Anagninae praeſule, ſicut hodie ſupereſt, procurante.* Et idem (i): *Zacharia epiſcopo, de quo praefatus ſum, Gregoriani monaſterii curam gerente.* Abbatiam Abbendonienſem Gothofredo epiſcopo S. Aſaph in Wallia cuſtodiae nomine conceſſit Henricus II. rex Anglorum, vt refert ROGERIVS *Hovedenus* ad annum MCLXXV: *Henricus II. Gothofredo epiſcopo S. Aſaf in Wallia dedit abbatiam Abbendonianam vacantem in cuſtodiam, donec ad propriam ſedem, quam deſerere coactus fuerat, rediret.* Scilicet iam a temporibus Leonis IV. Italia peſſundata infeſtis Saracenorum armis, et plerisque eccleſiis paſtore deſtitutis, ne vacuae et miniſterii expertes iacerent, facile ab hoc pontifice conceſſum eſt, vt quis plures eccleſias ſeculares vel regulares obtineret, vnam in titulum, alteram in commendam (k). Vide plura infra in voce *Commenda.* Gaudent

C autem

f) *libr.* 5. *cap.* 19. g) *chronic. ad ann.* 1093. h) in *vita Gregor. lib.* 4. *cap.* 93. i) *loc. et libr. cit. cap.* 97. k) can. *Qui plures.* 21. *quaeſt.* 1.

Digitized by Google

autem abbates commendatarii commodo fructuum, quaſi titulares, etiam ipſa collatione beneficiorum et iuribus honorificis: puta iudices dantur a ſummo pontifice, et mandata apoſtolica exequuntur, vocantur ad ſynodos dioeceſanos et prouinciales; ſed non habent correctionem et diſciplinam religioſorum: ea enim pertinet ad Priorem clauſtralem (l); nec poſſunt recipere profeſſionem monachorum, inſtituere vel amouere Priorem clauſtralem, niſi ſint cardinales, quibus abbatiae pleniori et pinguiori iure commendantur (m).

ABBACOMITES, ABBICOMITES, vide infra *Abbas laicus.*

Abbates interdum dicti, quos *Curatos primarios* appellamus. Nam ex veteribus inſtrumentis conſtat, parochiales omnes eccleſias et ciuitatis et dioeceſis habuiſſe miniſtrum vnum maiorem, alterum medium, tertium infimum. Miniſter maior dicebatur *abbas, cuſtos*, et tandem dictus eſt *rector*. Miniſtri medii dicebantur *presbyteri* et tandem *capellani*. Miniſter infimus appellabatur *ſacriſta*, qui abbati et presbyteris inſeruiebat, et quae in eccleſia minora ſunt officia, peragebat. Presbyteri ſeu capellani habebant curam animarum *in actu*, id eſt, habebant actuale exercitium curae, cum miſſas celebrarent et ſacramenta plebi adminiſtrarent. Abbas vero ſeu rector habebat curam *in habitu*, eique licebat per ſeipſum miniſtrare ſacramenta, ſed praeſertim illius id erat muneris, vt ſuper vniuerſam parochiam inuigilaret, videretque, ſi presbyter officio ſuo recte fungeretur (n).

ABBATES EPISCOPI dicti olim in Sicilia, Catanae et Montis regalis abbates: quia cum a regibus Siculis extructa eſſent iis in locis monaſteria, eorum abbates poſtmodum a ſummis pontificibus epiſcopi creati fuere, eorumque eccleſiae, cathedrales factae; hac tamen conditione, vt qui abbas a monachis eligeretur, eſſet et epiſcopus. Bulla Vrbani II. pro electione epiſcopatus Catanenſis apud ROCCHVM PIRRVM: *Praeſenti decreto ſtatuimus,*

l) Cap. *Cum ad monaſterium.* §. *Abbates. de ſtatu monachor.* m) CHOPPIN. *lib.* 1. *Monaſt. tit.* 1. *num.* 2. n) Haec, teſte DV FRESNE *l. c. p.* 12. MICHAEL *Monachus* in *ſanctuario Capuano*, qui huius rei aliquot exemplo profert. Addatur VGHELLVS *Ital. ſacr. tom.* 7. *p.* 506. *ſqq.* et *p.* 601.

tuimus, vt ----- quicunque in praedicta eccleſia a monachis electus fuerit in abbatem, idem populo quoque praeeſſe debeat in antiſtitem. ----- Idemque abbas et epiſcopus et monaſterium regulariter, et clerum et populum vniuerſum canonice rege domino opitulante procuret. Ita Theobaldus primus Montis regalis monaſterii a Guillelmo rege Siciliae anno MCLXXVI. conditi abbas, in variis chartis *abbas et epiſcopus regalis monaſterii S. Mariae nouae*, ſeu *abbas et epiſcopus* nude inſcribitur apud eundem PIRRVM. Vide infra in *Epiſcopus abbas.*

ABBAS EXEMTVS, qui a iurisdictione epiſcopi ſiue ordinarii liber, et a romana ſede vnice dependet, ex ſpeciali priuilegio. Hinc electio illius requirit confirmationem ſummi pontificis, vel legati, qui eſt in prouincia (o): quia ſummus pontifex eſt ordinarius exemtorum (p). Porro, ſi benedicitur, non tenetur edere profeſſionem ſubiectionis; et praeterea a quocunque epiſcopo benedictionem ſuscipere ei licet citra profeſſionem. Hoc iure Malmesburienſis abbas, dicens ſe exemtum, contendebat ſuo iure ſe benedictionem accepiſſe a Laudunenſi epiſcopo, omiſſo Sarisberienſi, in cuius dioeceſi ſitum eſt Malmesburienſe monaſterium: de quo PETRVS *Bleſenſis* ita ſcribit (q): *Abbas teſtibus nitebatur aſſerere, deceſſores ſuos benedictiones a quibus volebant epiſcopis pro ſuo lubitu citra profeſſionis vinculum ſuscepiſſe.* Ob id Wilhelmus abbas S. Germani de Pratis, pulſus a monachis, reſtituto Reinaldo deceſſore, qui abbatia ceſſerat, quia ab epiſcopo Pariſienſi benedictionem recipiens, ei profeſſionem feciſſet, ne exemptioni fraus fieret (r). Idcirco Bernardum abbatem maioris monaſterii valde increpabant monachi, quod benedictionem accepturus, Turonenſi archiepiſcopo ſubiectionem promiſiſſet: de quo tamen eum tuetur IVO *Carnotenſis* (s): *De caetero quod calumniantur, non recte vos feciſſe, quod ante benedictionem promiſiſtis obedientiam ſedi metropolitanae, vana vel nulla calumnia eſt: quomodo enim connexa ſibi ad inuicem poterunt eſſe membra corporis Chriſti, niſi diſpenſatores canonicarum vel monaſticarum congregationum eam obedientiam*

o) Cap. *Nihil eſt. de electione.* cap. *Si abbas.* eodem *tit. in 6.* p) cap. *Si auctoritate. de priuilegiis in 6.* q) *epiſt.* 68. r) *Continuator* AIMOINI *lib.* 5. *cap.* 51. s) *epiſt.* 73.

tiam exhibeant Praelatis ſuis, quam ſibi exhiberi volunt a ſubditis ſuis? Et profeſſionem abs Goffrido, Vindocinenſi abbate exemto, extortam per Ivonem Carnotenſem epiſcopum, irritam dixit Vrbanus II. et poſt eum Paſchalis II. de quo ipſe GOFFRIDVS (t). Quod ſi epiſcopus moram faciat in benedicendo abbate exemto, abbas poteſt impetrare mandatum a ſummo pontifice, vt epiſcopus compellatur munus benedictionis tribuere (u). Vel mandante pontifice poteſt ſuſcipere benedictionem ab alio quovis epiſcopo.

Quandoque etiam recuſante epiſcopo abbates exemti petere ſolent benedictionem a ſummo pontifice. De electo abbate S. Auguſtini Cantuarienſis memoratur, quod cum Richardus archiepiſcopus Cantuarienſis ludificaretur eum benedicere in ipſo monaſterio, iuxta reſcriptum impetratum per electum ab Alexandro III. Romam profectus benedictionem accepit ab ipſo pontifice (v). Vdalricum Augienſem abbatem benedixit Leo IX. teſte HERMANNO *Contracto* (x): *Leo IX. in proximo paſcha Vdalricum Augienſis coenobii prouiſorem Romam venientem abbatis benedictione conſecrauit.* Vide infra *Exemtio.*

ABBAS NON EXEMTVS a iurisdictione epiſcopi ſeu ordinarii liber non eſt. Hinc illius electio requirit confirmationem ordinarii (y), et ab eodem benedictionem accipere debet. Si vero epiſcopus abbatem benedicere renuerit, poſt trinam conuentionem abbati licet proprios monachos benedicere, et alia, quae pertinent ad officium, exercere, donec epiſcopus duritiem recogitet, et abbatem benedicere non recuſet (z). Tenetur autem abbas non exemtus in ſui benedictione edere epiſcopo ſolennem profeſſionem ſubiectionis, obedientiae et reuerentiae, ſaluo ordine ſuo, id eſt, regula, qualem ſolebant praeſtare abbates Ciſtercienſis ordinis, cuius formulam dedit Honorius III (a). *Ego frater abbas Ciſtercienſis ordinis ſubiectionem, et reuerentiam et obedientiam a ſanctis patribus conſtitutam, ſecundum regu-*

t) *lib.* 2. *epiſt.* 11. et 27. u) cap. *Meminimus. de accuſat.* v) ROGER. HOVEDEN. *ad ann.* 1177. x) in *chronico ad ann.* 1049. y) *leg.* 47. *cod. de epiſc. et cleric.* z) cap. *Statuimus. de ſupplend. neglig. praelat.* a) cap. *Ne Dei eccleſiam. de Simonia.*

Digitized by Google

regulam S. Benedicti, tibi, domine Epiſcope, tuisque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis, et ſanctae ſedi apoſtolicae, ſaluo ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto. Huiusmodi profeſſio praeſtabatur ex ſcripto, interpoſito iureiurando ſuper ſigno ſacrae crucis. ARNVLFVS *Lexouienſis* id teſtatur (b): *Noſſe ſiquidem debes, in eo, qui religionem profeſſus eſt, inobedientiam crimen eſſe, ipſumque ad exactiſſimam diligentiam teneri, qui obedientiam Praelato ſuo viua voce et ſcripto, iuramento etiam corporaliter interueniente, adhibita ſalutiferae crucis impreſſione ſignauit.* Profeſſionem hanc ab abbate, cum benedicitur, epiſcopo praeſtari, non graue, ſed ſuperfluum duxit ANSELMVS (c), eleganti ratiocinatione. *Scimus enim*, inquit, *quia ſemper profiteri ore et opere exhibere debemus maioribus noſtris regularem obedientiam, quam ſcripto repetere, quamdiu eam non abnegaſſe cognoſcimur, ſuperfluum certe eſt. Quod ſi quis nos vult cogere, cum ad abbatiae praelationem promouemur, ſine vlla ratione fieri videtur: cum enim profeſſi ſumus confeſſionem morum noſtrorum, vtique promiſimus obedientiam, non ſolum abbatibus, nec ſolum quamdiu eſſemus ſub abbate, ſed omnibus maioribus noſtris et quamdiu viuemus* etc.

ABBAS LAICVS (d) olim erat vel dux, vel comes, vel nobilis, vel miles, cui Franciae praecipue reges eccleſias et monaſteria ob neceſſitates reipublicae, eiusque tuitionem conceſſerunt. Primus id fecit *Carolus Martellus*, qui cum non haberet, fiſco diutius bellis tum ciuilibus, tum ſaracenicis exhauſto, vnde ſtipendia militibus praeſtaret, comitibus et militibus decimas, eccleſias et monaſteria iure beneficii ad tempus vel in perpetuum poſſidendas adſcripſit. Ob hoc factum quidam (e) finxerunt, eum *aeternaliter perditum* ſeu damnatum fuiſſe. *Carolus* M. etſi rerum eccleſiae ſtudioſiſſimus defenſor, iniquitati temporum conſulens, aeque comites et viros nobiles abbatiarum beneficio ſibi conciliare conatus eſt: et hoc ſenſu abbates, id eſt, beneficiarios laicos quam plures per Aquitaniam inſtituit, teſte

b) ad abbatem S. Ebrulfi. c) *lib.* 2. *epiſt.* 52. d) ex ALTESERRA *l. c. cap.* 7. *p.* 97. *ſqq.* FRESNE *gloſſ. lat. p.* 12. *ſqq.* e) BARON. *annal. ad ann.* 889. *n.* 31. Vid. HVGON. FLAVINIAC. in *chronic. p.* 107.

Digitized by Google

teſte AIMOINO (f): *Carolus ordinauit per totam Aquitaniam comites abbatesque, nec non alios plurimos, quos Waſſos vulgo vocant.* Et infra (g): *Quibusdam abbatiolas, ſicut erant integras dedit; quibusdam de abbatia Martiniana beneficiola donauit.* Eodem beneficii genere comites ſibi obſtrinxit et *Ludovicus* pius, vt idem auctor habet (h): *Ludovicus, quos potuit, conciliauit ſibi, dans eis abbatias, comitatus et villas. Carolus* Caluus quoque bellis ciuilibus attritis rebus, abbatias paſſim distribuit, vt Odulfo comiti dedit cellam S. Iodoci (S. *Ioſſe*) ademtam coenobio Ferrarienſi (i). Vnde manauit, vt comites et alii viri militares monaſteriorum incubatores abbatum nomen ſuum facerent. Hoc ſenſu Robertus, et poſt eum Hugo, vt comites Pariſiorum et duces Françorum, et coenobii S. Germani Pariſienſis beneficiarii, abbates ſeſe inſcribebant, teſte AIMOINO (k): *Tamen vigore decedente regum Robertus comes Pariſiorum, qui marchio Francorum vocabatur, frater videlicet Odonis regis, ea, quae abbates accipiebant, ſibi addixerunt, et ſtatuentes decanos monachis ſibi nomen abbatis vſurpauerunt.* Et alibi (l): *Interea baptizati ſunt quidam Normanni ab Hugone abbate et marchione et Hugo Capetius poſtea rex Françorum abbicomes vocabatur.* GERBERTVS ad Geraldum abbatem Aureliacenſem (m): *Qui ſtatus penes vos ſit, ſcire cupio, et an Hugo, quem veſtra lingua abbicomitem dicitis, vxorem duxerit.* HVGO *Flauiniacenſis* in Chronico (n): *Cui tamen plurimum reſtitit Hugo Antiſiodorenſis, qui abbicomes dictus eſt, cuius cognatam Conſtantiam Robertus* (rex) *habebat vxorem.* Et geſta conſulum Andegauenſium (o): *Nam recepta eſt chriſtiana deuotione et fidelitate poteſtas illa, quae ſuo tempore cum reuerentia pia et humilitate abbacomitatus eſt dicta, a ſucceſſoribus vero eius in arrogantius vocabulum, quod eſt Ducamen, mutata.* Et infra (p): *Per Hugonem abbacomitem Sueſſionis epiſcopus factus.* In charta Caroli Calui anno DCCCLXIV. (q) legitur *Adelinus comes, qui et largitu noſtro rector monaſterii S. Petri* et

f) *lib.* 5. *cap.* 1. g) *eod. libr. c.* 34. h) *ibid. cap.* 36. i) LVPVS FERRARIENS. *epiſt.* 88. k) *lib.* 5. *cap.* 34. l) *eod. libr. cap.* 35. m) *epiſt.* 17. n) *part.* 2. *cap.* 15. o) *cap.* 4. *n.* 1. p) *num.* 3. q) in *cod. donat. piar.* MIRAEI *lib.* 1. *c.* 18.

Digitized by Google

et S. Bauonis, quod vocatur Gand etc. Aliquot exempla abbacomitum congeſſit BESLIVS in hiſtoria comitum Pictauienſium (r). Hoc etiam ſenſu Hucbertus comes, germanus Thietbergae reginae, abbatem ſe nuncupabat, vt habet REGINO Prumienſis (s): *Lotharius Hucberto abbati inter Iuram et montem Iouis commiſit, eo quod nunc fideliſſimus putaretur, vtpote affinitate coniunctus propter ſororem Thietbergam.*

A regibus autem dabantur abbatiae laicis, vel in allodium, vt colligitur ex ſynodo Meldenſi (t): *Prouidendum eſt regiae maieſtati, vt monaſteria, quae et infra et nunc in allodium ſunt data, quapropter omnis exinde religio funditus eſt euerſa, qualiter vota fidelium inconuulſa permaneant.* Et iterum eadem ſynodus (u): *Monenda eſt ſolertia regia, vt ſtrenuos et fideles miſſos per regnum ſibi commiſſum dirigat, et inueſtigent ac diligenter imbreuient res eccleſiaſticas, quas per ſubreptionem atque ignorantiam quorumcunque in allodium ipſe aut pater ſuus donauit.* Vel in beneficium ſeu feudum, ſub onere ſeruitii militaris, quod indicant annales Fuldenſes ad annum DCCCLXXXI. *Rex* (is eſt Carolus III.) *poſt paſcha in Galliam profectus, Hugonem Hlotharii ex Waldruda filium ad ſe venientem in ſuum ſuscepit dominium, et ei abbatias et comitatus in beneficium dedit, vt ei fidem ſeruaret.* Et BALDERICVS *Nouiomenſis* (x): *Tunc temporis abbas comes abbatiunculam B. Humberti, cui epiſcopum Stephanum rex Carolus praefecerat, poſſidebat, ipſamque regiam ac locupletem abbatiam ſanctiſſimi Gaugerici cum omnibus appendiciis ſibi beneficiatam de regio iure tenebat.* Idem de monaſterio Altimontis (y): *Superuenientibus autem cauſis diuerſarum tempeſtatum, quas legimus, comitibus in beneficium traditum eſt, et ad tantum caſum paulatim deuoluitur, vt monachis quidem egeſtate coactis, paucorum clericorum cuſtodiae mandaretur.* Vnde factum eſt, vt comites abbates manſos vel praedia abbatiarum militibus ſeu clientulis ſuis in ſubbeneficium ſeu retro feudum darent: quod iterum teſtatur AIMOINVS (z), poſtquam dixerat, comites illos nomen abbatis ſibi vſurpare et monachis decanos ſtatuere: *Ea vero, quae tunc ſibi ex rebus ecele-*

r) *cap.* 1. s) *Chronic. lib.* 2. t) *can.* 41. u) *can.* 42.
x) *Chron. lib.* 1. *c.* 70. y) *ibid.* z) *lib.* 5. *cap.* 34.

Digitized by Google

cleſiaſticis vindicarunt, propriis militibus distribuerunt et iuri eccleſiaſtico ſubtraxerunt. Et NOTGERVS in vita S. Laudoaldi (a): *Poſt Normannicam autem repulſionem Thietboldus locum praelibatum, vbi corpora ſanctorum erant repoſita, a comite Flandrenſi abbatiam ſancti confeſſoris Chriſti Bauonis tenente, accepit iure beneficii, poſt eum Adelgaudus.* Imo tandem duces et comites Galliae ſibi arrogarunt hos titulos vt haereditarios, eosque cum bonis eccleſiaſticis, inclinata et profligata regum auctoritate, ad poſteros transtulerunt. Inde paſſim legimus, duces Aquitaniae *abbates S. Hilarii Pictauienſis* ſeſe inſcripſiſſe (b): comites Andegauenſes, *abbates S. Albani et S. Licinii* (c): comites Pontiuenſes, *abbates S. VVlfranni* (d): comites Viromandenſes, *abbates S. Quintini* (e). Exinde reges ipſi, qui illis ſucceſſerant, ſeſe perinde abbates inſcripſerunt, vt reges Philippus I. Ludouicus VI. atque adeo Duces Aurelianenſes *abbates monaſterii S. Aniani Aurelian.* inſcripti leguntur apud HVBERTVM in hiſtoria eiusdem eccleſiae. Chronicon Turonenſe ſequentia habet: *Obiit Hugo praepotens abbas eccleſiae beatiſſimi Martini et dux Francorum. Inde Galliae reges ſibi nomen aſſumunt abbatis protectoris S. Martini: et in primo ingreſſu regis in eccleſiam recipitur cruce erecta a clero eiusdem eccleſiae: et praeſtat iuramentum conſeruationis priuilegiorum.*

Nec ſolum militiae, ſed etiam mundo muliebri et reginarum illuſtriumque matronarum ſumtui inſeruiere abbatiae. A Carolo Simplici defecit Hugo comes Pariſienſis, quod Hagavoni comiti, conſiliorum omnium participi, ereptam Rothildi ſocrui ſuae Calenſem abbatiam virginum tranſcripſiſſet, vt narrat FLODOARDVS ad annum DCCCCXXII. Laudunenſi abbatia Gerbergam matrem multauit Ludouicus transmarinus, quod ſe inſcio Heriberto comiti Veromanduenſi enupſiſſet, auctore eodem ad ann. DCCCCLI. Foedam hanc labem tulerunt aut diſſimularunt quidam pontifices. Extat enim Adriani II. epiſtola VIII. ad Lotharium, qua eum hortatur, vt Thietbergae a toro repulſae, donec

a) ap. SVRIVM d. 19. Martii. b) apud BESSIVM *p.* 253. 269. 283. *ſqq.* 449. 451. c) ap. SAMMARTHANOS in *epiſcop. Andegauenſ.* et GALLAND. *lib. de Franco allod.* d) in *hiſt. eccl. Abbavillenſi lib.* 1. *c.* 60. e) ap. HEMEREVM in *Auguſta Viromanduorum in Reg. p.* 30. *ad* 35.

Digitized by Google

donec ei concilietur, abbatias, quas promiſerat, praeſtet in ſumtum alimoniae. *Habeatque in poteſtate ſua ipſa abbatias, quas ei dare ipſe ore proprio promiſiſti, de quarum ſumtibus atque reditibus neceſſaria posſit habere ſtipendia dignaque ſubſidia.* Idem colligimus ex IOANNIS VIII. PP. epiſtola CXLIII. *Vt de abbatia S. Augentii, quam diuae memoriae Carolus imperator fideli ſuo et filio eccleſiae noſtrae iure beneficiario tribuit.*

Huiusmodi autem abbates laici decanos impoſuerunt, eisque relicta particula, reliquum ſibi adſcripſerunt, vt ſupra ex AIMOINO obſeruatum fuit: praeterea in ipſis monaſteriis cum vxore et liberis et ſeruorum grege et apparatu venatico habitarunt. Notauit hoc ſynodus Meldenſis canone X. *Peruentum eſt ſiquidem ad nos, quod auditu lugubre et dictu nefas actuque horribile ac nimis triſte dignoſcitur, quia contra omnem auctoritatem, contra patrum decreta et totius chriſtianae religionis conſuetudinem, in monaſteriis regularibus laici in medio ſacerdotum et leuitarum ac ceterorum religioſorum virorum, vt domini et magiſtri reſideant, et velut abbates de illorum vita et conuerſatione decernant.* Et concilium Trosleianum canone III. *Nunc autem in monaſteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum et ſanctimonialium, abbates laici cum ſuis vxoribus, filiis et filiabus, cum militibus morantur et canibus.* Interdum etiam monachis ipſis praeerat monachus cum nomine et titulo abbatis. Deſcripſit GALLANDVS (f) chartam continentem controuerſiam inter monachos S. Albini, et canonicos S. Licinii Andegauenſis, in qua dicitur vtrosque habuiſſe *abbates: monachos, monachum nomine Hincbertum: canonicos, laicum nomine Totbaudum;* et controuerſiae iudicem delegiſſe *comitem Fulconem vtrorumque abbatum archiabbatem*, vtpote qui praedia harum eccleſiarum posſidebat, eoque nomine abbatem ſeſe inſcribebat. Ea certe lege laicis abbatibus monaſteria a regibus fuere commiſſa, vt cuncta ex conſilio epiſcoporum agerent, locorum haberent curam et congregationes paterno affectu gubernarent, atque neceſſaria ſuppeditarent. Conſtat id ex capitulari Ludouici pii de admonitione ad abbates et laicos pro monaſteriis ex regali largitate ſibi commiſſis (g): *Abbatibus quoque et laicis ſpecialiter iubemus,*

f) in *tract. de Franco allodio p.* 295. g) *ann.* 823. *c.* 8. *p. m.* 635. *et lib.* 2. *capitular. c.* 8. *p.* 738.

mus, vt monaſteriis, quae ex noſtra largitate habent, epiſcoporum conſilio et documento ea, quae ad religionem canonicorum, monachorum, ſanctimonialium pertinent, peragant, et eorum ſalubrem admonitionem in hoc libenter audiant et obediant. Et libro quinto capitularium (h): *Abbatibus canonicis et regularibus et abbatiſſis, quae ſanctimonialibus praeeſſe videntur, ſiue laicis, qui monaſteria habent, omnino praecipimus, vt de ipſis magnam curam habeant, et ceteris bonum exemplum praebeant, et religioſe, ſicut decet, conuerſentur, et quod vniuscuiusque profeſſioni inconueniens eſt, et in ſacris canonibus prohibetur, omnino caueant, et loca ſibi a nobis propter aliquam neceſſitatem conceſſa deperire et deſtrui propter negligentiam non dimittant, et congregationes ſibi commiſſas ſiue ſpiritualiter ſiue temporaliter paterno affectu gubernare, eisque neceſſaria ſtipendia adminiſtrare non negligant, ne forte propter aliquam inopiam et diuina officia negligantur et ipſae congregationes inreligioſius viuere compellantur. Et qui haec agere neglexerint, ſciant, ſe ea illis auferre, et religioſioribus dare.* Quantum vero multi abbates laici ab his ſalutaribus monitis receſſerint, ex antea adductis locis autorum conſtare poteſt.

Summi quidem pontifices et ipſi epiſcopi apud reges et principes, vt a monaſteriis ſeculares ſubmouerent, eccleſiasque monachorum iuri addicerent, ſubinde inſtiterunt; ſed id vix obtinuerunt, niſi ſub initium tertiae regum Francicorum ſtirpis; cum ii hac ſe excuſatione tegerent, res eccleſiaſticas ſublatas ex integro ſe reſtituere non poſſe, *ne ſuae reipublicae militiam defraudare viderentur*, vt eſt in epiſtola NICOLAI I. PP. ad Odonem epiſcopum Beluacenſem, apud LOISELLVM, in quo haec praeterea habentur: *In ſecularium vero manus atque poteſtatem ipſa monaſteria nulla deinceps ratione vel occaſione perueniant: quia non eſt leue ante oculos ſummi iudicis diſcrimen, religioſis locis et monaſteriis Deo dicatis ſecularem praeficere poteſtatem, et ei contradere paſtoralis curae ſollicitudinem, qui quid ſit paſtor, ignorat, nec quaerit lucrum animarum, ſed pecuniae cenſum: nec in diuinis cultibus ſeruitium impendatur, ſed vt ſuis vſibus ad dominationis votum deſeruiatur.* Dein concilium Trosleianum (i) omni-

h) *cap.* 313. *p.* 896. i) *can.* 4. et *lib.* 6. *capitul. cap.* 427. *p.* 1007.

Digitized by Google

omnibus interdixit iſtam monaſteriorum vſurpationem: *Omnibus, nos ipſos corrigentes, poſterisque noſtris exemplum dantes, generaliter interdicimus, vt nullus laicus homo, vel imperator, vel rex, aut aliquis praefectorum vel comitum, ſeculari poteſtate fultus, ſibi per violentiam rapiat, aut a nobis competere vel quocunque modo inuadere praeſumat monaſterium aut praedia vel quascunque res de poteſtate epiſcopi vel abbatis aut abbatiſſae, et incipiat ipſe vice abbatis regere et habere ſub ſe monachos, et pecuniam posſidere, quae fuit Chriſti ſanguine comparata. Talem hominem antiqui patres nominabant raptorem et ſacrilegum et homicidam pauperum et lupum diaboli intrantem in ouile Chriſti et maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Chriſti. De talibus memores eſtote ſcripturae S. Pauli apoſtoli ad Timotheum dicentis:* Diuitibus huius ſeculi praecipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo, qui praeſtat omnia. *Tales, ſi eccleſiae correctionem non recipiunt, ethnicis et publicanis ſunt ſimiles, quibus nec viuis nec mortuis communicat eccleſia Dei. Talibus, qui et hic et ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur, vt ſimul cum eis pereamus.* Talis cum iſtis temporibus fuerit ſtatus, laudanda omnino eſt Ottonis M. virtus, qui in ſummo rerum diſcrimine comitem Bauariae Laurishamenſem abbatiam in beneficium depoſcentem conſtantius repulit, palam conteſtatus, ſe nequaquam daturum ſanctum canibus (k).

Hactenus de illis abbatibus laicis, quibus a regibus et principibus conceſſa legimus monaſteria. Fuerunt vero et alii, qui iſta absque conceſſione inuaſerunt, ſibique et bona et nomen abbatis vindicarunt. In concilio Rhemenſi ſub annum DCCCXCIII. celebrato notatur Balduinus comes Flandrenſis, quod res monaſteriorum et nomen abbatis vſurparet: de quo FLODOARDVS (l) ex literis Fulconis archiepiſcopi Rhemenſis: *Quod eccleſiaſtica ſimul et legalia iura contemneret, res eccleſiaſticas et honores ſibi non conceſſos inuaderet, locum ſacri monaſtici ordinis peruadens, et abbatis ſibi nomen vſurpans: vnde communi decreto epiſcoporum iudicatum fuerat, eum auctoritatis canonicae anathemate feriendum.* Similiter quidam a clero conſtituti eccle-

k) LVITPRAND. *Ticin. l. 4. c. 15.* et ABBAS VRSPERG. in *Ottone I.* l) *lib. 4. hiſt. cap. 7.*

eccleſiarum defenſores apud Hibernos et Guallenſes degenerarunt in earundem vſurpatores, teſtante SILVESTRO GIRALDO (m): *Haec eccleſia et aliae plures per Hiberniam et Walliam, abbatem laicum habet. Vſus enim inoleuit et praua conſuetudo, vt viri in parochia potentes tanquam oeconomi, ſeu potius eccleſiarum patroni et defenſores a clero conſtituti, poſtea proceſſu temporis aucta cupidine totum ius ſibi vſurparent, et terras omnes cum exteriore poſſeſſione ſibi impudenter appropriarent, ſolum altaria cum decimis et obuentionibus clero relinquentes, et haec ipſa filiis ſuis clericis et cognatis aſſignantes. Tales itaque defenſores, ſeu potius eccleſiarum deſtructores, abbates ſe vocari fecere, et tam nomen indebitum, quam rem quoque ſibi aſſignari praeſumſere.*

ABBAS MILES etiam erat laicus abbas, de quo in praecedente titulo prolixe, ſpeciatim vero is ita nominabatur, qui certa abbatiae et monaſterii bona poſſidebat, eoque nomine ad eiusdem eccleſiae protectionem et tuitionem tenebatur. Ex tabulario regio huius rei teſtimonia produxit DV FRESNE (n), addens, eorum numerum apud Beneharnenſes et Bigorritanos propemodum infinitum fuiſſe, eosdemque eſſe, qui poſterioribus ſeculis *abbatiarii* dicti. Non duntaxat autem hi abbates milites a monaſteriis certa conditione acceperunt bona, ſed etiam exemplo ducum et comitum, bona eccleſiaſtica inuaſerunt, ea praecipue tempeſtate, qua bellis inteſtinis ac Normannorum irruptionibus tota conflagrabat Gallia (o).

ABBAS MITRATVS (p), cui epiſcopalia ornamenta, id eſt, mitram, ſandalia, chirothecas ac annulum deferendi a ſummis pontificibus indidem iura indulta ſunt: quod non epiſcopi duntaxat, quorum priuilegiis detrahebatur, grauius tulere, ſed ipſi interdum abbates non probauere, adeo vt eiusmodi mitratos acerbius perſtrinxerit S. BERNARDVS (q) ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum. *Verum aperte indicant quidam horum, quid cogitent, dum multo labore ac pretio apoſtolicis adeptis priuilegiis, per ipſa ſibi vendicant inſignia pontificalia,* *vten-*

m) *lib.* 2. *Itiner. Cambr. cap.* 4. n) *loc. cit. p.* 13. *ſq.* o) vid. CVIACIVM *lib.* I. *feud. cap.* I. CATELLVM in *hiſt. Occitan. p.* 627. *ſq.* MARCAM in *hiſt. Beneharn. lib.* II. *cap.* 28. p) Vid. FRESNE *l. c. p.* 15. ALTESERR. *l. c. lib.* 7. *c.* 15. *p.* 407. *ſq.* q) *epiſt.* 42.

Digitized by Google

vtentes et ipſi more pontificum, mitra, annulo atque ſandaliis. Sane ſi attendatur rerum dignitas, hanc monachi abhorret profeſſio: ſi miniſterium, ſolis liquet congruere pontificibus. Profecto eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt, meritoque non queunt eſſe ſubiecti, quibus iam ipſo ſe comparant deſiderio. Quodſi et nomen eis conferre poſſet priuilegiorum autoritas, quanto putas auro redimerent, vt appellarentur pontifices. Idem fecit PETRVS *Bleſenſis* ad Guillelmum abbatem (r): *Retulit mihi quidam nuntius veſter, qualiter dominus papa vos mitra proprii capitis et aliis ornamentis epiſcopalibus inſigniuit. De benedictione gaudeo, ſed inſignia epiſcopalis eminentiae in abbate nec approbo, nec accepto: mitra enim et annulus, atque ſandalia in alio quam in epiſcopo, quaedam ſuperba elatio eſt, et praeſumtuoſa oſtentatio libertatis. Talium vſus eſt in eccleſiis dedicandis, in conſecrandis virginibus, in ordinibus celebrandis. Quare igitur his vtitur, aut potius abutitur, qui vti talibus probibetur?* Sub initium ſeculi duodecimi videntur haec talia abbatibus, quorum aliqui ea non ambierunt, alii autem multo labore quaeſiuerunt, a pontificibus primum conceſſa; licet quidam velint, iam ante hoc ſeculum abbates aliquos vſum mitrae habuiſſe, de quo infra in voce *Mitra.* Ex eo tempore tam late hoc priuilegium fuit indultum, vt non duntaxat vetus epiſcoporum querela legatur (s), *monachos iura epiſcoporum inſatiabiliter concupiſcere;* ſed etiam offenderentur epiſcopi, quod in conciliis et ſynodis abbates, quibus ius mitrae erat, ab epiſcopis non diſtinguerentur, et hac ratione naſceretur confuſio dignitatum. Hinc Clemens IV. hunc modum adhibuit, vt in conciliis et ſynodis abbates exemti mitris auri phrygiatis, ſed abſque gemmis, laminisque aureis vel argenteis vterentur: non exemti, ſimplicibus, et albis ac planis; in aliis vero vtrisque mitris liceret vti, quas ſedis apoſtolicae indulta permiſerint (t). Decretum huius pontificis ita ſe habet: *Vt apoſtolicae ſedis benignitas, (quae nonnullis abbatibus aliisque praelatis, quibus non competit ex propria dignitate, conceſſit in eccleſiarum ſuarum gloriam et honorem, quod mitra et*

r) *epiſt.* 90. adde THOMAM CANTIPRATANVM *lib.* I. *de apib. cap.* 6. s) *Chron. Caſſin. lib.* 4. *cap.* 78. *p. m.* 507. t) cap. *Vt apoſtolicae, de priuileg.* in 6.

Digitized by Google

et aliis pontificalibus vti poſſint,) prouideat, ne inde ſcandala oriantur, ſic tamen, quod ipſi priuilegiati ſuorum priuilegiorum non fruſtrentur effectu, et ex maioritate ac decore maiori ornatuum, maioritas appareat dignitatum: de fratrum noſtrorum conſilio praeſenti decreto ſtatuimus, vt abbates et alii, quibus mitrae vſus eſt ab eadem ſede conceſſus, exemti quidem in prouincialibus conciliis et epiſcopalibus ſynodis (quibus nonnulli eorum intereſſe tenentur) mitris tantummodo aurifriſiatis (non tamen aureas vel argenteas laminas aut gemmas habentibus) vti poſſint: non exemti vero ſimplicibus, et albis ac planis vtantur. In aliis vero locis exemtis, et non exemtis mitris liceat illis vti, prout conceſſa eis ab eadem ſede indulta permittunt. In ordine Praemonſtratenſi abbates mitra aut chirothecis non vtuntur, ex communi conſilio abbatum eiusdem ordinis, *ne forſan ex ipſis ſupercilium elationis quis aſſumat, aut ſibi videatur ſublimis, cum his vti ſe viderit, quae pontificibus et maioribus eccleſiarum praelatis a ſede apoſtolica ſunt conceſſa.* Verba haec ſunt Innocentii III. (u), qui iſtud decretum ſuo firmauit. Apud TAMBVRINVM (x) nihilominus legitur bulla, quae Praemonſtratenſibus abbatibus vſum mitrae et aliorum inſignium pontificalium concedit. Sic etiam olim congregatio Bursfeldenſis edidit legem pro ſuis abbatibus ſub his verbis (y): *Nemo ex abbatibus noſtris, etiam apoſtolico ſuffultus priuilegio, mitra et ceteris huiusmodi inſigniis et apparatibus pontificalibus vti praeſumat: Haec enim licet interdum ſimplici animo rationabiliter fieri poſſint, tamen a lippientibus, et ad iudicandum pronis, curioſae vanitati magis, quam religioſae ſimplicitati deputari ſolent.* Hanc vero conſtitutionem poſtea abolitam fuiſſe, teſtatur hodierna praxis illi contraria. Vide infra *mitra.*

ABBAS PALATII, qui alias *archicapellanus.* Vide ſupra in voce *Abbas capellae palatinae*, item *Capellanus.*

ABBAS REGALIS, cui ſubeſt monaſterium regale.

ABBAS SECVNDARIVS, dicitur monaſterii praepoſitus, ſeu, vt hodie eum vocant, *Prior*, quod vices ageret abbatis primarii. Illius men-

u) *lib.* 1. *epiſt. pag.* 118. x) *loc. cit. diſp.* 20. *q.* 1. *p.* 295. ex *lib. priuil. Praemonſtr. tom.* 2. *bulla* 107. y) *cap.* 28. *conſt. ap.* CHOPPIN. *monaſt. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 18. *p.* 77. *ſq.*

Digitized by Google

mentionem facit regula S. Benedicti (z): *Saepius quidem contingit, vt per ordinationem praepoſiti ſcandala grauia in monaſteriis oriantur, dum ſint aliqui maligno ſpiritu ſuperbiae inflati, qui aeſtimantes ſe ſecundos eſſe abbates, aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt et diſſenſiones in congregatione faciunt: et maxime in illis locis, vbi ab eodem ſacerdote, vel ab eisdem abbatibus, qui abbatem ordinant, ab ipſis etiam et praepoſitus ordinatur.* Et SIDONIVS (a): *Quaeſo vt abbas ſit frater Auxanius ſupra congregationem, tu vero et ſupra abbatem.* Haec verba ita explicat IO. SAVARO in notis ad Sidonium (b): *Rogat fratrem Voluſianum, vt ſupra Auxanium abbatem, abbas ſit: id eſt, vt monaſterii rector Auxanius, Voluſiani conſilio regatur, id eſt, vt praepoſitus ſit Auxanius, Voluſianus vero abbas: primarius abbas Voluſianus, ſecundarius abbas, id eſt, praepoſitus Auxanius.* Tales erant Romanus et Lupicinus fratres, abbates Condateſcenſis coenobii. Lupicinus ſcilicet primarius, Romanus ſecundarius abbas. GREGORIVS de vita patrum: *Lupicinus tamen abbatis ſuper eos obtinuit monarchiam*, quorum ſucceſſor, *S. Eugendum vicis ſuae ſollicitudini innexuit, vt ſibi tamen ius paternae eminentiae in nullo penitus imminueret aut ſubtraheret.*

ABBATIA, monaſterium, cui praeeſt abbas vel abbatiſſa. Interdum idem eſt ac abbatis regimen et gubernatio. *Talis abbatia, quae paternitas latino nomine dicitur, funditus remoueatur* (c). Ipſe etiam locus ſiue domus, in qua habitat abbas vel abbatiſſa, hoc nomine venit, die Abtey.

ABBATIOLA, capella, ſacellum, eccleſiola, eccleſia minor, ſeu *minus*, vt vulgo loquimur, *beneficium.* Capitula Caroli Calvi (d): *Miſſi noſtri per ſingulas parochias cum epiſcopo parochiae inquirant de capellis et abbatiolis ex caſis Dei in beneficium datis.* Chronicon Corbeiae nouae: *Dominus Ludouicus imp. tradidit monaſterio locum Huxeri, cum omnibus finibus ſuis, Evesburg et Moppiam abbatiolas et cetera praedia in*

z) *cap. 65. de praepoſito monaſterii.* a) *lib. 7. epiſt. 17.* b) *pag. 454. ſq.* c) *Concil. Meldenſe ann. 845. c. 10.* d) *ann. 853. cap. 3.*

Digitized by Google

in Aquilone (e). Tales abbatiolas etiam vocarunt *abbadiadas.*

ABBATIARE, ABBATISARE, id eſt, abbatem agere. Liber de Morimundenſis coenobii in agro Mediolanenſi deſolatione: *In hac autem* (abbatia) *eodem tempore abbatizabat vir venerabilis, dominus Florius.* Chronicon Caſaurienſe (f): *Et excluſum iudicio, iterum coegit abbatiſare.* CAESARIVS (g): *Quae hodie abbatiſat in iam dicto coenobio.*

ABBATIARIVS, dictus poſterioribus ſeculis apud Beneharnenſes, Bigorritanos, et in vicinis prouinciis, qui primitus *abbas laicus* (h).

ABBATISSA, praefecta monaſterio virginum, ſeu ſanctimonialium, quae et *mater ſpiritualis* dicitur (i): quia ſe gerere debet erga puellas ſibi commiſſas, vt mater erga filias. Eo volunt quidam (k) alludere OPTATVM Mileuitanum, quando ſcribit (l): *Inde reuertentes Vrbanus Formenſis et Felix Idicrenſis, inuenerunt matres, quas de caſtimonialibus fecerant mulieres.* Fuit quidem in eadem quondam opinione MERICVS CASAVBONVS (m), quod per matres abbatiſſae intelligi poſſent; ſed poſtea mutauit mentem, et matrem communiter accipiendam eſſe putauit, nempe pro puerpera. Secutus eundem eſt DV PIN (n), quando verba Optati ſequentem in modum explicauit: *Inuenerunt eas peperiſſe, quibus virginitatis velum detraxerant, et quas ſic de caſtimonialibus mulieres fecerant.* Interea certum eſt, abbatiſſam eſſe matrem, cui obedientiam praeſtare tenentur moniales, vt AVGVSTINVS illis praecipit (o): *Praepoſitae tanquam matri obediatur honore ſeruato, ne in illa offendatur Deus.* Eadem ſignificatione graecis ἀμμᾶς vocatur: hinc PALLADIVS ſcribit (p): ἀμμᾶς ἐςι, οὕτω γὰρ καλȣσι τὰς πνευμα-

e) Vid. *Monachum Sangallenſem lib.* 1. *cap.* 14. FVLCVINVM *de Geſt. abbat. Lobienſ. c.* 28. DOVBLETVM in *hiſt. Sandionyſ. p.* 465. f) *lib.* 4. g) *lib.* 6. *mirac. cap.* 10. *lib.* 7. *cap.* 40. LAVRENTIVS *Leodienſ.* in *epiſcopis Vird. p.* 343. *Chronic. Aulae regiae cap.* 9. MATTH. PARIS *ann.* 1257. h) DV FRESNE *l. c. p.* 14. i) *Concil. Pariſ. VI. can.* 39. k) ALTESERR. *l. c. lib.* 2. *cap.* 12. *p.* 112. l) *de ſchism. donat. lib.* 2. *c.* 19. *p. m.* 43. m) in *not. ad Optat. loc. cit.* n) in *notis ad Optat. l. c.* o) *epiſt.* 109. qua regulam dedit quibusdam monialibus. p) *hiſt. Lauſiac. cap.* 42.

Digitized by Google

πνευματικὰς μητέρας. *Ammas eſt: ſic enim vocant matres ſpirituales.*

Abbatiſſae *electio* ſpectat ad conuentum monialium. Ita enim praecipitur in capitularibus (q): *Non ſecundum ordinem, ſed quam melioris opinionis eſſe conſtiterit, et quam meliores elegerint.* Non autem absque conſenſu epiſcopi, in cuius dioeceſi eſt monaſterium, electio ſuscipi poterat. Id quod olim obtinuit in Anglia, teſte concilio Calchutenſi anno DCCCLXXXVII (r). *Vt ſi abbas aut abbatiſſa de hac luce migrauerint, tunc cum conſilio epiſcopi, cuius in parochia ipſum monaſterium ſitum eſt, probatae vitae et religioſi ſecundum Dominum ex ſe ipſis eligantur paſtores.* Item ſynodus apud Celichyth habita anno DCCCXVI. (s): *Vt habeat vnusquisque epiſcoporum poteſtatem in ſua propria dioeceſi abbatem vel abbatiſſam eligere, et hoc cum conſenſu et conſultu familiae.* Carolus Caluus in diplomate pro monaſterio ſanctae Mariae Sueſſionenſis praecipit, vt poſt deceſſum Immae abbatiſſae, *de ipſa congregatione, quamdiu ibi talis inueniri potuerit, quae ipſi ſancto gregi regulariter praeeſſe et prodeſſe posſit, per ſucceſſionum curricula eligatur et abbatiſſa ſecundum iura eccleſiaſtica conſtituatur.* Carolus III. imp. cognomento Craſſus in praecepto pro monaſterio Heriſienſi (t): *Poſt ſuum vero deceſſum licentiam ipſae ſorores habeant inter ſe eligendi abbatiſſam vna cum conſenſu illius Padrabrunenſis eccleſiae praeſulis.* Otto III. imp. in praecepto de priuilegiis monaſterii Eltenenſis prope Embricam (u): *Ceterum pro animae noſtrae expiaculo, eidem largiti ſumus monaſterio, vt poſt haec perpetualiter, cum eiusdem monaſterii abbatiſſa morbo conſumpta morietur, ſanctimoniales inter ſe vnam, qualemcunque velint, ſimul cum conſenſu Traiectenſis epiſcopi, in cuius poſitae ſunt dioeceſi, absque mortalium omnium contradictione licenter eligant. Abbatiſſa eligatur a cuncta congregatione.*

q) *Capitul. lib.* 5. *cap.* 384. *p.* 906. adde *cap. Indemnitatibus. de electione. in 6. Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de regular. et monial. c.* 7. Vide etiam de hac et reliquis TAMBVRINVM *de iure abbatiſſarum diſp.* 28. *tot.* r) *cap.* 5. s) *cap.* 4. t) in *Monument. Paderborn. p. m.* 236. u) Editum eſt hoc praeceptum ab AEGIDIO GELENIO in hiſt. S. Engelberti archiepiſcopi Colonienſis p. 359. et ab HERMANN. STANGEFOL. *lib.* 2. *annal. circuli Weſtphal. p.* 203.

Digitized by Google

tione. Quod electionis modum concernit, ille hodie ſit, iubente concilio Tridentino (x), ſecundum ſingulorum ordinum et monaſteriorum conſtitutiones. In praeſentia ſcilicet epiſcopi vel eius vicarii aut alterius ſuperioris aut deputati ſingulae moniales, ad id habiles, prius monitae, vota ſecreta (y) dare debent. *Is vero*, iterum praeſcribente illo concilio (z), *qui electioni praeeſt epiſcopus, ſiue alius ſuperior*, *clauſtra monaſterii non ingrediatur*, *ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat, vel accipiat.* In electione hac non requiritur collatio zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, ſed numeri ad numerum, qui ſi ſit vltra dimidium, vel duae partes ex tribus, monialis aliqua canonice erit electa. *Eligentes* moniales olim eſſe poterant, quae *duodecimum annum peregerint, et profeſſae fuerint tacite vel expreſſe* (a). Hodie vero cum per idem concilium (b) monialis non poſſit eſſe profeſſa, nec tacite, nec expreſſe, niſi poſt annos ſedecim completos, etiam tunc demum votum illi dare licebit. Conuerſae tamen licet eſſent profeſſae, et de iure communi illis concederetur ſuffragium in electione abbatiſſae, ex conſuetudine tamen et ſpecialibus legibus religionum ad dictam electionem non admittuntur. Praeterea moniales notitiam per ſe vel per alias habere debent ante omnia meritorum et qualitatum monialis eligendae in abbatiſſam, ne ipſae peccent. *Eligendae* in abbatiſſam requiſita deſcribuntur in concilio Cabilonenſi II. (c): *Puellarum monaſteriis tales praeeſſe debent feminae, et abbatiſſae creari, quae et ſe et ſubditum gregem cum magna religione et ſanctitate norint cuſtodire, et his, quibus praeſunt, prodeſſe non deſinant, ſed et ſe et illas ita obſeruent, vtpote vaſa ſancta in monaſterio* Domini *praeparata: talem enim ſe debet abbatiſſa ſubditis exhibere in habitu, in veſte, in omni conuictu, vt eis ad coeleſtia regna pergentibus, ducatum praebeat. Sciat etiam, ſe pro his, quas in regimine accepit, in conſpectu Domini rationem reddituram.* Dein debet eſſe *profeſſa* expreſſe (d), non vero tacite, illius monaſterii, cui prae-

x) *loc. cit.* y) *ibid. cap.* 6. z) *ibid. cap.* 7. a) *d. cap.* Indemnitatibus. b) *loc. cit. cap.* 15. c) *can.* 52. *add. Conc. Troſl. c.* 3. *Capitul. lib.* 2. *cap.* 42. *p.* 750. d) *d. cap. Indemnitatibus. Conc. Trid. l. c. cap.* 7.

praeficitur, et quae per aliquot annorum ſpatium ibi laudabiliter vixerit. Circa *aetatem* varia decreta diuerſis temporibus emanarunt. Nam GREGORIVS (e): *Iuuenculas fieri abbatiſſas vehementiſſime prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, niſi ſexagenariam virginem, cuius vita hoc atque mores exegerint, velari permittat.* Iuſtinianus annos quinquaginta eidem praefixit (f). Bonifacius VIII. triginta completos ſtatuit (g). Tandem concilium Tridentinum (h) ordinarie conſtituit annum quadrageſimum, et ſi nulla huius aetatis adfuerit, permiſit trigeſimum: *Abbatiſſa et Prioriſſa et quorumque alio nomine praefecta, vel praepoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta et quae octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio eiusdem ordinis eligi posſit. Si hoc etiam incommodum ſuperiori, qui electioni praeeſt, videatur, ex iis, quae in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, et quinque ſaltem annis poſt profeſſionem recte vixerint, epiſcopo vel ſuperiore conſentiente, eligatur.* An vero illegitima, vidua, bigama, et ex maculato genere deſcendens eligi posſit in abbatiſſam, diſcuſſit TAMBVRINVS (i).

Finita electione, eandem praeſidens per ſecretarium coram monialibus *publicat* ſequentem in modum, (k), vel alium ex conſuetudine monaſterii vſitatum: *Haec eſt electio canonica N. facta in hoc conuentu N. tali die, menſe et anno, in qua N. habuit tot ſuffragia, et N. tot ſuffragia;* incipiatur tamen ſemper a paucioribus, et quando ſecretarius venerit ad pronunciandam electionem illius, quae canonice electa eſt in abbatiſſam, dicat: *In nomine patris et filii et ſpiritus ſancti, amen. Ego N. nomine meo, et omnium veſtrum, quae mecum conſenſiſtis, eligo in abbatiſſam huius conuentus N. cum tot ſuffragiis, in nomine patris et filii et ſpiritus ſancti, amen.* Deinde, *confirmationem* petere debet recens electa abbatiſſa, et quidem ab Ordinario loci, ſi monaſterium illi ſubdatur; ſi vero immediate ſedi apoſtolicae ſubiiciatur, confirmatio a ſummo pontifice, per procurato-

 rem

e) in *regeſt. lib.* 3. *epiſt.* 11. et *cauſ.* 20. *q.* 1. f) in Auth. *quomodo oportet epiſcop.* §. 4. g) d. cap. *Indemnitatibus.* h) *loc. cit.* i) *loc. cit. p.* 181. *ſqq.* k) Idem *ibid.*

rem ſcilicet, vel ab illius prouinciae legato, petenda eſt. Electio vero abbatiſſae monaſterii, regularibus ſubiecti, a ſuo Praelato regulari eſt confirmanda (l). Per capitularia (m) praeſcriptum fuit, vt *qui eam eligunt, proponant ſanctis euangeliis, dicentes, quod non propter amicitias vel gratiam humanam, ſed ſcientes eam fide rectam, et vita caſtam et adminiſtratione dignam, ad omnemque ſtatum monaſterii vtilem. Et hinc confirmetur ab epiſcopo, cui monaſterium ſubiectum eſt.* Referunt quidam haec verba ad electionem, absque conſenſu epiſcopi non faciendam; hanc vero vti ſupra eam firmauimus, ita non video, cur non de confirmatione, cuius expreſſa ſit mentio, praecipue ſumi posſint. Intra annum, a ſuae confirmationis tempore computandum, *benedictionem* ſuscipere tenetur, vt id indicat Clementina (n): *Statuimus inſuper, vt quaevis ad regimen abbatiarum asſumptae in monaſteriis, in quibus abbatiſſae ſunt ſolitae benedici, intra annum, a ſuae confirmationis tempore computandum, munus benedictionis ſuscipiant; alioquin a iure ſuo (niſi ſubſit cauſa rationabilis,) prorſus ſe nouerint cecidiſſe, per illos, ad quos id pertinet prouiſione de abbatiſſis monaſteriis ipſis canonice facienda.* Hic ipſe textus, dum reſtrictionem hanc addit: *in quibus abbatiſſae ſunt ſolitae benedici*, hoc vult innuere, quod non omnes abbatiſſae posſint, aut debeant benedici, ſed ſolummodo illae, quae ſunt perpetuae, et ſi quae aliae forſan ſolitae ſunt benedici.

Modum et formam *benedictionis* ex Pontificali romano breuiter dabimus, integrum vero ordinem benedicendi ex eodem ſubiectis notis inſeremus. Scilicet 1) electa et confirmata in die dominico vel aliis, quibus conſecrantur virgines, ſi nondum velata; alias quovis die benedici poteſt. 2) Obſeruantur eadem, quae in benedictione virginum fieri ſolent, quoad ornamenta eccleſiae, et Miſſam ſolennem, quae erit de die cum Collecta pro electa. 3) Dum dicitur Miſſa, adeſt electa in veſte ſua vsque ad *Alleluia*.

DE

l) Idem. *ib. diſp.* 29. *qu.* 1. *p.* 184. m) *lib.* 5. *capitul. c.* 384. *p.* 906. n) *Attendentes* §. *ſtatuimus de ſtatu monach.*

Digitized by Google

DE BENEDICTIONE ABBATISSAE.

Electa in Abbatiſſam, et confirmata, benedici debet in die dominico, vel aliis, quibus conſecrantur virgines, ſi non eſt prius conſecrata, et velata; alioquin fieri poteſt qualibet die, hoc modo. Pontifex paratus omnibus pontificalibus ornamentis, apud altare maius paratum, cum ſua credentia, et rebus conſuetis procedit in Miſſa vsque ad *Alleluia*, ſi dicitur; ſiue vltimum verſum Tractus, vel Sequentiae excluſiue. Interim, electa in veſte ſua audiat Miſſam in choro, quae dici debet de die, cum Collecta pro electa, ſub vno *per Dominum* et pontificem celebrantem.

Oratio. *Da, quaeſumus, Domine, huic famulae tuae, quam virginitatis honore dignatus es decorare, incohati operis conſummatum effectum, et vt perfectam tibi offerat plenitudinem, initia ſua perducere mereatur ad finem. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, et regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſaecula ſaeculorum.* Reſp. *Amen.*

Dicto Graduali, ſeu Tractu, vel Sequentia vsque ad vltimum verſum excluſiue, pontifex accedit ad faldiſtorium ante medium altaris, et ibi ſedet cum mitra. Electa vero e monaſterio egreſſa, aſſociata a duabus matronis ſenioribus, ac velo ante faciem demiſſo, pontifici praeſentata, coram eo genuflexa, in manibus habens ſchedulam ſcriptam, et ſuo pendenti ſigillo ſigillatam, debitae fidelitatis iuramentum praeſtat pontifici ſuo ordinario, in hunc modum:

Ego N. monaſterii N. ordinanda Abbatiſſa promitto coram Deo, et Sanctis eius, et hac ſolenni congregatione, fidelitatem, dignamque ſubiectionem, obedientiam et reuerentiam, matri meae eccleſiae N. nominando eccleſiam, cuius iurisdictioni ordinariae ſubiecta exiſtit. *Tibique* N. *Domino meo, eiusdem eccleſiae patriarchae,* vel *archiepiſcopo,* aut *epiſcopo, et ſucceſſoribus tuis, ſecundum ſacrorum canonum inſtituta, et prout praecipit inuiolabilis auctoritas pontificum Romanorum.*

Si vero fuerit exemta, ita praeſtabit iuramentum: *Ego N. monaſterii N. ordinis ſancti N. dioeceſis N. ab hac hora in antea, fidelis, et obediens ero beato Petro apoſtolo, ſanctaeque Romanae eccleſiae, et Domino noſtro Domino N. ſuisque ſucceſ-*

Digitized by Google

ſoribus canonice intrantibus, et tibi, vel pro tempore exiſtenti meae religionis Superiori, ſecundum regulam ſancti patris noſtri N. et praedicti ordinis conſtitutiones.

Deinde librum Euangeliorum, quem pontifex ſuper genua ſua tenet apertum, inferiori parte eiusdem libri electae verſa, quem ipſa electa, ambabus manibus ſupra ſcripturam poſitis, tangit, dicens:

Sic me Deus adiuuet, et haec ſancta Dei Euangelia. Tum ſchedulam ipſam pontifici tradit, qui ſurgit cum mitra, et ſuper faldiſtorium procumbit. Electa vero proſternit ſe ſuper tapete ad eius ſiniſtram, et chorus dicat litanias, in quibus cum dictum fuerit:

Vt omnibus fidelibus etc. Reſp. *Te rogamus audi nos.*

Pontifex ſurgit cum mitra, et baculum paſtoralem in ſiniſtra tenens, verſus ad electam dicit:

Vt hanc praeſentem electam bene✝dicere digneris.

Reſp. *Te rogamus, audi nos.*

Deinde dicit:

Vt hanc praeſentem electam bene✝dicere, et ſancti✝ficare digneris. Reſp. *Te rogamus, audi nos.*

Tum iterum procumbit, et perficiuntur litaniae; quibus finitis, ſurgit pontifex, electa adhuc proſtrata manente; et ſtans verſus ad illam depoſita mitra dicit:

Pater noſter etc.

verſ. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Reſp. *Sed libera nos a malo.*

v. *Saluam fac ancillam tuam Domine.*

R. *Deus meus ſperantem in te.*

v. *Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto.*

R. *Et de Sion tuere eam.*

v. *Haec accipiet benedictionem a Domino.*

R. *Et miſericordiam a Deo ſalutari ſuo.*

v. *Memor eſto congregationis tuae.*

R. *Quam poſſediſti ab initio.*

v. *Dominus cuſtodiat introitum tuum, et exitum tuum.*

R. *Ex hoc nunc, et vsque in ſaeculum.*

v. *Dominus cuſtodiat te ab omni malo.*

R. *Cu-*

Digitized by Google

R. *Cuſtodiat animam tuam Dominus.*

v. *Domine Deus virtutum conuerte nos.*

R. *Et oſtende faciem tuam, et ſalui erimus.*

v. *Domine exaudi orationem meam.*

R. *Et clamor meus ad te veniat.*

v. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. Concede, quaeſumus, omnipotens Deus, affectui noſtro tuae miſerationis effectum, et hanc famulam tuam, quam ad regimen animarum eligimus, gratiae tuae dono proſequere; vt, te largiente, cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. *Amen.*

Oremus. Cunctorum bonorum inſtitutor Deus, qui per Moyſen famulum tuum, ad gubernandas eccleſias, praepoſitos inſtituiſti, tibi ſupplices fundimus preces, teque deuotis mentibus exoramus, vt hanc famulam tuam, quam communis electio famularum tuarum abbatiſſam ouium tuarum eſſe conſtituit, protectionis tuae gratia munire digneris, ſicque regere ſubditas, commendatasque oues concedas, vt cum illis omnibus regna coelorum adipiſcatur; quatenus, te Domine opitulante, apoſtolicis iugiter fulta doctrinis, centeſimo cum fructu laeta introëat portas paradiſi, atque a te, Domine, collaudante audire mereatur: Euge, ſerue bone, et fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Quod ipſe praeſtare digneris, qui viuis, et regnas Deus.

His dictis, electa ſurgit, et ante pontificem genuflectit, qui proſequitur, manus ante pectus extenſas tenens, dicens:

Per omnia ſaecula ſaeculorum. R. *Amen.*

v. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum ſpiritu tuo.*

v. *Surſum corda.* R. *Habemus ad Dominum.*

v. *Gratias agamus Domino Deo noſtro.*

R. *Dignum et iuſtum eſt.*

Vere dignum et iuſtum eſt, aequum, et ſalutare, nos tibi ſemper, et vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, affluentem ſpiritum tuae bene✝dictionis ſuper hanc famulam tuam, nobis orantibus, propitius infunde. Pontifex imponit ambas manus extenſas, digitis tamen non disiunctis, ſuper caput electae, et eas ſic tenet, proſequendo:

Digitized by Google

Et quae per noſtrae manus impoſitionem hodie abbatiſſa conſtituitur, ſancti-✝-ficatione tua digna, a te electa permaneat; et numquam poſtmodum a tua gratia ſeparetur indigna.

Pontifex amouet manus de capite electae, proſequens, ante pectus eas extenſas tenens:

Suscipiat, te, Domine, largiente hodie in bono opere perſeuerantiam, in aduerſis conſtantiam, in tribulationibus tolerantiam, in ieiuniis deſiderium, in impietatibus miſericordiam, in humilitate principatum, in ſuperbia odium, in fide dilectionem, in doctrina peruigilantiam, in caſtitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam: te auxiliante, Domine, talis in hoc miniſterio perſeueret, qualis Leuita electus ab apoſtolis ſanctus Stephanus meruit perdurare: totam ab hac die mundanam conuerſationem deſpiciat: tua Domine, bene-✝-dictione largiente, contemnat praeſentia, diligat caeleſtia, deſideret ſempiterna: ſit exemplum, et forma iuſtitiae, ad gubernandam, regendamque eccleſiam tuam fideliter: vt ſpeculatrix idonea inter ſuas collegas ſemper efficiatur: ſit magni conſilii, induſtria cenſurae, et efficacia diſciplinae: ita, te, Domine, tribuente, in omnibus mandatis tuis ſine reprehenſione tibi mundo corde ſeruiens, vt ad brauium ſupernae vocationis, multiplicato foenore, cum centeſimo fructu, coronaque iuſtitiae, ad caeleſtium theſaurorum dona tua perueniat.

Quod ſequitur, dicit ſubmiſſa voce, ita tamen, quod a circumſtantibus audiatur:

Praeſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, et Spiritu ſancto viuit et regnat in ſaecula ſaeculorum. R. *Amen.*

Tum pontifex adhuc ſine mitra, ſtans dicit:

Oremus. Deus, cui omnis poteſtas et dignitas famulatur, da huic famulae tuae proſperum ſuae dignitatis effectum, in qua ſemper te timeat, tibique iugiter placere contendat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. *Amen.*

Oremus. Omnium, Domine, fons bonorum, iuſtorumque profectuum munerator, tribue, quaeſumus, huic famulae tuae, adeptam bene gerere dignitatem, et a te ſibi praeſtitam, bonis operibus comprobare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. *Amen.*

Oremus.

Digitized by Google

Oremus. Concede, quaeſumus, omnipotens Deus, famulae tuae, vt oſtendendo, et exercendo, quae recta ſunt, per exemplum bonorum operum animas ſuarum inſtruat ſubiectarum; et aeternae remunerationis mercedem a te piiſſimo Paſtore percipiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. *Amen.*

Oremus. Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſi Mariam, praeeuntem cum ceteris mulieribus, inter aequoreas vndas cum tympanis et choris, laetam ad littus maris venire feciſti, te ſupplices deprecamur pro hac fideli famula tua, quae hodie ſuper vniuerſas ſibi ſubditas abbatiſſa conſtituitur; vt ita monaſtica, vel canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, ſibi commiſſas: quatenus ad aeternam gloriam, te auxiliante, cum omnibus illis introëat laeta, ibique exultans cum angelis, canens cantica noua, ſequatur Agnum, quocumque ierit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum viuit et regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſaecula ſaeculorum. R. *Amen.*

Tum ſedet pontifex, accepta mitra, et tradit abbatiſſae coram ſe genuflexae in manibus regulam, dicens:

Accipe regulam a ſanctis patribus traditam, ad regendum cuſtodiendumque gregem tibi a Deo commiſſum, quantum Deus ipſe te confortauerit, et fragilitas humana permiſerit. Accipe gregis dominici maternam prouidentiam, et animarum procurationem; et per diuinae legis incedendo praecepta, ſis ei dux ad caeleſtis hereditatis paſcua, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, et Spiritu ſancto viuit et regnat Deus in ſaecula ſaeculorum. R. *Amen.*

Deinde, ſi prius, dum erat monialis, non fuit velata, pontifex, depoſita mitra, ſurgit, et benedicit velum, quod per vnum ex miniſtris coram eo tenetur, dicens:

Oremus. Suppliciter te, Domine, rogamus, vt ſuper hanc veſtem ancillae tuae capiti imponendam, bene✝dictio tua benigna deſcendat, et ſit veſtis haec benedicta, conſecrata, immaculata, et ſancta. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. *Amen.*

Oremus. Caput omnium fidelium, Deus, et totius corporis ſaluator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum, tuaeque genitricis beatiſſimae virginis Mariae amorem ſuo capiti eſt impoſitura, dextera tua ſancti✝fica; et hoc, quod

per illud myſtice datur intelligi, tua ſemper cuſtodia, corpore pariter, et animo incontaminato cuſtodiat: vt, quando ad perpetuam ſanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus et ipſa virginibus praeparata, te perducente, ad ſempiternae felicitatis nuptias introire mereatur. Qui viuis, et regnas Deus, per omnia ſaecula ſaeculorum. R. *Amen.*

Deinde aſpergit velum ipſum aqua benedicta; tum ſedens, accepta mitra, imponit illud ſuper caput abbatiſſae, ita vt dependeat ſuper ſcapulas, et ante pectus, et vsque ad oculos, ſic dicens:

Accipe velamen ſacrum, quo cognoſcaris mundum contempſiſſe, et te Chriſto Ieſu veraciter, humiliterque, toto cordis anniſu, ſponſam perpetualiter ſubdidiſſe, qui te ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam. R. *Amen.*

Si vero abbatiſſa prius velata fuit, omittuntur praedicta. His finitis, ſurgunt omnes, et pontifex procedit in Miſſa, quam abbatiſſa in loco ad partem audit. Incepto a choro Offertorio, et per pontificem lecto, ſedet pontifex in faldiſtorio ante medium altaris, accepta mitra; et abbatiſſa, praecedentibus eam duobus famulis duo intortitia accenſa portantibus, venit de loco ſuo, aſſociata a duabus matronis, et coram pontifice genuflectit, ac ei ſucceſſiue dicta duo intortitia offert, et pontificis ea recipientis manum oſculatur; tum ad locum ſuum reuertitur.

Pontifex vero manus lauat, ſurgit depoſita mitra, et Miſſam proſequitur.

SECRETA.

Oblatis hoſtiis, quaeſumus, Domine, praeſenti famulae tuae perſeuerantiam perpetuae virginitatis accommoda: vt apertis ianuis, ſummi Regis aduentu, regnum caeleſte cum laetitia mereatur intrare. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit et regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſaecula ſaeculorum. R. *Amen.*

Poſtquam pontifex ſe communicauerit, abbatiſſam communicet. Tum accepta mitra, lauat manus; deinde proſequitur Miſſam vsque ad benedictionem excluſiue.

POSTCOMMVNIO.

Reſpice, Domine, famulae tuae tibi debitam ſeruitutem, vt inter

ter humanae fragilitatis incerta, nullis aduerſitatibus opprimatur, quae de tua protectione confidit. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit et regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſaecula ſaeculorum. R. *Amen.*

Dicto, *Ite, Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, et *Placeat*, etc.

Pontifex cum mitra inthronizat abbatiſſam in ſede, et ſi ſit in proprio monaſterio, dicit:

Accipe plenam, et liberam poteſtatem regendi hoc monaſterium, et congregationem eius, et omnia, quae ad illius regimen interius et exterius, ſpiritualiter et temporaliter pertinere noſcuntur.

Si vero benedictio ſit extra monaſterium ſuum, pontifex dicit:

Sta in iuſtitia, et ſanctitate, et tene locum a Deo tibi delegatum; potens eſt enim Deus, vt augeat tibi gratiam ſuam.

Tunc pontifex ſtans a dexteris abbatiſſae, verſus ad altare, mitra depoſita, incipit cantando, ſchola proſequente hymnum:

Te Deum laudamus etc.

Et dicitur totus, et pontifex manet ſine mitra apud ſedem vsque ad finem hymni. Interim dum cantatur hymnus, abbatiſſa reuertitur ad monaſterium, asſociata, vt ſupra, et a monialibus ſenioribus excipitur intra portam, atque ad chorum perducitur, vbi moniales omnes faciunt ei reuerentiam, ſingulariter genuflexae ante illam, et recipiuntur ab ea benigne ad oſculum. Finito hymno, pontifex ſtans ſine mitra, ſedente abbatiſſa in ſede ſua in choro, ſuper eam dicit verſus:

v. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*
R. *A templo ſancto tuo, quod eſt in Ieruſalem.*
v. *Saluam fac ancillam tuam Domine.*
R. *Deus meus ſperantem in te.*
v. *Eſto ei, Domine, turris fortitudinis.*
R. *A facie inimici.*
v. *Nihil proficiat inimicus in ea.*
R. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
v. *Domine, exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*

v. *Domi-*

Digitized by Google

v. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. Famulam tuam, Domine, cuſtodia muniat pietatis, vt virginitatis ſanctae propoſitum, quod, te inſpirante, ſuscepit, te protegente, illaeſum cuſtodiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. *Amen.*

Deinde pontifex aſſumpta mitra, benedicit ſolenniter populo, dicens:

Sit nomen Domini etc.

Et benedictione data, vadunt omnes in pace.

Haec benedicendi forma hodie penes omnes abbatiſſas electas adhibetur. Olim autem, vt ordines eccleſiaſtici quidam MSS. indicant, peculiaris benedicendi modus praeſcriptus fuit pro abbatiſſis canonicis, alius pro illis, quae monaſticam vitam ſunt profeſſae.

Electa aſſociata a duabus monialibus ſenioribus et epiſcopo praeſentata, in manu habens ſchedulam cum ſigillo, iuramentum praeſtat, aliter vt exemta, alio modo vt non exemta, et illi tradit ſchedulam. Dein cantantur litaniae, et orationes ab epiſcopo funduntur in electam. Poſtea tradit abbatiſſae regulam, et proſequitur Miſſam, atque poſt Offertorium accipit ab illa duo intortitia. Iterum epiſcopus redit ad Miſſam et ſe atque abbatiſſam communicat; Miſſa autem abſoluta, abbatiſſam inthronizat in ſede, ſi in proprio fuerit monaſterio, atque incipit hymnum: *Te Deum laudamus* etc. Sub ipſo cantu abbatiſſa, iisdem ſenioribus monialibus aſſociata, reuertitur ad monaſterium, excipitur intra portam atque ad chorum perducitur, vbi omnes moniales ei faciunt reuerentiam, et ab ea benigne recipiuntur ad oſculum. Completo hymno, epiſcopus verſus et orationem ſuper eam dicit, et data ab eo benedictione omnes diſcedunt.

Inter *officia* abbatiſſae olim erat, in ſuo monaſterio ſine intermiſſione reſidere, neque exire ſine iuſſione regis. Ita docemur e capitulo ſynodi Vernenſis ſub Pipino rege anno DCCLV. habitae (a): *Conſtituimus, vt nulla abbatiſſa extra monaſterium licentiam habeat exeundi, niſi hoſtilitate cogente: Sed domnus rex, quando aliquam de ipſis abbatiſſis ad ſe venire iuſſerit, ſemel in anno, per conſenſum epiſcopi, in cuius parochia eſt, vt tunc*

a) *cap. 6. p. m. 170.*

tunc ad eum aliqua veniat ex ſua iuſſione, ſi neceſſitas fuerit, et alibi omnino non debeat nec per villas nec per alia loca demorari, niſi tantum quam celerius potuerit ambulare et reuerti. Et ante non moueat de ſuo monaſterio, priusquam ſuum Miſſum transmittat ad domnum regem. Et ſi iuſſerit rex venire, veniat. Sin autem, in monaſterio permaneat interim, quod in antea hoc plenius ſecundum canones emendauerit. Idem praeceperunt Carolus M. (b) et Ludouicus Pius in epiſtola ad Magnum archiepiſcopum Senonenſem (c). Dein abbatiſſa magnam curam debet habere ſanctimonialium in ſpiritualibus et in temporalibus, neceſſaria illis miniſtrando. Hoc enim illis praecipitur in capitularibus (d), *vt de ipſis magnam curam habeat, et caeteris bonum exemplum praebeat, et religioſe, ſicut decet, conuerſentur, et quod vniuscuiusque profeſſioni inconueniens eſt, et in ſacris canonibus prohibetur, omnino caueant. ---- eisque neceſſaria ſtipendia adminiſtrare non negligant, ne forte propter aliquam inopiam et diuina officia negligantur, et ipſae congregationes inreligioſius viuere compellantur.* Poſterius autem, ſubminiſtratio ſcilicet neceſſariorum, fieri debet pro facultatibus monaſterii: quod monet AVGVSTINVS (e): *Et distribuatur vnicuique veſtrum a praepoſita veſtra victus et tegumentum, non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes; ſed vnicuique, ſicut opus fuerit.* Poteſt ipſa corrigere delinquentes. AVGVSTINVS eodem loco: *Conuicta vero ſecundum praepoſitae vel presbyteri arbitrium, debet emendatoriam ſustinere vindictam: quam ſi ferre recuſauerit, et ſi ipſa non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proiiciatur.* THOMAS Cantipratenſis (f): *Audit illa culpas et corrigit, exhortatur ſingulas ad ordinem ſeruandum et negotia monaſterii.* Abbatiſſa porro poteſt conferre beneficia, et inſtituere clericos in eccleſiis monaſterio ſubiectis (g). Collatio autem beneficiorum poteſt pertinere ad abbatiſſam ex priuilegio, vel conſuetudine praeſcripta (h). Et hoc illi

b) *Capitular. tert. ann.* 789. *cap.* 3. *p.* 243. et *ann.* 802. *cap.* 20. *p.* 369. c) *tom.* 1. *Capitul. p.* 555. d) *Capitul. lib.* 5. *c.* 333. *p.* 896. e) *epiſt.* 109. f) *lib.* 1. *c.* 24. g) cap. *Dilecta. de maiorit. et obedient.* et *cap. dilecta. de exceſſ. praelator.* h) d. *cap. Dilecta.*

Digitized by Google

illi incumbit, vt *diligenter conſideret theſauros eccleſiaſticos, ne propter perfidiam aut negligentiam cuſtodum aliquid de gemmis aut de vaſis vel de reliquo quoque theſauro perditum ſit* (i).

Abbatiſſa autem non poteſt benedicere nec velare virgines, prout id prohibitum per capitulare Aquisgranenſe anno DCCLXXXIX. (k). *Auditum eſt, aliquas abbatiſſas contra morem ſanctae Dei eccleſiae benedictiones cum manus impoſitione et ſignaculo ſanctae crucis ſuper capita virorum dare, nec non et velare virgines cum benedictione ſacerdotali. Quod omnino a vobis, ſanctiſſimi patres, in veſtris parochiis illis interdicendum eſſe ſcitote.* Et in additione ſecunda capitularium (l): *Nihilominus etiam in quibusdam locis inolitum inuenimus vſum ſtultitiae plenum et eccleſiaſticae auctoritati contrarium, eo quod videlicet nonnullae abbatiſſae et aliquae ex ſanctimonialibus viduis et puellis virginibus contra fas velum imponere praeſumant, et ideo nonnullae taliter velatae putant, ſe liberius ſuis carnalibus deſideriis poſſe vacare et ſuas voluptates explere. Quapropter ſtatuimus, vt ſi aut abbatiſſa aut quaelibet ſanctimonialis poſt hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, vt aut viduam aut puellam virginem velare, praeſumat, iudicio canonico vsque ad ſatisfactionem ſubdatur* (m).

Prius illud caput egregie illuſtrauit FRANCISCVS BOSQVETVS epiſcopus Monspelienſis in notis ad epiſtolas Innocentii III. (n) adductis etiam verbis concilii Pariſienſis antea citati: ex quibus ſimul intelligitur, hunc abuſum etiam poſt illam Caroli conſtitutionem viguiſſe in regno Francorum. CHRISTIANVS LVPVS, poſtquam epiſcopi huius obſeruationes deſcripſit in ſcholiis ad librum Tertulliani de praeſcriptionibus (o), ibidem adnotauit, hanc femineam audaciam occaſionem et originem ſumſiſſe ex Caroli Martelli in eccleſiaſticas facultates violenta rapina, quae omnes Francici regni per Galliam ac Germaniam eccleſias redegit ad extremam inopiam, atque ita plures tandem orbauit epiſcopis et clericis: hanc miſeriam manſiſſe vsque ad apoſtolatum S. Bonifacii, et iſto medio tempore quasdam abbatiſſas, quod

i) *lib.* 1. *capitul. c.* 117. k) *cap.* 74. *p.* 238. et *lib.* 1. *capitul. c.* 71. l) *cap.* 16. *p.* 1139. ex *concil. Pariſ. VI. lib.* 1. *cap.* 43. m) add. can. *Statuimus.* 20. *q.* 2. n) *pag.* 97. o) *pag.* 57.

Digitized by Google

quod epiſcopos non haberent, coepiſſe ſuas moniales velare et conſecrare. Sed recte monuit BALVZIVS (p), hanc Lupi ſententiam deſtitui antiquorum ſcriptorum teſtimonio, et Carolum Martellum habere a pontificibus et Bonifacio teſtimonium reſtauratae religionis et eccleſiaſticae diſciplinae.

Praeterea abbatiſſa non poteſt excommunicare monachas vel canonicas, vel clericos ſubiectos monaſterio; ſed poteſt eas eosve ſuspendere ab officio et beneficio (q). Quod tamen intelligendum non de ſuſpenſione iuris, quatenus eſt cenſura eccleſiaſtica, quae violata inducit irregularitatem; ſed de ſuſpenſione regulari, quae multat tantum ſocietate vel emolumento fructuum. Vt vero abbatiſſa non poteſt ſubditas excommunicare, ita etiam non poteſt eas abſoluere, ſi ſe inuicem percuſſerint, ſed adeundus eſt ſuperior (r). Eidem non eſt permiſſum, monialium audire confeſſiones, easdemque abſoluere, neque euangelium praedicare: quia non habet poteſtatem clauium, prohibente id Innocentio III. qui ad Valentinos atque Burgenſes epiſcopos et abbates de N. Ciſtercienſis ordinis ſequentem in modum ſcripſit (s): *Noua quaedam noſtris ſunt auribus intimata, quod abbatiſſae moniales proprias benedicunt, ipſarum quoque confeſſiones in criminibus audiunt et legentes euangelium praeſumunt publice praedicare. Cum igitur id abſonum ſit pariter et abſurdum: mandamus, quatenus ne id de caetero fiat, curetis firmiter inhibere. Quia licet beatiſſima virgo Maria dignior et excellentior fuerit apoſtolis vniuerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claues regni coelorum commiſit.* Interdictum quoque abbatiſſis, aeque ac epiſcopis et abbatibus, per capitulare tertium Aquisgranenſe (t), anni DCCLXXXIX. ſub Carolo M. *ne cupplas canum habeant, nec ſalcones, nec accipitres, nec ioculatores.*

Duratio abbatiſſarum in officio eſt vel per triennium duntaxat, vel perpetua, ſiue ad vitae dies, niſi aliud quid interuenerit. Prius, vt obſeruaretur, per vniuerſam Italiam et Siciliam, voluit Gregorius XIII. peculiari conſtitutione; quae tamen non habet locum in abbatiſſis, quae fiunt per praeſentationem et inſtitu-

p) in *not. ad libr. capitular. p.* 1136. q) cap. *Dilecta. de maiorit. et obedient.* r) cap. *de monialibus. de ſentent. excommun.* s) cap. *Noua quaedam.* de poenitent. t) *cap.* 15. *pag.* 244.

ſtitutionem: quia talis inſtitutio et confirmatio eſt perpetua (u). Quemadmodum porro abbates habuerunt cauſas, ob quas *reſignare* poterant abbatias, ita eaedem quoque obtinere ſolent apud abbatiſſas. Tandem abbatiſſae etiam deponi posſunt, ſi canonice vel regulariter non vixerint; quod conſtituit Carolus M. in capitulari Francofordienſi (x): *De abbatiſſis, quae canonice vel regulariter non viuunt, epiſcopi requirant, et regi adnuntient, vt ab honore priuentur.* Ob quas rationes abbates deponi volunt canones ſupra citati (y), ob easdem quoque id fieri poterit circa abbatiſſas.

ABBREVIATOR, a voce *breue*, quae epiſtolam pontificiam denotat: quia breuiori ſtylo formatur. Abbreuiatores (z) Romae peculiare conſtituunt collegium, quod primo inſtituit Pius II. ac deinde anno MCCCCLXXVIII. renouauit Sixtus IV. per conſtitutionem *Diuina*, qua praeſcribit, vt in cancellaria praeter alios officiales ſint LXXII. abbreuiatores: quorum duodecim dicuntur abbreuiatores *de Parco maiori*, ſeu maioris praeſidentiae; viginti duo *de Parco minori*, ſeu minoris praeſidentiae; et reliqui abbreuiatores examinantes literas in prima viſione, vnde *examinatores* appellati. Ad hoc collegium non admittuntur, niſi viri a pietate commendati, in aetate decenti conſtituti et in officio abbreuiaturae bene inſtructi. Examinatores iſti etiam eſſe posſunt laici et vxorati. *Abbreuiatorum maioris praeſidentiae* munus eſt, ex ſupplicationibus a papa ſignatis diplomata ſeu literas conficere, quas minutas bullarum dicunt, ad quarum formam ſcribuntur bullae (a). Accipiunt etiam a pontifice regulas cancellariae, ſecundum quas posſunt gratiam in ſupplicationibus contentam expedire, denegare, ampliare, limitare, ac mentem pontificis pro vel contra impetrantes interpretari (b). Non tamen ita minuere posſunt gratiam, vt nihil proſit, nec extendere vltra ſubſtantiam clauſulas (c). Omnes quoque literae, quae

u) TAMBVRIN. *l. c. diſp.* 30. *q.* 1. *ſq.* x) *cap.* 45. *p.* 269. y) cap. *Si quis abbas* 18. *q.* 2. z) Vid. DOMINIC. MACER *hierolex. p.* 2. HVNOLD. PLETTENBERG. S. I. in *notitia congregat. et tribunal. curiae romanae cap.* 10. §. 2. *p.* 343. *ſqq.* a) DE ROSA *l.* 1. *de execut. lit. c.* 1. b) CORRAD. *l.* 2. *prax. diſpenſ. c.* 3. *n.* 2. c) DE ROSA *l. c. n.* 36.

Digitized by Google

quae in cancellaria expediuntur, ſubſcribi debent ab aliquo ex his abbreuiatoribus maioris praeſidentiae, alias nullae ſunt, iisque vtentes tenentur poena falſi, ex conſtitutione Leonis X. (d). In expediendis his literis cum ſint vice-cancellarii et regentis asſiſtentes, non niſi praemiſſo examine et approbatione ceterorum abbreuiatorum cancellariae ad hoc munus admittuntur, iuxta conſtitutionem Martini V. *In apoſtolicae dignitatis.* Per hanc etiam obligantur quotidie conuenire coram vice-cancellario, nec ab eo conuentu abeſſe vnquam posſunt ſine licentia vice-cancellarii, aut praeſidentis (e). Sex abbreuiatorum maioris praeſidentiae prouiſio ſpectat ad pontificem et ſex ad vice-cancellarium, emiturque officium hoc vndecim vel duodecim mille ſcutis. Veſtiuntur hi more praelatorum colore violaceo et locum habent in capella pontificia. *Abbreuiatores minoris praeſidentiae* ſuum quoque habent officium in expeditione literarum. Scilicet bulla conſcripta mittitur ad huius ordinis abbreuiatores, quorum vnus perlectis literis nomen adſcribit, et accepta iuxta taxam pecunia, bullam ad abbreuiatores maioris praeſidentiae remittit: Hoc officium pretio quoque comparatur, et abbreuiatores illi participant de emolumentis, quae proueniunt ex expeditione literarum et annatis. Omnibus abbreuiatoribus Paulus V. qui et ipſe in minoribus conſtitutus, abbreuiatoris munere functus eſt, multa *priuilegia* conceſſit per conſtitutionem *Romani pontificis* MDCV. (f). Inter caetera eo ipſo, quod ad hoc collegium asſumuntur, Referendarii cenſentur (g), et nobiles, comites palatini, ac familiares ſunt pontificis (h). Ideoque portione panis et vini ex palatio pontificis fruuntur (i). Aſcendunt etiam abbreuiatores a minori ad maiorem praeſidentiam (k).

ABCTVRIVM. vide ſequentem titulum.

ABECEDARIVM, *Abecenarium, et Abcturium, Abgatorium, Abgetarium,* formatum ex tribus literis alphabeti A. B. C. (l). Denotat interdum elementum cuiuscunque ſcientiae. Ita S. Patricius

E

d) CORRAD. *l. c. cap.* 8. *n.* 2. e) Idem. *l. c. n.* 6. f) CORRAD. *l. c. c.* 8. g PAVLVS V. *l. c.* h) LEO X. *Conſt.* 14. *Summi.* i) PAVLVS V. *l. c.* k) SIXTVS IV. *Conſt.* 16. *Diuina.* l) DV FRESN. *l. c. p.* 17. *ſq.*

cius apoſtolus Hibernorum quosdam libellos a ſe conſcriptos continentes doctrinae chriſtianae elementa appellauit, teſte MATTHAEO Weſtmonaſterienſi: *Abgetoria quoque 345. et eo amplius ſcripſit, totidem epiſcopos ordinauit.* Tirechanus apud WARAEVM (m): *Baptizauit quotidie homines, et illis literas legebat et abgatorias.* Et iterum (n): *Scripſit illi abgatorias, et benedixit cum benedictione epiſcopi.* Hanc vocem vero *elementa* ſignificare ipſe alibi docuit (o): *Et ſcripſit elementa, et benedixit eum benedictione presbyteri.* Interdum denotat in romana eccleſia morem deſcribendi literas alphabeti in pauimento eccleſiae per epiſcopum, ab angulo ſiniſtro ad dextrum. Hanc ſignificationem habet *Abcturium* in libro ſacramentorum Gregorii M. vbi de ordine ad eccleſiam dedicandam: *Deinde incipiat pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente, ſcribens per pauimentum cum cambuta ſua Abcturium, vsque in dextrum angulum occidentis* etc. Ita haec exhibere codicem Remenſem, monet MENARDVS, vbi alii habent A. B. C.

ABECEDARIVS PSALMVS, cuius verſus literis alphabeti hebraici ſecundum ſeriem praenotantur. Tales pſalmos quatuor duntaxat numerat HIERONYMVS in *epiſtola ad Paulam Vrbicam de interpretatione alphabeti hebraici* (p). Poſtquam dixerat, pſalmum CXVIII. ſecundum vulgatam, vel CXIX. *ſecundum ordinem literarum eſſe compoſitum: quod videlicet ex prima litera, quae apud eos vocatur Aleph, octo verſus inciperent. Rurſus ex ſequenti Beth, totidem verſus exordium ſumerent: ac poſtea ex Gimel idem numerus compleretur; atque ita vsque ad Thau, quae apud eos extrema litera eſt, pſalmum eſſe conſcriptum:* ſequentia ſubiecit: *Scire debes, quatuor pſalmos ſecundum ordinem hebraeorum incipere elementorum, centeſimum decimum et centeſimum vndecimum, et hunc, de quo nunc ſcribimus, et centeſimum quadrageſimum quartum* (intellige ſecundum vulgatam). *Verum debes ſcire, in prioribus pſalmis, ſingulis literis ſingulos verſiculos, qui trimetro iambico conſtant, eſſe ſubnexos. Inferiores vero tetrametro iambico conſtare, ſicuti et Deuteronomii canticum ſcriptum eſt. In cente-*

m) *lib. 1. de ſcript. Hibern.* n) *ibid. lib. 2,* o) *lib. 2.* vbi de Mac-erca. p) *Tom. IV. epp. fol. 90. a.*

Digitized by Google

centeſimo octauo decimo pſalmo, ſingulas literas octoni verſus ſequuntur. In centeſimo quadrageſimo quarto, ſingulis literis ſinguli verſus deputantur. Sunt, qui et alios hoc ordine putant incipere, ſed falſa eorum opinio eſt. Habes et in lamentationibus Hieremiae quatuor alphabeta, e quibus duo prima quaſi ſapphico metro ſcripta ſunt: quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, et ab vna tantum litera incipiunt, heroici comma concludit. Tertium vero alphabetum trimetro ſcriptum eſt, et a ternis literis, ſed eisdem, terni verſus incipiunt. Quartum alphabetum ſimile eſt primo et ſecundo. Prouerbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum, quod tetrametro iambico ſupputatur, ab eo loco, in quo ait: Mulierem fortem quis inueniet. In eo tamen Hieronymus, ſedulus alias ſacrarum literarum lector et indagator, rem minus recte conſideraſſe videtur, quando ſcripſit, illorum opinionem eſſe falſam, qui et alios hoc ordine putant incipere: cum tamen Pſalmi XXV. XXXIV. XXXVII. etiam ſint alphabetici; niſi eum excuſare velis, quod ordine illo accurato plures non inueniantur. Si ergo coniungas Pſalmos XXV. XXXIV. XXXVII. CXI. CXII. CXIX. vbi octies repetitur: CXLV. item Prouerbiorum caput XXX, 10. Threnos Ieremiae, vbi ſexies: (ſcilicet capite primo et ſecundo bis, in tertio ter, in quarto ſemel habetur: in quinto autem, non quidem ipſae alphabeti literae apparent, nihilominus verſuum numerus, alphabeto hebraeo reſpondens, obſeruatur;) inuenies, verum eſſe, quod ſcripſit BRVGTHONVS q), vicies bis alphabetum in codice V. T. eſſe repetitum. Interea id ſimul notandum putamus, non vbique in Pſalmis eandem obſeruari rationem; cum in Pſalmo XXV. ה et ו copulantur in vnum verſum: ב et ק omittuntur, niſi ea ex medio demum verſiculo eruere velis: et in fine adiecta eſt litera פ. In Pſalmo XXXVII. deeſt ſola litera ע: et praeterea in eo alternatim binos ſubinde verſiculos coniungere neceſſum habemus. In Pſalmo CXLV. deeſt ſola litera נ, quae ruinam indicat. Cauſas ſi quis quaerat, cur in his Pſalmis alphabetum fuerit adhibitum, non aliam philologi dare poſſunt, quam ad iuuandam memoriam et dignitatem rerum propoſitarum indicandam. HIERONYMVS *loc. cit.* voluit, ex ſingulis quibusque

q) *ad Dan.* 9.

busque elementis ſecundum interpretationem eorum debere intelligi, quae ſequerentur. AVGVSTINVS in *enarratione in* CXVIII. *Pſalmum* (r) lubens fatetur, ſe nihil inueniſſe de alphabeto hebraeo, octies in eo repetito: *Quod autem de alphabeto hebraeo, vbi octoni verſus ſingulis ſubiacent literis, atque ita Pſalmus totus contexitur, nihil dixi, non ſit mirum, quoniam nihil quod ad iſtud proprie pertineret, inueni. Non enim ſolus habet has literas. Illud ſane ſciant, qui hoc in graeca et latina ſcriptura, quoniam non illic ſeruatum eſt, inuenire non poſſunt, omnes octonos verſus in hebraicis codicibus ab ea, quae illis praeponitur, litera incipere, ſicut nobis ab eis, qui illas nouerunt literas, indicatum eſt. Quod multo diligentius factum eſt, quam noſtri vel latine vel punice, quos abecedarios vocant Pſalmos, facere conſueuerunt. Non enim omnes verſus donec claudatur periodus, ſed ſolos primos ab eadem litera incipiunt, quam praeponunt.* Euolue commentatores hebraeos et chriſtianos paſſim, HOTTINGERVM (s) et praecipue CHRISTOPHORVM SONNTAGIVM in titulis Pſalmorum (t).

Abecedarium Pſalmum AVGVSTINVS etiam contra partem Donati ſcripſit, eumque hodie cum aliis ſcriptis contra Donatiſtas habemus in ſeptimo operum tomo (u). Incipit ille ab A. tenditque ad V. peculiari ratione compoſitus. Scopum huius pſalmi, compoſitionem, eiusque rationem ipſe AVGVSTINVS in retractationibus ſuis (x) pluribus expoſuit: *Volens etiam cauſam Donatiſtarum ad ipſius humillimi vulgi et omnino imperitorum atque idiotarum notitiam peruenire, et eorum, quantum fieri poſſet per nos, inhaerere memoriae, Pſalmum, qui eis cantaretur, per latinas literas feci; ſed vsque ad V. literam. Tales enim abecedarios appellant. Tres vero vltimas omiſi, ſed pro eis nouiſſimum quaſi epilogum adiunxi, quaſi eos mater alloqueretur eccleſia. Hypopſalma etiam, quod reſpondetur, et prooemium cauſae, quod nihilominus cantatur, non ſunt in ordine literarum. Earum quippe ordo incipit poſt prooemium. Ideo autem non aliquo carminis genere id fieri volui, ne me neceſſitas*

r) *conc.* 32. *Tom. VIII. opp. f.* 307. *b.* s) *Theſaur. philol. p.* 170. t) *ad Pſalm* 119. *p.* 437. *ſqq.* u) edit. Pariſ. col. 2. x) *lib.* 1. *cap.* 20. *p. m.* 7. *b.*

Digitized by Google

tas metrica ad aliqua verba, quae vulgo minus ſunt vſitata, compelleret. Iſte Pſalmus ſic incipit: Omnes qui gaudetis.

ABELITAE, *Abeliani, Abeloitae, Abelonii, Abelonitae*, dicti videntur ab Abele (y), vt *Adamiani* ab Adamo, *Cainiani* a Caino, *Sethiani* a Setho. Quid vero iſti cum Abele commune habuerint, non ſatis apparet. DANAEVS (z) arbitratur, eos in dogmate ſuo, ſtatim producendo, Abelis exemplum reſpexiſſe, quem etſi non negabant habuiſſe coniugem, vſum tamen vnquam vxore ſua non concedebant, quia nullos filios concepiſſe legitur, quemadmodum Cain et Seth, quorum ſoboles refertur et commemoratur a Moſe. Sed idem quoque addit, temere hoc exemplum ad erroris defenſionem adduci, cum Moſes neque eum vxorem habuiſſe ſcribat, neque filios ſuſcepiſſe. BOCHARTI (a) coniectura eſt, fabulam iſtam ad eos quoque penetraſſe, quae totum orientem iam pridem peruagata eſt, Adamum poſt Abelis necem ab vxore abſtinuiſſe per annos centum et triginta; vt habetur in vetuſtiſſimo libro Bereſith Rabba, citante R. Moſe Maimonide (b). Inde putat, arabicum verbum ex Abele factum תאבל *theabbala* eſſe ab vxore continere ſe. STEPH. LE MOYNE (c) coniecturae huic addit aliam, forte nomen hoc eſſe petitum ab הב אלה *donum Dei:* adeo vt eſſent quaſi ἀποσπασμάτιον et ſoboles Δοσιθεῶν et Δωροθεῶν, et Abelitae vocarentur, nomine punico, quod idem ſonat ac *Doſitheus*, *Dorotheus*. Punicam hi quaerunt vocis originem, ſine dubio occaſione verborum AVGVSTINI (d): *Abelonii vocantur punica declinatione nominis;* haec autem non originem, ſed nominis flexionem et terminationem duntaxat indicare volunt. De autore huius ſectae nihil conſtat: de aetate autem horum hominum variae ſunt ſententiae. LE MOYNE (e) a Doſitheanis ſeculi I. haereticis originem eorum deriuat. DANAEVS (f) coniectatur, eos ante poſtremam Auguſtini aetatem et natos et extinctos: natos quidem ſub Arcadio imperatore et Anaſtaſio epiſcopo romano poſt annum

y) AVGVSTIN. *libr. de haereſ. cap.* 87. *Autor Praedeſtinati haer.* 87. z) in *not. ad Auguſtin. loc. cit. p.* 371. a) *Geograph. ſacr. lib.* 2. *cap.* 16. *p. m.* 851. b) in *more Nebochim lib.* 1. *c.* 7. c) in *not. ad Varia ſacra p.* 1103. d) *loc. cit.* e) *loc. cit.* f) *loc. cit.*

annum a Chriſto paſſo CCLXX. extinctos vero poſtea ſub Theodoſio iuniore: cum Auguſtinus opuſculum de haereſibus ſenex ſcripſerit. *Autor Praedeſtinati* (g) priores eſſe paene omnibus haereticis affirmat. Ipſe Auguſtinus de aetate illorum prima nihil habet, ſuo autem tempore omnes ad ſaniorem mentem perueniſſe ſcribit (h): *Paulatim enim diminuta, in vna exigua villa remanſerat, in qua quidem pauciſſimi, ſed omnes hic fuerunt, qui omnes modo correcti, et catholici facti ſunt, nec aliquid illius ſuperſedit erroris.* Vocat praeterea eos *quandam haereſin in campo noſtro, id eſt, Hipponenſi.* Hinc, excepto AVGVSTINO et Autore Praedeſtinati, nihil quicquam latini ſcriptores de iis commemorarunt; graecis autem plane fuerunt ignoti. *Dogma* illorum teſte Auguſtino vnum erat: *Non miſcebantur vxoribus, et eis tamen ſine vxoribus viuere ſectae ipſius dogmate non licebat. Mares ergo et foeminae ſub continentiae profeſſione ſimul habitantes, puerum et puellam ſibi adoptabant in eiusdem coniunctionis pacto ſucceſſores ſuos futuros. Morte praeuentis quibusque ſingulis alii ſubrogabantur, dum tamen duo duobus disparis ſexus in illius domus ſocietate ſuccederent. Vtrolibet quippe parente defuncto, vni remanenti, vsque ad eius quoque obitum filii ſeruiebant, poſt cuius mortem etiam ipſi puerum et puellam ſimiliter adoptabant. Nec vnquam eis defuit, vnde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, et filios ſuos inopes ad ſpem haereditatis alienae dantibus libenter.* Addit auctor Praedeſtinati fundamentum opinionis, quam fouebant, in ſequentibus verbis: *Haec ſola erat inter nos atque illos diſtantia; in quo noſtros arguebant, ita non in lege noſtra exerceri coniugia, vt et qui nubunt, tanquam non nubentes ſint.*

ABIVRATIO eſt interdum eiuratio terrae et prouinciae, prout id videre eſt ex more Anglorum (i), vbi denotabat iuramentum, quod, qui capitali crimine perpetrato, et ſeruandae vitae cauſa in templum aut coemeterium tanquam in aſylum refugiſſet, praeſtare ſolebat, perpetuo exilio extra patriam ſe extorrem fore. Nam *coronator*, ſeu iudex coronae ad reum accedebat, et ab eo excipiebat delicti confeſſionem: qua edita vt intra

g) *loc. cit.* h) *loc. cit.* i) ex DV FRESNE *loc. cit. p.* 20. *ſq.*

Digitized by Google

intra 40 dies regnum abiuraret, imperabat. Quo facto, reus ab eccleſia, aſyli iure gaudente, excedebat, ſola camiſia et tunica indutus, et cum cruce ex ligno confecta in manibus, quae quidem crux ſignum erat ſeruatae vitae per religionem, vt ait POLYDORVS VIRGILIVS. Abiurationis autem ſacramentum *iis verbis* concipitur apud STAMFORDIVM: *Hoc audis, Domine Coronator, quod ego ſum latro bidentium, vel alicuius alterius animalis, vel homicida vnius vel plurium, et ſelo Domini Regis Angliae. Et quia multa mala et latrocinia, vel huiusmodi in terra feci, abiuro terram Domini Regis Angliae. Et quod debeo me feſtinare verſus portum de tali loco, quem mihi dediſti; et quod non debeo abire de altera via: et ſi faciam, volo, quod ſim captus ſicut latro et ſelo Domini Regis; et quod ad talem locum diligenter quaeram tranſitum, et quod non expectabo illic, niſi fluxum et refluxum, ſi tranſitum habere potero; et niſi tanto ſpatio tranſitum habere potero, ibo quolibet die in mare vsque ad genu, tentans tranſire: et niſi hoc potero infra 40 dies continuos, mittam me iterum ad eccleſiam ſicut latro et ſelo Domini Regis: ſic me Deus adiuuet*, etc. Abiurationis *ritus* et conditiones docent iura et conſuetudines Normannorum (k): *Diffugiens autem ad eccleſiam vel ad loca ſancta, per octo dies poteſt in eccleſia morari; nono autem die ab eo eſt inquirendum, vtrum ſe exponere voluerit iuſtitiae laicali, vel ſe tenere eccleſiae. Quotiescunque enim voluerit, ſe iuſtitiario poteſt reddere laicali, vel tenere eccleſiae. Si autem ſe tenere voluerit eccleſiae, patriam foris abiurabit in forma, praeſentibus militibus et viris aliis fide dignis, qui ſuper hoc, ſi opus fuerit, valeant recordare. Hoc autem audiant omnes aſſiſtentes, quod tu de caetero in Normanniam non intrabis, nec alicui malum vel detrimentum propter hanc priſoniam per te vel per alium dictae terrae facies, vel habitatoribus eiusdem facere procurabis. Sic Deus et ſacroſancti te adiuuent. Haec verba iurans de ſe debet exprimere. Et hoc facto ab eo audiatur, per quas partes Normanniae exire elegerit: et eidem ſecundum diſtantiae quantitatem terminus competens aſſignetur exeundi: nec exiens vltra vnius noctis ſpatium in vlla villa poterit immorari, niſi*

 graui

k) *cap.* 24.

graui et euidenti infirmitate teneatur, nec ad loca reuerti iam transacta, ſed per viam ab eodem expreſſam debet metas exire Normanniae. Poſtea vero de eo, vt de forbanizato deuitando vel capiendo in omnibus agendum eſt (l). Vide *pax eccleſiae.* Abiuratio porro *Clericos* non ſpectabat: nam *clericus pro felonia fugiens ad eccleſiam pro immunitate habenda, asſerens, ſe eſſe clericum, non compellebatur regnum abiurare; ſed legi regni ſe reddens, gaudebat eccleſiaſtica libertate, iuxta conſuetudinem regni vſitatam.* Ita prouinciale eccleſiae Cantuarienſis (m).

ABLVTIO manuum in miſſa a ſacerdote fit duabus vicibus (n): ſemel quando ſe parat ad miſſam, corporaliter lauat manus, vt ſpiritualiter, ſecundum INNOCENTIVM III. (o) mundet actus: rurſus ante oblationem, quaſi, ait ALBERTVS M. tum ampliore indigeat ablutione etiam a venialibus et peccatorum reliquiis, dicens cum Propheta Pſalmo XXV: *Lauabo* non iam inter peccatores, ſed *inter innocentes manus meas:* et Pſalmo L. *Amplius laua me ab iniuſtitia mea.* In V. T. Aaron et filii eius manus lauabant in ingreſſu tabernaculi et rurſus acceſſuri (p) ad altare. CYRILLVS *Hieroſolymitanus* iam olim ſuis neophytis explicauit (q), quid ſibi velit illa ablutio non ſacerdotis tantum, ſed etiam reliquorum presbyterorum: *Vidiſtis diaconum aquam lauandis manibus porrigentem ſacerdoti, et illis, qui circum altare Dei ſtabant, presbyteris. Num ideo prorſus dabat, vt ſordes corporis abluerentur? Nequaquam. Nec enim adeo ſordibus corporis foedati in eccleſiam ingredi ſolemus. Sed illa manuum ablutio ſymbolum eſt, oportere nos a peccatis omnibus et iniquitatibus mundari. Cum enim per manus deſignentur actiones, lauare certe easdem munditiem et puritatem operum*

l) Adde *cap.* 82. Easdem abiurationis conditiones multis proſequuntur BRACTON *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 16. Idem STAMFORDIVS, et RASTALLVS in *expoſitione vocum obſcurarum in Legibus Angl.* quibus adde *Leges Edwardi.* Conf. *cap.* 19. *concil. Lambetenſe an.* 1261. *cap. de his, qui ad eccleſiam confugiunt; Prouinciale eccleſiae Cantuar. lib.* 3. *tit.* 28. *p.* 365. *Articulos oblatos a Praelatis Angliae Regi Edwardo II. an.* 1316. *c.* 10. 15. in *concil. Britann. tom.* 2. etc. m) *lib.* 3. *tit.* 29. n) STEPH. DVRANT. *de ritib. eccl. cathol. l.* 2. *c.* 28. *p.* 269. *ſq.* o) *libr.* 1. *de myſt. miſſae cap.* 49. p) *Exod. c.* 30. q) *Catecheſ. myſtag.* 5. *p. m.* 535.

Digitized by Google

rum ſignificat. DIONYSIVS *Areopagita* vulgo ſic dictum eundem deſcribit ritum (r): *Tum lotis aqua manibus pontificis ac ſacerdotum, pontifex diuini altaris medio aſſiſtit, circumſtantibus illi ſolis miniſtrorum primoribus vna cum ſacerdotibus.* Rurſus (s): *Adſtans coram Symbolis ſanctiſſimis pontifex aqua manus abluit vna cum ſacerdotum ordine venerando. Nam qui lotus eſt, (vt eloquia teſtantur) non opus habet alia quam ſummitatum ſeu extremitatum ſuarum lotione.* Et paulo poſt: *Sacrum lauacrum, vti diximus, in legali erat hierarchia; modo autem pontificis ac ſacerdotum illa manuum ablutio illud ipſum inſinuat. Eos enim, qui ad puriſſimum accedunt ſacrificium, expiatos eſſe decet extremis etiam animae phantaſiis, et per ſimilitudinem ipſi, quoad poteſt, appropinquare.* Et poſtea (t): *Pontificis illa ſacerdotumque ablutio, quae ſummis extremisque digitis adhibetur, coram ſacroſanctis iſtis ſymbolis inſtituitur, non ſecus ac coram Chriſto, qui occultiſſimas quasque cogitationes intuetur.* S. GERMANVS in *theoria rerum eccleſiaſticarum: Lauat ſacerdos manus, hoſtiam oblaturus, vt ſignificet, ſe lauare et purgare debere conſcientiam lacrymis poenitentiae.* Pſalmo VI. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo* (u). Non tantum autem ſacerdotes ante ſacrificium manus abluebant, ſed et laici ante ſacram communionem. S. AVGVSTINVS (x): *Omnes viri quando communicare deſiderant, lauant manus ſuas, et omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiunt. Non eſt grande, quod dico, fratres, quomodo viri lauant aqua manus ſuas, ſic eleemoſynis lauent conſcientias ſuas.*

ABLVTIO *pueri poſt baptiſmum*, graecis ἀπολουσία (y), ritus eſt non pridem duntaxat, ſed et etiamnum obſeruatus apud Graecos circa recens baptizatos (z). Poſt dies ſcilicet ſeptem, vt *Euchologium* Graecorum docet, iterum puerum deferunt in ecle-

r) *de hierarch. eccleſ. cap.* 3. *p. m.* 284. s) *ibid. pag.* 295. t) *ibid. p.* 296. u) Conf. BEDA in *libro de tabernaculo et vaſis eius.* INNOCENT. *lib.* 2. *myſt. miſſ. c.* 55. DVRAND. in *Rational. l.* 4. *c.* 28. AMALAR. FORTVNAT. *l.* 3. *de eccleſ. off. cap.* 19. MARTENE *de rit. monach. p.* 190. 192. 193. 196. x) *Dominic.* 24. *poſt Trinitat. ſerm.* 2. *in anniuerſario dedicat. eccleſ.* y) DV FRESN. *gloſſ. graec. p.* 105. *ſq.* y) *p. m.* 371. *ſq.*

cleſiam, vt abluatur: praemiſſis enim aliquot orationibus ſacerdos pueri cingulum ſoluit, et amiculum eius (σάββανον), extremitatibus ad ſe inuicem iunctis, acceptum aqua munda rigat, vnaque puerum aſpergit, dicens: *Iuſtificatus es, illuminatus es*, et reliqua. Et, accepta ſpongia noua, aqua frontem eius, caput pariter et pectus detergit, et reliqua, dicens: *Baptizatus es, illuminatus es, vnguento vnctus es, ſanctificatus et ablutus es: in nomine patris et filii et ſpiritus ſancti: nunc et ſemper et in ſecula ſeculorum, amen.* Per ſeptem illos dies pueri apud Graecos nulla ratione lauantur: *propter ſanctum chriſma nullatenus puerum lauari conuenit*, ſcribit Theſſalonicenſis; quamuis puerorum munditiae, ſolutis a parte inferiori ſabanis, et interiori panno detracto alioque ſolerter addito conſulant (a): hinc octauo die τοῦ ἀποκουκκουλῶσαι, *cucullum auferendi*, et τοῦ ἀπολοῦσαι τὸν παῖδα, *a reliquiis vnguenti abluendi* et abstergendi ritus, de quo Theſſalonicenſis: *Poſt ſeptimum vero diem, quae vitae huius ſeptenae curſum ſignificat, in ſeparato loco baptizatus abluitur: ne forte ſanctorum, aqua dico baptiſmi, vel vnguenti aliquid excidens deperdatur.* In eccleſia latina totidem quidem diebus albarum veſtium geſtatio obtinebat, ſed de ablutione nihil obſeruaui, niſi quod *Ordo romanus* exhibeat benedictionem aquae ad albas deponendas, quae ita ſe habet (b): *Domine ſancte, pater omnipotens, aeterne Deus, creator generis humani, nos, qui per te redempti ſumus, et per gratiam pietatis tuae in fonte aquae baptiſmi renati ſumus, dignare quaeſumus huic creaturae per ſignum crucis ſobrietatem infundere, vt ſicut per fontem baptiſmi imbuti ſumus, ita ſuper hanc aquam, quam poſt fontem ſacrum ad abluendas albas offerimus, veniat ſpiritus ſanctus tuus, qui in fonte baptiſmi et in confeſſione nominis tui peccata extinxit. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit et regnat in vnitate eiusdem ſpiritus ſancti Deus.*

ABRAXAS (c), *Abraſax* (d) et male apud THEODORETVM

a) notante GOARO *ad Euchol*og. *p.* 373. b) *pag. m.* 88. c) ita legunt IRENAEVS, TERTVLLIANVS, AVGVSTINVS et HIERONYMVS. Sed EPIPHANIVS et gemmae quaedam *Abraſax*. d) Vid. ITTIGIVS de *haereſiarch. diſſ. ſect.* 2. *c.* 2. *p.* 100. *ſqq.*

TVM *Abraxax*, Baſilidi haeretico eſt ſummus Deorum, a quo tanquam ſupremo principio caetera omnia deduxit. Conſtituit is angelos ſeptem coelorum praeſides, ac praeterea eorum trecentas ſexaginta quinque virtutes iuxta anni dies, quos ſeptem illae literae indicarent (e). Nempe litera A apud Graecos eſt 1, B 2, P 100, A 1, Ξ 60, A 1, Σ 200, vt ſumma omnium literarum ſit 365. HIERONYMVS (f) diuerſis in locis huius *Abraxas* mentionem facit, et alicubi (g) dicit: *Abraxas* aliaque huiusmodi portenta potius quam nomina ad imperitorum et mulierculariun animos concitandos excogitata barbaro ſimplices quosque terrere ſono, vt plus mirentur, quod non intelligunt. Idem HIERONYMVS *loc. cit.* ſcribit, quod Baſilides Deum Abraxas appellauerit, qui ſecundum graecas literas et annui curſus numerum in ſolis circulo contineatur, quem ethnici ſub eodem numero aliarum literarum *Mithram* appellarint. Vt vero ex hoc nomine numerus prodeat, IO. MACARIVS (h) neceſſarium putauit, vt ſeruato alphabeti ordine et litera ς ſenarium vulgo notante, transpoſita, H pro ſeptimo et Θ pro octauo numero accipiamus, hoc modo: M 40, I 10, Θ 8, P 100, H 7, Σ 200, vt ſumma ſit 365. Hac vero transpoſitione opus non eſſe iudicarunt alii (i), qui *Mithrae* nomen ita exprimunt: ΜΕΙΘΡΑΣ: ſic ergo ſe habebunt numeri: M 40, E 5, I 10, Θ 9, P 100, A 1, Σ 200. et ſimiliter prodibunt 365. GOTHOFREDVS VENDELINVS in *epiſtola ad Chifletium* ex literis huius nominis *Abraxas* vel *Abraſax* myſterium Trinitatis et crucifixi Saluatoris meritum eruere conatus eſt hoc modo:

A	Aβ	אב	Pater
B	Bεν	בן	Filius
P	Pȣαχ	רוח	Spiritus
A	Aʹκαδως	הקדש	Sanctus
Σ	Σωτηρία		Saluatio
A	Aπὸ		a beneficio
Ξ	Ξύλȣ		ligni.

Hodie-

e) IRENAEVS *lib.* 1. *adu. haer. c.* 23. Autor *append. ad Tertullian. de praeſcript. c.* 46. f) *comment. ad c.* 3. *Amos.* et *ad Abdiam.* et *ad c.* 1. *Nahum*, et in *catal. ſcript. c.* 21. g) *epiſt.* 29. h) in *libro ſtatim citando.* i) ATHANAS. KIRCH. *Oedip. tom.* 2. *part.* 2. *claſſ.* 2. *c.* 6. nec non CHIFFLET. *loco mox citando.*

Digitized by Google

Hodienum plures gemmae hacce *Abraxas* deſcriptione, quae Baſilidianis haereticis amuleti vice fuere, contra morbos et malos daemones paſſim apparent. Videndi de illis ſunt CAESAR BARONIVS in *annalibus eccleſiaſticis* (k): IO. MACARIVS ante laudatus in disquiſitione poſthuma de gemmis Baſilidianis, quae inſcribitur *Abraxas* ſeu *Apiſtopiſtus:* et IOANNES CHIFFLETIVS, qui et praedictam Macarii disquiſitionem publici iuris fecit, et aliam ipſe adiunxit, quae inſcribitur: *Abraxas Proteus, ſeu gemmae Baſilidianae multiformis portentoſa varietas*, in qua centum et viginti gemmas Baſilidianas exhibet et commentario illuſtrat, in quarum disſertationum frontiſpicio etiam BARONII, SCALIGERI, SALMASII, GASSENDI aliorumque de Deo Baſilidis iudicia videas. Idem exhibuit quoque GOTHOFREDI VENDELINI epiſtolam antea citatam. Alias etiam exhibuit MOULINET in tractatu gallico, qui inſcribitur: *le cabinet de la Bibliotheque de S. Genevieve*, varias antiquitates ſacras et profanas ſiſtente. DV FRESNE talem gemmam ex muſeo PP. Canonicorum regularium S. Genovefae Pariſienſis in latino gloſſario transſcripſit (l): ΑΒΡΑΣΑΞ ΑΔΩΝΑΙ ΔΑΙΜΟΝΩΝ ΔΕΞΙΑΙ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΦΥΛΑΞΑΤΕ ΟΥΑΒΙΑΝ ΠΑΥΛΕΙΝΑΝ ΑΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΚΑΚΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ.

Ex eodem nomine *Abraxas* ortum ſuum trahit (m) notiſſimum illud amuletum *Abracadabra*, quod antiquus Medicus Q. SERENVS SAMMONICVS collo appendi iusſit pro hemitritaeo (n). Conficitur id ex voce *Abraſadabra* ſaepius repetita, et vltimis elementis ſucceſſiue diminuta, ita, vt in coni aut inuerſae pyramidis figuram abeat, et in vltima linea ſola initialis litera relinquatur hoc modo:

Abraſa-

k) *tom.* 2. *ad ann.* 120. *num.* 12. *ſqq. p.* 65. *ſq.* l) *pag.* 24. m) teſte BARONIO *loc. cit.* et SELDENO in *ſyntagm. de Diis Syris c.* 2. n) *cap.* 53.

Digitized by Google

Abraſadabra		ΑΒΡΑCΑΔΑΒΡΑ
Abraſadabr		ΑΒΡΑCΑΔΑΒΡ
Abraſadab		ΑΒΡΑCΑΔΑΒ
Abraſada		ΑΒΡΑCΑΔΑ
Abraſad		ΑΒΡΑCΑΔ
Abraſa	ſeu	ΑΒΡΑCΑ
Abras		ΑΒΡΑC
Abra		ΑΒΡΑ
Abr		ΑΒΡ
Ab		ΑΒ
A		Α

Carmen hoc amuletum deſcribens ita ſe habet (o):

Inſcribis chartae, quod dicitur ΑΒΡΑCΑΔΑΒΡΑ
Saepius, et ſubter repetis, ſed detrahe ſummam,
Et magis atque magis deſint elementa figuris
Singula, quae ſemper rapies et cetera figes,
Donec in anguſtum redigatur littera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

Et in fine:

Talia languentis conducent vincula collo,
Lethalesque abigent (miranda potentia) morbos.

Ex hoc amuleto VENDELINVS iterum ſua myſteria ita deducit, vt ſyllabis initialibus et finalibus *Abra* inuocationem Trinitatis contineri dicat, medias autem literas *ſad* ſignificare σωτηρίαν ἀπὸ δόξης, i. e. *ſalutem a gloria Trinitatis.* Verum hoc acute quidem excogitatum, ſed merum ingenii luſum eſſe, recte iudicat CHIFFLETIVS in commentario ad gemmas Abraxeas (p). Quam male autem VENDELINVS haec myſteria in his quaerat, inde conſtare poteſt, quod Baſilides neque myſterium Trinitatis neque veram Chriſti crucifixionem agnouerit, vt ex infra dicendis conſtabit.

ABRENVNCIARE *Diabolo, pompae et cultui eius* (q), eſt ſolennis formula in baptiſmo, quam baptizandi dicere ſolebant. Ἀποτάσσομαι τῷ Σατανᾷ, καὶ συντασσομαι Χριςῷ: *Abrenuncio Satanae,*

o) Extat inter epigr. et poëmat. vet. p. 158. p) *cap.* 1. *p.* 65. q) STEPH. DVRANT. *de ritib. eccl. cath. l.* 1. *c.* 19. *num.* 31. IO. CASP. SVICER. *theſ. eccl. tom.* 1. in voce ἀποτάσσομαι *p.* 481. *ſqq.* GOAR ad *Euchology. graec, p.* 349. MATTH. ZIMMERMANN. *diſſ. hiſt. theol. ad Tertull. p.* 61. RITTERSHVS. in *notis ad Saluian. p.* 200. *ſqq.*

tanae, et coniungor cum Chriſto. Erat illa primis temporibus ſine dubio breuis, ſed poſtea ab antiſtitibus, vel pro eccleſiarum ſuarum vſu, vel pro pietatis feruore latius interdum deducta. Mentionem illius crebro faciunt patres *graeci*, ad eam vel prouocando vel explicando. Multus in eo eſt CHRYSOSTOMVS diuerſis in locis (r): Τί χαριέςερον τῶν ῥημάτων, δι᾽ ὧν ἀποτασσόμεθα τῷ Διαβόλῳ; δι᾽ ὧν συντασσόμεθα τῷ Χριςῷ; τῆς ὁμολογίας ἐκείνης τῆς πρὸ τȢ λȢτρȢ, τῆς μετὰ τὸ λȢτρόν. *Quid verbis illis gratioſius, per quae abrenunciamus Diabolo: per quae in militum Chriſti numerum adſcribimur? Confeſſione illa, quae fit ante lauacrum, et illa, quae fit poſt lauacrum?* Iterum in epiſt. ad Coloſſenſes (s): *Videte, ne ex iſto chirographo arguamur et conuincamur, poſtquam dixerimus: abrenuncio Satanae, et tibi nomen do, Chriſte.* Plura idem habet in homilia XXI. ad populum Antiochenum, quae eſt catecheſis ad illuminandos. Inter alia foeminam, quam a ſuperbia dehortatur, ita alloquitur: *Vocis illius recorderis, quam, dum ſacris inſtitueris, emiſiſti: Abrenuncio tibi, Satana, et pompae tuae, et cultui tuo.* Et mox: *Dic igitur continue: Abrenuncio tibi, Satana: nihil hac voce tutius, ſi ipſam per opera oſtendamus. Hanc vt et vos initiandi diſcatis, rogo. Haec enim vox confoederatio cum Domino eſt.* Paulo poſt explicat, quid ſit pompa ſatanica, videlicet *theatra, circenſes, et omne peccatum, et dierum obſeruatio, et praeſagia et omina, et ligaturae, et amuleta, et epodae ſeu incantamenta, quantumlibet Dei adhibito nomine facta.* GREGORIVS NAZIANZENVS (t) in praeſentia CL epiſcoporum ita loquitur: *Scis haec, quisquis initiatus es, quippe quae impietatis abiuratio, et diuinitatis profeſſio ſit.* CYRILLVS *Hieroſolymitanus* totus eſt in prima catecheſi myſtagogica (u) in enarratione huius formulae: *quid igitur vnusquisque veſtrum ſtans dicebat?* Renuncio tibi, Satana, *tibi, inquam ſcelerato et ſaeuiſſimo tyranno: non amplius metuo vires tuas: diſſoluit enim eas Chriſtus, ſanguinis mei, et corporis particeps factus, vt ſuis paſſionibus et morte mortem opprimeret, vt ne perpetuo obnoxius eſſem ſeruituti. Renuncio tibi ſerpenti callido et vafro:*

Renun-

r) *Homil. I. in epiſt. ad Epheſ.* s) *Homil. VI.* t) *Orat.* 32.
u) *p. m.* 508. *ſeqq.*

Renuncio tibi impoſtori, qui ſub ſpecie amicitiae omnem agitas iniquitatem: qui maiores noſtros ad defectionem induxiſti: Renuncio tibi, Satana, totius improbitatis opifici et adminiſtro. Doceris mox et alteram renunciationis partem addere: et omnibus tuis operibus. *Operae Satanae ſunt cuiusvis generis peccata, quibus te renunciare neceſſe eſt: vt cum aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius vitare ſtudet. Omne igitur genus peccati ſub hoc operum Diaboli nomine comprehenditur ----- Renuncia ergo Satanae operibus, omnibus, inquam, actionibus et cogitationibus, quaecunque rectae rationi non conueniunt. Poſtea dicis:* et omni pompae illius. *Pompa diaboli eſt, in theatris ſpectacula, in hippodromo curſus equorum, et venationes, et reliqua omnis eiuscemodi vanitas. Dicis praeterea:* et omni tuo cultui. *Cultus eſt Diaboli, illae, quae in idolis fiunt, ſupplicationes, et quaecunque in honorem idolorum peraguntur, vt incendere lucernas, ad fontes et fluuios adolere: et quod nonnulli ſomniis, et a daemonibus decepti faciunt, vt corporis etiam affectionum curationem inde ſeſe conſequi poſſe ſperent. Neque ad alia eiusmodi deuenias: nam et auguria, diuinationes, omina aut amuleta, aut inſcriptiones in foliis, aut aliae malae artes, et cetera huiusmodi, cultus diaboli ſunt.* EPHRAIM *Syrus* de abrenunciatione in baptiſmo facta: *Modicis*, inquit, *verbis cuncta, quae nominantur mala, quaeque odit Deus, valere iubemus et abrenunciamus, cuiusmodi ſunt non vnum duntaxat, non duo, non decem, ſed quodcunque appellatur malum: puta, Abrenuncio Satanae, et cunctis operibus eius.* Sic dictae conſtitutiones apoſtolicae formulam illam ſequentem in modum exprimunt (x): *Abrenuncio Satanae et operibus eius, pompis eius, et cultui eius, et angelis eius, et inuentis eius, et omnibus, quae ſub eo ſunt. Poſt abrenunciationem ſe Chriſto coniungens dicat: Et coniungor cum Chriſto, et credo, et baptizor in vnum ingenitum ſolum verum Deum.* Totum hunc ritum eccleſia graeca hodie quoque obſeruat, prout is deſcribitur in Euchologio: Exutum discalceatumque baptizandum conuertit ſacerdos ad occidentem, manus in altum protendentem, et ait ter: *Abrenuncias Satanae, et omnibus operibus eius, et omnibus angelis eius?* *et*

x) *lib. 7. c. 42. p. 993.*

et omni pompae eius? et omni cultui eius? Hocque ter dicitur. Et ad interrogata ſingula, catechumenus aut ſuſceptor eius, ſi fuerit ille barbarus aut puer, reſpondet: *Abrenuncio.* Et cum ter hoc dixerit, interrogat rurſum ſacerdos baptizandum: *Abrenunciaſti Satanae?* et reſpondet catechumenus aut ſuſceptor: *Abrenunciaui.* Et cum hoc ter dixerit, ait ſacerdos: *Inſuffla igitur, et exſpue in illum.* Et hoc illo faciente, vertit illum ſacerdos ad orientem, demiſſas habentem manus, et dicit ei ſacerdos vsque tertio: *Coniungeris Chriſto?* et reſpondet catechumenus vel ſuſceptor, dicens etiam ter: *Coniungor.* Deinde rurſum dicit ei ſacerdos: *Coniunctus es Chriſto?* et reſpondet: *Sum coniunctus.* Et iterum ait: *Et credis in eum?* et dicit: *Credo in illum, vt Deum et Regem meum:* et dicit: *Credo in vnum Deum* etc. Et cum ſacrum ſymbolum abſoluerit, ter rurſum ei dicit: *Coniunctus es Chriſto?* et caetera, reſpondente ad interrogata ſingula catechumeno aut ſuſceptore, vt dictum eſt. Interrogato vero vsque tertio, et tertio etiam ſacrum ſymbolum recitante, tertio tandem interrogat: *Chriſto coniunctus es?* et reſpondet: *Coniunctus ſum.* Et dicit ſacerdos: *Adora ergo illum* etc. Imo CHRYSOSTOMVS in laudata homilia (y) ſub finem ſuadet, vt antequam domo egreſſi in publicum eamus, verba illa recitemus: *Et ſicut ſine calceamentis vel veſtimentis veſtrum nemo in forum deſcendere eligeret: ita ſine verbo hoc nunquam in forum prodeas, ſed cum es ianuae veſtibula transgreſſurus, hoc prius loquere verbum: Abrenuncio tibi, Satana, et pompae tuae, et cultui tuo, et coniungor tibi, Chriſte. Ne vnquam absque hac voce exeas: haec erit tibi baculus, haec armatura, haec turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo et crucem in fronte imprime: ſic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipſe diabolus te quicquam laedere poterit, cum his te cernens armis vbique apparentem.*

Similiter apud *latinos* patres plura dantur loca, quae eo reſpiciunt. TERTVLLIANVS in libro *de corona militis* (z): *Aquam adituri, ibidem, ſed et aliquanto prius in eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo, et pompae et angelis eius.* Et eodem libro (a): *Omnes alienae, profanae, illicitae,*

y) *XX. p. m.* 243. *ſqq.* z) *cap.* 3. *p. m.* 206. a) *cap.* 13. *p.* 209.

Digitized by Google

illicitae, ſemel iam in ſacramenti teſtatione eieratae. Hae enim erant pompae diaboli et angelorum eius, officia ſeculi, honores, ſolennitates poſtulatrices, falſa vota, humana ſeruitia, laudes vanae, gloriae turpes: et in omnibus iſtis idololatria in ſolo quoque cenſu coronarum, quibus omnia iſta redimita ſunt. Idem *de ſpectaculis* (b): *Cum aquam ingreſſi chriſtianam fidem, in legis ſuae verba, profitemur, renunciaſſe nos diabolo, et pompae, et angelis eius, ore noſtro conteſtamur;* et *de idololatria* (c): *Tu ſi diaboli pompam eiuraſti, quicquid ex ea tetigeris, id ſcias eſſe idololatriam.* CYPRIANVS *de habitu virginum* (d) ad eandem formulam alludens ita ſcribit: *Quaecunque terrena ſunt, in ſeculo accepta, et hic cum ſeculo remanſura, tam contemni debent, quam mundus ipſe contemnitur, cuius pompis et deliciis jam tunc renunciauimus, cum meliore transgreſſu ad Dominum venimus.* Intellige per baptiſmum Chriſto inſiti. Nec aliter HIERONYMVS *in regula monachorum* (e): *Nihil ad vos, chariſſimae dominae, de pompis ſeculi attinet, quae abrenunciauiſtis in baptiſmate mundo, diabolo et pompis eorum, quod et poſtmodum confirmaſtis ſub pollicitatione iuramenti, in veſtrae religionis ingreſſu.* Idem (f): *Quidam differunt in baptiſmate ſingulos pactum inire cum diabolo, et dicere: renuncio tibi, diabole, et pompae tuae, et viis tuis, et mundo tuo, qui in maligno poſitus es.* Et (g): *Pactum fuit Iſrael cum Deo, quando dixit ad Moſen: Omnia, quaecunque dixerit Dominus, faciemus. Sed et nunc nos paciſcimur in baptiſmo, vt abrenunciemus diabolo et operibus eius.* AMBROSIVS *in libro de iis, qui initiantur myſteriis* (h): *Ingreſſus eſt regenerationis ſacrarium, repete, quid interrogatus ſis, recognoſce, quid reſponderis, renunciaſti diabolo et operibus eius, mundo et luxuriae eius ac voluptatibus: tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, ſed in libro viuentium.* Et *commentario in Lucam* (i): *Dum baptizamur, nos renunciare mundo; additque, quam grauia vincula, promittere Deo, et non ſoluere.* ARNOBIVS *in Pſalmos:*

F

b) *cap.* 4. c) *cap.* 8. d) *tract.* 2. e) *cap.* 30.
f) *lib.* 1. *comment. in cap. S. Matth. cap.* 6. g) *ad Pſalm.* 118.
h) *cap.* 2. i) *comment.* 9. *in cap.* 10.

Digitized by Google

nos: Tunc vota tua reddes Domino, quae in baptiſmo potius promiſiſti, renunciare te diabolo, et omnibus pompis, et criminibus eius. Et *in Pſalm.* 52. *Si quod votum fecit Deo, ſe renunciaturum diabolo et pompis eius, impleuerit.* Et *in Pſalm.* 75. *Nam in baptiſmatis conſecratione vouerunt, ſeipſos tradere, et omnibus operibus diaboli renunciare.* AVGVSTINVS (k): *Si adiutorium noſtrum in nomine eius eſt, renunciemus diabolo, pompis et angelis eius. Videte dilectiſſimi, quia hanc profeſſionem veſtram in curiam profertis angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vitae, non a quolibet homine, ſed a ſuperiore coelitus poteſtate.* Et (l) enarrat, quae ſint pompae diaboli, quibus renunciemus in baptiſmo. Item OPTATVS *Mileuitanus* (m): *Interrogate eum, quem tenetis, an renunciet diabolo, et credat Domino* etc. SALVIANVS *Maſſilienſis* (n): *Quae eſt enim in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima profeſſio? quae ſcilicet, niſi vt renunciare ſe diabolo ac pompis eius atque ſpectaculis et operibus proteſtentur? Ergo ſpectacula et pompae, etiam iuxta noſtram profeſſionem, opera ſunt diaboli. Quomodo, o Chriſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris, quae opus eſſe diaboli confiteris? renunciaſti ſemel diabolo et ſpectaculis eius, ac per hoc neceſſe eſt, prudens et ſciens, dum ad ſpectacula remeas, ad diabolum te redire, cognoſcas. Vtrique enim rei ſimul renunciaſti, et vnum vtrumque eſſe dixiſti. Si ad vnum reuerteris, ad vtrumque remeaſti* etc. Sequentibus etiam temporibus imperatores in capitularibus epiſcopis inculcarunt, vt fideles interrogarent de facta illa abrenunciatione, et quid per eam intelligere debeant. Sic Carolus Magnus in capitulari ſecundo anni DCCCXI. haec habet (o): *Quid vnusquisque Chriſto in baptiſmo promittat, vel quibus cauſis abrenunciet, vt quamuis vnicuique Chriſtiano conſiderandum ſit, ſpecialiter tamen ab eccleſiaſticis inquirendum, qui laicis ipſius promiſſionis et abrenunciationis in ſua vita exemplum praebere debent. Hic diligentiſſime conſiderandum eſt, et acutiſſime diſtinguendum, quae ſectando, vel quae negligendo, vnusquisque noſtrum ipſam ſuam*

k) *de ſymbolo lib.* 2. *cap.* 1. l) *lib.* 3. *cap.* 1. m) *lib.* 5. *contra Donatiſt.* n) *de gubern. Dei. lib.* 6. *pag.* 182. o) *tom.* 1. *capitul. c.* 9. *p. m.* 481.

Digitized by Google

ſuam promiſſionem et abrenunciationem vel conſeruet, vel irritam faciat. Et quis ſit ille ſatanas ſiue aduerſarius, cuius opera vel pompas in baptiſmo renunciauimus. Hic autem conſpiciendum eſt, ne peruerſa vnusquisque faciendo, illum quilibet noſtrum ſequatur, cum iamdudum in baptiſmo renunciauimus. Idem in epiſtola generali ad archiepiſcopos regni Francorum vtrumque caput ab iis exegit (p). Diſtinctius haec exhibentur in additione ſecunda capitularium (q): *Quid ſit abrenunciare diabolo, operibus et pompis eius, valde omnes fideles intelligere oportet. Quapropter neceſſe eſt, vt praedicatores in admonendo et auditores in diſcendo et opere complendo abhinc, vt ſuum cauere posſint periculum, magnum adhibeant ſtudium. Abrenunciare igitur diabolo eſt, penitus eum reſpuere, ſpernere, reiicere, eique contradicere, ſeque vnumquemque ab eo alienare, ſiue aliud quid, quod hoc verbo in hoc ſenſu exprimi poteſt. Opera eius ſunt, quae vtique operibus Saluatoris contraria exiſtunt. Primum ſuperbia, cuius ille autor eſt, et quae eum ex angelo daemonem fecit, quae eſt etiam initium omnis peccati, et caetera vitia, quae ex radice procedunt ſuperbiae. Pompa diaboli haec eſt, quae et pompa mundi, id eſt, ambitio, arrogantia, vana gloria, omnisque cuiuslibet rei ſuperfluitas in humanis vſibus; vnde creſcit elatio, quae multoties honeſtati ſolet adſcribi, et caetera huiusmodi, quae de fonte ſuperbiae procedere noſcuntur. Haec et his ſimilia ſunt, quae vnusquisque fidelis tempore baptiſmatis a ſe reiecit, Chriſtoque ſe mancipauit, pactumque cum Deo fecit, ne penitus ad ea, quibus abrenunciauit, rediret. Verum ſi iura humanae pactionis firmiter conſeruantur, fixius tamen atque feruentius iura tanti pacti, quae cum Deo facta ſunt, inuiolabiliter ſunt obſeruanda.*

Retinent hunc quoque ritum *Aethiopes*, apud quos ſequens eſt formula (r): *Abrenuncio tibi Satana, et omnibus operibus tuis, et immundis omnibus miniſtris et incantationibus tuis, et omni virtuti tuae, omnibus principibus tuis, omnibus fraudibus, omnibus adulationibus et illecebris tuis malis et tenebricoſis, et omni iurisdictioni et infidelitati tuae.* Eadem formula

 hodie

p) *ibid. p.* 483. q) *ibid. cap.* 4. *p.* 1136. r) vid. *Ord. Aethiop. baptiſmal. c.* 60. *tom.* 6. *bibl. PP.*

Digitized by Google

hodie etiam obtinet non duntaxat in eccleſia latina, ſed et germanica, quemadmodum vtriusque Agendarum libri teſtantur.

Antiquiſſimus eſt hic ritus, et ex arcana traditione, quod quidem de apoſtolica traditione explicant, ad ſequentia tempora deriuatus. Docet id BASILIVS (s): *Ter immergi hominem, vnde traditum eſt? Reliqua item quae fiunt in baptiſmo, velut renunciare Satanae, ex qua ſcriptura habemus? nonne ex priuata et arcana traditione?* Specialiter autem quidam, inter quos LORINVS (t), illum fundatum volunt in verbis Petri, Iudaeos ad baptiſmum hortantis: *Saluamini a generatione iſta praua* (u): atque inde forte manaſſe ritum abrenunciationis ſolennis, diabolo et pompis eius etc. PAMELIVS (x) exiſtimat, latinos et graecos patres hanc formulam mutaſſe non ex formulis iureconſultorum (y), ſed potius ex Lucae cap. XIV. et Pſalm. XXXIII. Sed vtrumque dici poteſt. Ter autem abrenunciatio iſta fuit repetita, quia Chriſtus etiam Petrum Ioh. 21. ter rogauit: Simon Iohanna, diligis me? Id docet AMMONIVS (z): *Per trinam interrogationem atque confeſſionem trinam obliterat abnegationem, et verbis emendat, quae verbis peccarat. Hinc autem orta conſuetudo trinam a baptizando exigendi confeſſionem.*

ABSCONSA eſt coeca laterna, cuius vſus frequens erat apud monachos, a verbo *Abscondo* ſic dicta, eo, quod lumen ſiue candela in illa absconderetur. Ea monachi vt plurimum vtuntur in obeundis dormitoriis. LANFRANCVS in *decretis pro ordine S. Benedicti* (a): *Debet Prior cum absconſa accenſa per chorum ire, ac videre, quam regulariter ſedeant.* Occurrit pluries haec vox apud eundem (b), et apud VDALRICVM, in *conſuetudinibus Cluniacenſibus* (c), in *vita S. Gregorii epiſcopi Armeni* (d) apud GILLEBERTVM *Lunicenſem* epiſcopum *de vſu eccleſiaſtico* etc. Galli monachi *eſconſes* appellabant. Per aphaereſin dicitur *ſconſa* et *conſa*. Ita conſuetudines Floriacenſis coenobii: *vnus vero de infantibus in conſa a magiſtro ſuo praeparata affert*

s) *de Spiritu S. ad Amphilochium.* t) in *commentar. in Act.* 2. u) *Act.* 2, 40. x) in CYPRIANI *epiſt.* 7. *ad Rogatian. pag.* 15. *b.* y) vid. CALVINI *Lexicon* in *voc. Renunciatio.* z) in *Catena in cap.* 21. *Ioh. pag.* 470. *ſqq.* a) *cap.* 1. *ſect.* 1. b) *pag.* 259. 278. 280. 282. c) *pag.* 32. 95. 130. 174. 213. d) *num.* 10.

Digitized by Google

ſert candelam accenſam. Vita S. Cogsuini (e)*: Sconſas ---- nunquam Prior vel Abbas habuit, niſi illam, quae omnibus communis ſuit* (f).

ABSENS idem eſt ac *Abstentus*, et vſurpatur in *capitulis Caroli M.* (g) vbi de Deuota peccante et poenitente: *Prius autem, quam in eccleſia admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium chriſtianae mulieris accedat. Quod ſi admiſſa fuerit, etiam haec, quae eam receperit, habebitur abſens*, id eſt, abſtinebit pariter ab ingreſſu eccleſiae, ſiue habebitur pro excommunicata.

ABSENTARE SE idem eſt, ac abſentem facere vel eſſe, ita in concilio caeſaraugustano (h): *Nulli liceat ſe de concilio abſentare.* PETRVS DAMIANI (i): *A conciliis ſe ſynodalibus abſentauit.* AMBROSIVS in actis S. Sebaſtiani (k): *non potes temetipſum nec a ſpectaculis tollere, neque iudicandis negotiis abſentare.* CYPRIANVS de ſingular. clericor. *Optanda ſemper cognatis, abſentatur adfinitas proximorum.* Ibidem: *Sed pro tuendis paribus votis ſemota vnanimitate abſentari charitas perſuaſit.* Idem de coena Domini: *Sacramenta quidem, quantum in ſe eſt, ſine propria eſſe virtute non posſunt, nec vllo modo ſe diuina maieſtas abſentat myſteriis.* CLAVDIANVS de raptu Proſerp. lib. 3.

Patriis procul abſentauerit oris.

FAVSTVS *Regienſis* de creaturis: *Illuc, vnde ſe abſentauerat, euocata remeauit.* Poſtea: *Et rurſum intra hoſpitium, vnde ſe abſentauerat, reſtitutam vides.* Idem Homil. de vidua: *De qua abſentabit omnis miſeria.* Homil. de latrone beato: *De ligno crucis clamat, ſed iam tempora retributionis abſentat.* Concilii Aruernenſis (l): *Quisquis autem epiſcoporum, excepta ineuitabili cauſa vel neceſſitate, de peragendo ſe concilio abſentauerit.* Concilii Caeſarauguſtani (m): *Nec diebus quadrageſimae ab eccleſia ſe abſentet.* Et (n): *nulli liceat ſe abſentare.*

e) *lib.* 3. f) adde *Monaſticum Anglic. tom.* 3. *pag.* 171. 331. g) *lib.* 7. *cap.* 294. *pag.* 1001. h) *cap.* 4. i) *lib.* 1. *ep.* 9. k) *cap.* 17. *num.* 60. l) *can.* 15. m) *can.* 2. n) *can.* 4.

ABSIDA potius *Apſida*, fornix, ex gr. ἁψὶς, arcus, fornix. PAPIAS (o): *Abſida eſt hemiſphaerium.* HONORIVS *Auguſtodunenſis* (p): *Abſides, id eſt, circuli.* DVRANDVS in Rationali: *Exedra eſt abſida, ſiue volta.* ISIDORVS (q): *Vtrum abſidam an abſidem dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidam Doctorum exiſtimant.* PAVLINVS ad Seuerum: *In qua aeque abſidem factam indicauit. Sed de hoc, abſidam aut abſidem magis dicere debuerim, tu videris; ego neſcire me fateor, quia hoc verbi genus nec legiſſe reminiſcor.* Speciatim pars eſt aedis ſacrae interior, in qua altare collocari ſolet, ſic appellata, quod ſit quodammodo ſeparata a templo, et proprio fornice tecta et conuoluta. IO. LVDOVIC. DE LA CERDA (r) exiſtimat, eſſe aedificium in eccleſia factum ad modum tribunae. Nec immerito Onuphrius Panuinius in explicatione quarundam vocum eccleſiaſticarum abſida explicat tribunam. Id vero accipiendum in modum cathedralium eccleſiarum, quae habent chorum in medio ſitum ad formam tribunae, et hanc eſſe abſidem nemo ambigat. Haec aedis ſacrae pars muſiuo fuit elaborata. ANASTASIVS in Honorio de eccleſia B. Agnetis Martyris: *Fecit abſidam eiusdem baſilicae ex muſiuo.* LEO *Oſtienſ.* chron. Caſſinenſ. (s): *Legatos praeterea Conſtantinopolin ad conducendos muſaei et quadratorii operis peritos opifices mittit, vt alii abſidam, et arcum atque veſtibulum maioris eccleſiae muſiuo componerent.* Abſis erat ſtructura marmoribus adornata, in medio baſilicae, in qua erat ſedes epiſcopi. ANASTAS. in Benedict. III. *Et impetu facto, abſidam, in qua epiſcopi pſallentes reſidebant cum Clero, leones veluti ferociſſimi conſcenderunt.* Plerumque abſis erat marmorata, id eſt, cruſtis marmoreis conueſtita, et erat camerata, id eſt, fornicata. PAVLINVS ad Seuerum (t): *Abſidem ſolo et parietibus marmoratam, camera muſiuo illuſa clarificat.* CASSIANVS (u): *Si quis abſidis*

o) DV FRESN. *l. c. p.* 26. in *deſcript. aed. Sophiae n.* 51. PITHOEVS in *gloſſar. ad Capitul. p. m.* 705. BALVZ. *ad Capitul. pag.* 1207. *ad Reginon. p.* 570. ROSWEIDVS in *onomaſtico ad vitas patrum.* ALTESERRA in *notis et obſeruat. in Anaſtaſium p.* 28. 154. p) *lib.* I. *de imagine mundi cap.* 77. q) *lib.* 14. *cap.* 18. r) *aduerſ. ſacr. cap.* 24. *pag.* 17. s) *lib.* 3. *cap.* 27. t) *ep.* II. u) *collat.* 24. *cap.* 6.

Digitized by Google

abſidis cameram volens in ſublime concludere, ſubtiliſſimi illius centri lineam iugiter circumducat. Abſis erat eminentior, et gradibus conſcendebatur. AVGVSTIN. (x): *Tranſit honor huius ſeculi, tranſit ambitio; in futuro Chriſti iudicio nec abſidae gradatae, nec cathedrae velatae* etc. LEO *Oſtienſ.* Chron. Caſſin. (y): *Porro in eius baſilicae abſida media, ad quam per octo gradus aſcenditur, altare conſtituit in honorem Domini Saluatoris.* Sepulcris martyrum et ſanctorum ſolebat imponi tale culmen in modum abſidis. Sepulcro Gregorii Lingonenſ. epiſcopi abſidam impoſuit Tetricus, filius eius et ſucceſſor, vt videre eſt apud GREGOR. Turonenſem (z): *Cum beatus pontifex in angulo baſilicae fuiſſet ſepultus, ſanctus Tetricus, filius et ſucceſſor eius ante altare baſilicae fundamenta iecit, erectaque abſida miro opere conſtruxit et tranſuoluit, qua tranſuoluta, diſruptoque pariete, arcum aedificauit, quod opus perfectum atque exornatum, vt in medio abſidae loculum fodit, quo corpus beati patris transferre volens, conuocat presbyteros et abbates ad illud officium:* et ſubdit: *Mane autem facto, cum choris pſallentium apprehenſum ſarcophagum, ante altare in abſidem, quam beatus epiſcopus aedificauerat, tranſtulerunt.* HVGO *Flauiniacenſis* (a): *Reliquias Hieroſolymitanas in principali abſida locis congruis venerabiliter collocauit.* Porro abſis erat cancellis ſepta, et hoc eſt, quod ait ANASTASIVS: *Et cancellos ex argento puriſſimo ornauit.* In hanc confluebat interdum hominum multitudo, vt id conſtat ex ZIXILANE in vita S. Ildefonſi epiſcopi Toletani: *Et eleuatis oculis aſpexit in circuitu eius, et vidit omnem abſidam eccleſiae repletam virginum turmis de cantationibus Dauid modulata ſuauitate aliquid decantantibus.* Tempore HINCMARI *Rhemenſis* poenitentes ante abſidam impoſitionem manuum et cilicium acceperunt. Sic enim is de geſtis habitis pro diuortio Thietbergae: *Et ſacri canones iubent, vt poenitentes tempore, quo poenitentiam petunt, impoſituram manuum et cilicium ſuper capita a ſacerdote, ſicut vbique vulgatum eſt, ante abſidam accipiant, quod vnusquisque publice poenitens ab epiſcopo ſuo, de cuius parochia eſt, debet ſuſcipere.*

F 4 Etiam

x) *ep.* 203. y) *lib.* 1. *cap.* 19. z) *de vita Patrum cap.* 7. a) in *chron. pag.* 112.

Digitized by Google

Etiam REGINO *de Poenitentibus* canonem (b) adducit ſequentem: *Cuiuscunque poenitentis publicum et vulgatum crimen eſt, quod vniuerſam eccleſiam commouerit, ante abſidam manus ei imponatur.* Ad quem locum BALVZIVS (c): *Vulgo autem abſidam interpretantur ſedem ſiue thronum epiſcopi in eccleſia. Equidem conſentio, thronum fuiſſe, vti nunc quoque eſt, in abſida, id eſt, intra ſpatium arae maiori propinquum, quod vtplurimum cancellis ſeparatur a reliqua parte eccleſiae. Sed cum apud Anaſtaſium in vita Leonis III. reperiam, illum feneſtras de abſida ex vitro diuerſis coloribus concluſiſſe atque decorauiſſe, cogor abſidem interpretari de ſpatio illo, quod, vt dixi, propinquum eſt arae maiori, et cancellis ſeparatum eſt a reliqua eccleſia.* Idem (d) tamen in *notis ad libros capitularium* monet, quod CAROLVS DVFRESNIVS in *Commentario ad Paulum Silentiarium* (e) dicat, ſibi videri, hunc locum intelligendum eſſe de abſide narthecis, vbi conſiſtebant poenitentes, non vero de abſida ſeu concha altaris. MABILLONIVS (f) inter Flori diaconi Lugdunenſis carmina varia exhibuit titulum abſidae ſequentem:

Martyribus ſubter venerabilis emicat aula:
Martyribus ſupra Chriſtus Rex praeſidet altus.
Circumſtant miris animalia myſtica formis,
Nocte dieque hymnis trinum inclamantia Numen.
Adſtat Apoſtolicus pariter chorus ore coruſco,
Cum Chriſto adueniet certo qui tempore iudex.
Viuaque Hieruſales, agno inluſtrante refulgens,
Quattuor vno agitat paradyſi flumina fonte.
Pignoribus ſacris clarus Baptiſta Iohannes
Altare inluſtrat, poſcentia pectora purgat.

In hoc titulo (g) ſimul deſcribitur altaris priſcus apparatus in eccleſiae abſida exiſtentis, ita vt martyrum reliquiae ſub altari collocarentur, Chriſti e cruce pendentis effigie ſuperius erecta, pendente in vaſculo euchariſtia, ſanctorum imaginibus circum appoſitis.

b) *lib.* 1. *de eccleſ. diſcipl. can.* 289. adde *concil. Carthag.* 3. *cap.* 31. *lib.* 5. *capitular. cap.* 53. BODICHART. *lib.* 19. *cap.* 40. c) in *notis ad hunc locum pag.* 570. d) *pag.* 1207. e) *pag.* 537. f) *analect. vet. tom.* 1. *pag.* 408. g) monente eodem MABILLON. *pag.* 412.

ſitis. Quamuis vero abſida pro concha vel hac vel illa ſumatur, negari tamen nequit, quod etiam pro ſede epiſcoporum haec vox ſaepe ſit adhibita. Hinc gloſſae veteres: *Abſida ſedes epiſcoporum.*

ABSIS CASSIANO (h) eſt *camera,* cum dicit: *Si quis abſidis cameram volens in ſublime concludere:* vbi abſidis camera ponitur pro ipſa camera, ſicuti apud eundem *ſtatio ieiunii* pro ieiunio dicitur: etenim camera inſtar eſt fornicis. Neque alio ſenſu dixit HIERONYMVS: *Num quid coelorum circulos, quos philoſophi ſphaeras vocant, tranſiens atque transcendens ſtetit in ſummo coeli fornice, et, ut verbo ipſo vtar, abſide.*

ABSIDA etiam eſt feretrum, in quo reliquiae ſanctorum continentur, ſic forte appellatum, quod in abſidem ſeu cameram deſuper conuoluatur. Geſta conſulum Andegauenſium (i) de relatione corporis S. Martini ſequentia referunt: *Abſida ſiquidem, quam deſerebant, erat fuſilis ex auro et argento, quod dicitur electrum, ſpiſſitudine duorum digitorum, auctoremque operis beatam Perpetuam inſculptor deſignarat ſuffragio literarum* etc.

ABSOLVTIO ſignificat aliquando dimiſſionem, diſcedendi veniam, aliquando integrum ritum poenitentiae, aliquando quamcunque notabilem officii poenitentialis partem (k). In ſpecie ſumitur pro remiſſione peccatorum, quae peccatoris confeſſionem ſequitur. Huius formulae in media et infima aetate diuerſae obſeruantur. Talis eſt illa, quam legimus apud REGINONEM (l): *Exſurge, qui dormis, exſurge a mortuis, et illuminabit te Chriſtus. Frater, Dominus Ieſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis:* quaecunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta et in coelo, *de quorum numero, quamuis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſoluat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quaecunque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egiſti, vt a nexibus peccatorum abſolutum perducere te dignetur ad regna coeleſtia. Amen. Nos etiam, frater cariſſi-*

F 5

h) *collat.* 24. *cap.* 6. i) *cap.* 3. *n.* 26. k) videatur IO. MORINVS *de poenitentia lib.* 8. *cap.* 11. *pag.* 543. *ſqq.* l) *de eccl. diſcipl. lib.* 1. *cap.* 295.

Digitized by Google

riſſime, ſecundum auctoritatem nobis indignis a Domino commiſſam, abſoluimus te ab omni vinculo delictorum, vt merearis habere vitam aeternam per eum, qui viuit etc. Breuior eſt altera illa (m): *Deus omnipotens ſit adiutor et protector tuus, et praeſtet indulgentiam de peccatis tuis praeteritis, praeſentibus et futuris.* Quales formulae abſolutionis poenitentium tempore Gregorii XI. obtinuerint, ostendit BALVZIVS in appendice actorum veterum ad Reginonem (n). Ex tribus, quas exhibet, primam dabo: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus per ſuam miſericordiam te abſoluat. Et ego te abſoluo a vinculis excommunicationis, a participatione excommunicatorum, et ab omnibus ſententiis generalibus a iure vel ab homine, ſeu etiam a canone latis et ab omnibus transgreſſionibus, et ab omnibus peccatis tuis, de quibus es vere contritus et confeſſus, vel quae tibi in memoriam non occurrunt. Diſpenſo etiam tecum ſuper irregularitate, ſi quam incurriſti immiſcendo te diuinis qualicunque ſententia ligatus, auctoritate apoſtolorum Petri et Pauli, et Domini noſtri papae Bo.* (Bonifacii) *et ſanctae matris eccleſiae. Et do tibi plenam indulgentiam omnium peccatorum tuorum, quantum Dominus vult, et claues ſanctae matris eccleſiae ſe extendunt, in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti. Amen.*

ABSOLVTIO DEFVNCTORVM eſt oratio ſiue collecta, quae profertur circa cadauer vel tumulum, et ita appellatur, quia incipit a verbo *Abſolue.* Dicitur illa vel in Miſſa, in commemoratione omnium fidelium defunctorum, et ita ſe habet (o): *Abſolue, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum.* verſ. *Et gratia tua illis ſuccurrente mereantur, euadere iudicium vltionis.* v. *Et lucis aeternae beatitudine perfrui.* In ordine exequiarum ſecundum *rituale Romanum* (p) haec formula adhibetur: *Abſolue, quaeſumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, et in reſurrectionis gloria inter ſanctos et electos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.* Similiter in die depoſitionis defuncti (q) talis eſt oratio: *Abſolue, quaeſumus Domi-*

m) *l. c. pag.* 148. n) *pag.* 654. *ſq.* o) in *miſſali Romano fol. LXXXIII.* adde GAVANTVM in *theſauro ſacrorum rituum tom.* 1. *pag.* 167. *ſq.* et *p.* 266. *ſq.* p) *p. m.* 168. q) *ibid. pag.* 187.

Digitized by Google

Domine, animam famuli tui N. (vel famulae tuae,) vt defunctus (vel defuncta) ſeculo tibi viuat: et quae per fragilitatem carnis humana conuerſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimae pietatis absterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. *Amen.* Eadem retinetur in officio faciendo, in exequiis, abſente corpore defuncti, et in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, et anniuerſario (r). Abſolutionem ſcriptam ſuper pectus defuncti poſitam fuiſſe, ex Statutis Lanfranci notauit MARTENE (s).

ABSOLVTIONIS DIES eſt feria V. ante Paſcha, qua poenitentes abſolui ſolebant (t). IO. *epiſcopus Abrincenſis* (u) de ea mentionem facit: *Ipſo die, hora ſexta, populus ad eccleſiam conueniat, ſi epiſcopus fuerit, conuocatio poenitentium et abſolutio, chriſmatis et olei conſecratio, iuxta epiſcopalem ritum ordinetur, vbi vero defuerit, inprimis tam clerus quam populus proſtrati in terra cum lacrymis et gemitu abſolutionem criminum a maiori ſacerdote accipiant.* GILLEBERTVS *epiſcopus Lunicenſis* de vſu eccleſiaſtico: *Abſoluit praeſul populum de venialibus in capite ieiunii, de criminalibus in coena Domini.* Vide obſeruata a MENARDO ad librum ſacramentorum Gregorii (x), vbi de abſolutionis formulis. *Ordo Romanus* (y) duo habet genera abſolutionis in hoc die, alterum dicitur abſolutio pluralis, alterum, abſolutio ſingularis. Prioris formula, eaque minor haec eſt: *Praeſta, quaeſumus, Domine, his famulis tuis ſecundum piiſſimam miſericordiam tuam iuxta libitum eorum, abſolutionis peccaminum ſuorum fructum, vt ſint tibi dignum habitationis tuae templum, et mereantur deinceps, cum iuſtis atque ſanctis in conſpectu tuo adſtantibus abſoluti manere ab omni criminum labe. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Nos etiam ſecundum auctoritatem, nobis indignis a Deo commiſſam, abſoluimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, vt mereamini habere vitam aeternam per eum, qui viuit.* Alterius, nimirum ſingularis abſolutionis, talis ibidem exhibetur forma: *Frater N. Dominus Ieſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis: quaecun-*

r) *ibid. p.* 239. s) *loc. cit. p.* 784. t) ap. BALDRICVM *Nouiom. lib.* 3. *c.* 74. *in vita Lietberti epiſc. Camerac. c.* 54. et SYLVESTRVM GIRALDVM in *itinerar. Cambriae l.* 2. *c.* 11. u) *de offic. eccleſ. p.* 41. x) *pag.* 231. *ſeqq.* y) *pag.* 60. *ſeq.*

Digitized by Google

quaecunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta et in coelo; de quorum numero, quamuis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſoluat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quaecunque cogitatione, locutione atque operatione negligenter egiſti, et nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna coelorum. Amen. Plures tales formulas in reconciliatione feriae quintae hebdomadis magnae collegit IO. MORINVS, Pleſenſis congregationis oratorii I. C. presbyter (z).

Qua ratione haec abſolutio in monaſteriis ſecundum diuerſas conſuetudines ab Abbatibus facta fuerit, docet EDMVNDVS MARTENE *O. B.* (a) ex Dionyſianis et Compendienſibus. In illis ita praeſcriptum eſt: Ante abſolutionem faciat Dominus Abbas ſermonem ad populum, aut cui iuſſerit, et poſt ſermonem fiat abſolutio hoc modo: Proſternantur omnes in choro, et dicant ſeptem pſalmos poenitentiales, et *Gloria Patri* et antiphonam, quae incipienda eſt a cantore. Antiphona. *Ne reminiſcaris:* deinde dicatur: *Kyrie eleiſon;* ter: *Pater noſter.* Preces: *Saluos fac ſeruos: Eſto eis Domine: Mitte iis Domine: Nihil proficiat: Exurge Domine adiuua: Domine exaudi orationem meam: Dominus vobiscum.* Oratio: *Domine ſupplicationibus.* Alia: *Praeſta, quaeſumus Domine.* Alia oratio: *Deus humani generis.* Abſolutio: *Omnipotens.* Item alia: *Dominus Ieſus Chriſtus.* Poſt dicat Diaconus: *Humiliate vos ad benedictionem.* Sequitur benedictio: *Benedicat nos Deus.* Et alia. Breuius conſuetudines Comp. Poſt haec Dominus Abbas et ſocii eius eant in lectorium cum Sanctuario, et cereis, et thuribulo, et fiat ſermo ad populum: deinde proſternant ſe omnes fratres, et dicantur ſeptem Pſalmi cum Antiphona: *Ne reminiſcaris*, ſine cantu, *Kyrie eleiſon: Pater noſter.* Et ſic fiat abſolutio.

ABSOLVTIO *in horis canonicis* eſt pars horarum, et eſt deprecatio breuis in fine Pſalmorum, cuiuscunque nocturni ante lectionum recitationes: ita dicta fuit, quia tunc terminabatur nocturn-

z) in *comment. hiſtoric. de diſciplin. in adminiſtr. poenitentiae pag.* 46. 70. *ſq. in append.*

a) *de antiqu. mon. rit. lib.* 3. *c.* 13. *p.* 387. *ſq.*

Digitized by Google

ſturnum, et quando erant tria nocturna in officio, tunc pſallentes ter diſcedebant a choro ad quieſcendum, et ideo tribus abſolutionibus diuiditur matutinum (b). Vel ita fuit appellata, quia ſimul cum oratione dominica praecedente petimus mundari corda et corpora noſtra ad audiendum verbum Dei in lectionibus (c). RVPERTVS (d) putat abſolutionem eſſe orationem, qua rogamus Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem, et aperiat cor noſtrum in lege ſua, ne ſemen, i. e. verbum Dei, quod audituri ſumus, aut volucres comedant, ſpinae ſuffocent, aut in petra, quae non habet humorem, areſcat. GAVANTVS (e) abſolutiones appellari exiſtimat ſumta denominatione a nobiliori, quae dicitur in tertio nocturno, in qua ſunt haec verba: *A vinculis peccatorum noſtrorum abſoluat nos* etc. Et haec ſententia mihi quoque placet: quia aliarum abſolutionum formulis, earumque denominationibus conuenientior eſt. Abſolutiones vero in horis canonicis poſitae dicuntur *ad primam*, et ſunt duae: vna, quae *abſolutio capituli* dicitur, altera vero *abſolutio lectionatica*, ſeu *breuis:* quia *finita prima*, ſolebant congregari in capitulo monachi, vbi audiebant aliquam ſacrae ſcripturae breuem lectionem, poſtquam auditores a capitulo diſcedebant, obtenta ſuperioris benedictione, quod quidem hodie in choro fit, et *lectio breuis* dicitur, eſtque tamen illius antiquae et longioris lectionis particula (f).

ABSOLVTIONEM FACERE, iubere, vel potius facultatem ac licentiam dare aliquid faciendi. Charta Dagoberti archiepiſcopi Bituricenſis an. 990. *In ipſius* (epiſcopi defuncti) *loco iubeo et abſolutionem facio ad coëpiſcopos noſtros, eligere et benedicere Gausbertum ſacerdotem* etc. Infra: *Nos* (epiſcopi) *vna cum auctoritate et abſolutione Domini archiepiſcopi noſtri ---- recepimus in noſtro epiſcopali numero atque collegio proclamatum Gausbertum.*

ABSOLVTORIAE LITERAE in ſecularibus negotiis illae dicuntur, quae re confecta, Miſſis ac Legatis dantur, cum domum remittuntur. HVGO *Flauiniacenſis* (g): *Vt reuerſis miſſis ſuis cum*

b) DOM. MACER in *Hierolex. pag.* 4. c) HVGO in *ſpec. cap.* 3. GAVANT. *l. c. tom.* 2. *p.* 72. d) de *off. diu. l.* 1. *c.* 11. e) *loc. cit. p.* 73. f) MACER *l. c.* g) in *chron. p.* 254.

Digitized by Google

cum literis abſolutoriis ibi quoque a ſuffraganeis et dioeceſi ſua viaticum acciperet. In eccleſiaſticis *abſolutoriae literae* fuerunt peculiare genus epiſtolarum eccleſiaſticarum. Clericus enim peregrinans duas debebat ad aliam eccleſiam epiſtolas afferre, *Commendatitiam* ſcilicet et *Abſolutoriam*, graecis ἀπολυτικήν, quae et *dimiſſoria* dicitur: de qua infra in voce *Dimiſſoriae* (h).

Abſolutoriae literae ſunt etiam illae, quibus pontifex excommunicatum ab excommunicatione a ſe abſolutum eſſe denunciabat (i).

ABSTENTVS vox eſt CYPRIANO familiaris, qua abstentum pro excommunicato vſurpat. Sic epiſt. LIX. (k): *Significaſti Feliciſſimum hoſtem Chriſti non nouum, ſed iam pridem ob crimina ſua plurima et grauiſſima abstentum, et non tantum mea, ſed plurimorum coëpiſcoporum ſententia condemnatum, reiectum a te illic eſſe.* Item *ep. LXIIX* (l): *Cum Nouatianus ipſe, quem ſequitur, olim abstentus et hoſtis eccleſiae iudicatus ſit.* Sic *abstinere aliquem* eidem eſt a communicatione excludere. Ita CYPRIANVS Rogatiano ſcribit (m): *Quod ſi vltra te contumeliis ſuis exacerbauerit et prouocauerit, fungeris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas vel abstineas:* quod ita explicant notae: ad laicam communionem detrudas, vel prorſus a ſacris arceas. SIMON COULARTIVS *Syluanectinus* in *reſponſionibus ad notas Pamelii* ſequentia *l. c.* adiecit: *Abstentos dictos eos opinor, quibus breue aliquod tempus conſtituebatur, vt reſipiſcerent, quo elapſo presbyterium de contumacia vel poenitentia eorundem iudicabat. Abstinere aliquem* a communione pro excommunicare accipitur apud eundem CYPRIANVM, ad quem ſcribunt presbyteri (n): *Abstinuimus communicatione Feliciſſimum, et Augendum — item abstinuimus Sophronium.* Alia periphraſi ſaepe idem circumloquitur: *Arcere a communicatione, et non communicare* (o): *Eiicere et de eccleſia pellere* (p): *A communicatione cohibere* (q): *Eiicere eccleſia,*

h) vid. FRANC. BERNH. FERRAR. *de antiqu. epiſt. eccl. gen. l.* 1. *c.* 8. *n.* 56. i) *concil. Burdegalenſ. an.* 1262. *c.* 1. k) *pag.* 126. *edit. recentioris.* adde PAMELII *notas p.* 91. l) *pag.* 176. m) *p.* 6. *ſq.* n) *epiſt.* 42. *p. m.* 81. o) *epiſt.* 34. p) *epiſt.* 43. q) *epiſt.* 44.

cleſia, et excludere (r). Ad Antonianum: *a communicatione abstinere* (s), et: *de eccleſia pellere, condemnare, ſacerdotum voce damnare, eiicere, excludere, communicatione prohibere* (t). LATINVS LATINIVS *Viterbienſis* (u) putat, non omnino idem eſſe aut valere, *abstinere aliquem a communione, et ſimpliciter excommunicare:* cum id vnum ſatis hoc indicet, quod diuerſis verbis dicitur, quae non idem ſignificant. *Admittuntur aliqui in eccleſiam, qui nec communicare, nec ſimul orare permittuntur: quidam ad tempus abstinere iuſſi ſunt: quidam et ab eccleſia, id eſt, ſacris aedibus arcentur, quorum neque conſuetudo, neque ſermo cuiquam interdicitur; quidam vero ita anathemate ab eccleſiae corpore ſeparantur, vt nec Aue eis dicere liceat.*

ABSTINENTIA pro excluſione a communione: quo ſenſu apud FVLBERTVM *Carnotenſem* de presbytero lapſo (x): *Ab officio remouendus eſt, et tamdiu abstinentia caſtigandus eſt, quousque relicto vitio, et per Dei gratiam ſuperato, reuocari videatur idoneus.* Interdum abstinentia ſumitur pro abstinentia a cibis, et praecipue carne. In genere *regula cuiusdam Patris* (y) praeſcribit: *in abstinentia ciborum vnam regulam obſeruari oportet ab omnibus fratribus, praeter ſenes et infirmos, ſiue infantes, et vna menſura ſit in omnibus, id eſt, ab hora nona vsque ad horam alteram a cibis temperandum eſt. Nec ante, ſiue poſt menſam, quae communiter ad coenam fratribus apponitur, aliquid ori indulgendum eſt; niſi infirmitas ſiue differentia aetatis ſiue corporis aliquid coëgerit. Sed neque ad ſaturitatem edendum eſt. Caro et vinum, ſiue potus, in quo fit ebrietas, refutanda ſunt Monachis, nec ſuſcipienda, quibus pro Chriſto crucifixus eſt mundus, et ipſi mundo.* In ſpecie abstinentia a carne olim intra monaſteriorum cancellos accurate fuit obſeruata. Videre eſt illud ex inſtrumento viſitationis, quam fecit *Simon* archiepiſcopus Bituricenſis, per prouincias Bituricenſem et Burdegalenſem (z). Cum enim veniſſet Simon ad Abbatiam Syluae maioris, et ibi *non comederentur in corpore abba-*

r) *epiſt.* 51. s) *epiſt.* 55. t) *epiſt.* 59. u) in *bibliothec. ſacr. et profan. pag.* 176. x) *epiſt.* 83. y) quae habetur in *Cod. Regular. part.* 2. *p.* 286. z) apud MABILLON. *tom.* 2. *vet. analect. p.* 623. *et* 656.

abbatiae carnes, ipſe cum ſociis comedit ſupra portam, et comedit ibi carnes. Et venerunt ad dominum quidam monachi inhibentes abbati S. Sulpicii, ne carnes comederet ibi: quia ipſe faceret contra conſtitutionem ordinis ſui. Sed dominus reſpondit, quod Praelatus et ſui ſocii non adſtringuntur regulis ſuis, cum ſit eorum ſuperior: et propter hoc ipſe voluit, quod dictus abbas comederet carnes, quod fecit, et fuimus bene procurati. Apparet ex hoc ipſo facto, veteres monachos nec ſecularibus etiam perſonis, quantumvis dignitate praeſtantibus, conceſſiſſe carnium eſus intra coenobii cancellos. Hinc Gregorius papa IX. referente MATTHAEO PARISIO, ſub finem anni MCCXL Ottoni cardinali et apoſtolicae ſedis in Angliae legato mandauit, quatenus *cibis regularibus*, cum ad viſitandos Ciſtercienſes accederet, eſſet *contentus absque eſu carnium*, quas ille ab his exigere volebat cum pecuniaria procuratione. Praeterea quamuis monachis Francis propter defectum olei vſus pinguedinis fuerit permiſſus, nihilominus feria VI. et aliis quibusdam diebus ab ea abstinere debuerunt, vt id patet ex ſynodi Aquisgranenſis anni DCCCXVII. capitulis XXII. et LXXVII, quod poſtremum ſtatuit, *vt fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta ſexta feria et diebus octo ante natale Domini, et a quinquageſima vsque ad paſcha.* Hoc tamen non obſtante, eodem tempore pinguedo feria ſexta in vſu fuiſſe videtur, teſte *monacho San-Gallenſi* (a), cuius verba ita ſe habent: *in eadem profectione inopinato venit* (Carolus) *ad quendam epiſcopum, in loco ineuitabili conſtitutum. Cumque ipſo die carnes quadrupedum aut volatilium comedere voluiſſet, quia ſexta erat feria, pontifex ille iuxta facultatem loci iſtius, cum repente piſces inuenire nequiſſet, optimum illi caſeum, et ex pinguedine carnium iuſſit apponi:* vbi male in editis legitur: *ex pinguedine canum.* Hic quoque mos, vtendi ſcilicet pinguedine feria ſexta, deriuatus ad Cluniacenſes monachos in Gallia, poſtmodum a Petro venerabili ſublatus (b). In feſto S. Marci Euangeliſtae ieiunium obſeruabatur multis in monaſteriis Gallicis (c): nec non

in

a) in *lib.* 1. *de vita Caroli M. cap.* 17. b) notauit haec MABILLON. *tom.* 1. *vet. analect. pag.* 56. c) MARTENE *de antiqu. mon. rit. l.* 4. *c.* 4. *p.* 591.

in ieiunio quatuor temporum (d), vt et in aduentu (e).

ABSTINENTES, iidem videntur, qui *continentes*, vel qui ieiunia obſeruant, et ab eſcis abſtinent. CYPRIANVS, ſeu auctor de ſingularitate clericorum: *quid per hypocriſin vult ab hominibus abstinens dici, et in ſecreto carnibus et ebrietate diſtendi.* ABSTINENTES etiam dicti fuerunt quidam haeretici in Hiſpania, Gallia et Aquitania, de quibus PHILASTRIVS (f): *Sunt in Galliis, et in Hiſpaniis et Aquitania veluti abstinentes, qui et Gnoſticorum et Manichaeorum particulam pernicioſiſſimam aeque ſequuntur, eandemque non dubitant praedicare, ſeparantes perſuaſionibus coniugia hominum, et eſcarum abstinentiam promittentes, quae non ex legis praecepto, ſed promotionis coeleſtis et dignitatis cauſa voluntati hominum talis a Chriſto conceſſa eſt gratia.* Et poſt quaedam: *Hoc autem ideo faciunt, vt eſcas paulatim ſpernentes, dicant, eas non eſſe bonas, et ita non a Deo hominibus eſcae cauſa fuiſſe conceſſas, ſed a diabolo factas, vt adſerant, ita ſentiunt. Inque hoc iam creaturam, non a Deo creatam, ſed a diabolo eam factam praedicare nituntur, perque hoc mendacium multorum animas captiuarunt.*

ABSYNTHIVM eſt potio mellita monachica. Ita enim conſuetudines Floriacenſes (g): *His tribus diebus poſt cymbali pulſationem, qui voluerit, bibet de abſynthio, melle confecto, quod refectorarius ante praeparauit, et poſuit in ſcyphis ſingulorum.*

ACACIA, graece ἀκακία, *innocentia*: qua ſignificatione ſumitur a TERTVLLIANO (h): hanc incorruptibilem habemus ſemper induere ad domum Domini, quam ἀκακία pollicetur: vbi addit PAMELIVS, in notis ad h. l. *Probum eſt vocabulum ἀκακία, pro puritate a vitiis et ſimplicitate.* Sumitur vero etiam pro inuolucro ſiue ſacculo ex panno purpureo confecto, codici ſeu volumini complicato ſimili, terra vel arena pleno, quem imperator Conſtantinopolitanus ſiniſtra geſtabat (i). CODINVS (k) de

d) *ibid. l.* 3. *c.* 22. *pag.* 495. e) *ibid. l.* 3. *c.* 1. *pag.* 264. *ſq.* f) *lib. de haereſ. c.* 84. g) *pag.* 405. h) *de cultu foeminarum c.* 6. adde SVICERVM in *theſauro eccleſiaſt. tom.* 1. *p.* 147. *ſq.* i) DV FRESNE *gloſſ. graec. p.* 38. conf. eiusd. *diſſ. de numiſm. inferioris aeui n.* 12. *ſq.* k) *de off. Conſtantinop. c.* 6. *n.* 37. *p. m.* 81. et 88. adde *not.* GRETSERI *lib.* 3. *c.* 1. *p.* 221.

Digitized by Google

de eo ſcribit: *Crucem in dextra ſemper portat, in ſiniſtra vero inuolucrum codici ſimile, ligatum mantili, habetque intus cauitatem; et vocatur* Acacia. Quid autem ea ſignificet, idem auctor ſtatim ſubiicit: *quaſi dicat illud: Imperatorem humilem eſſe vt mortalem, neque propter imperii ſublimitatem efferri, neque inſolenter ſe iactare. Per mantile ſignificatur eiusdem imperii inconſtantia et mos ab vno ad alium transeundi.* THESSALONICENSIS: *Accipit et crucem in pietatis argumentum, et ἀκακίαν, quae eſt puluis terrae, imperii fragilitatem, et abiectionem illud conſecuturam, manifeſtans.*

ACATHISTVS, graece ἀκάθιςος, quaſi ſeſſione carens: eſt epitheton virginis Mariae. CODINVS (l): *Scire oportet, quatuor quotannis vigilias in palatio peragi: magni canonis, virginis acathiſtae, annunciationis, et huius magni feſti. Typicum* SABAE (m): *Singulis ſabbatis ſanctae quadrageſimae, vsque ad acathiſtum, ita fieri oportet.* Et (n): *Deinceps reliquum ſermonem acathiſti legimus.* Eiusdem meminit MARCVS Hieromonachus de dubiis *Typici* (o), et Menologium in Martio. Hoc feſtum, quod a Graecis in honorem Mariae celebratur, CALIXTVS in eius diei ſynaxario, *irrequietum* dicit, *in cuius nocte tota populus omnis ſacros Dei genitrici pangit hymnos.* IVNIVS τῆς ἀκαθίςȣ ita explicat: *Virginis iter facientis et parturientis, et quaſi dicat, eius quae non ſedet aut quieſcit, ſed iter facit praegnans; puta, cum beata virgo a Ioſepho deduceretur Bethlehemum ex edicto Auguſti Caeſaris proxime ante diem natalem Chriſti.* Sed haec non conueniunt cum Graecorum explicatione et praxi. Eſt etiam *hymnus* ἀκάθιςος, qui ita dicitur, quod interſtitium quietemque ad diluculum vsque non reperiat, et ſemper cantandus perſeueret. Canitur autem hebdomade quinta quadrageſimae in ſabbato. Triodium: *Eodem die*, nempe in ſabbato quintae hebdomadae, *hymnum acathiſtum celebramus ſanctiſſimae Deiparae.* Dicitur autem hic hymnus a populo, ob vrbem Conſtantinopolin ter ſeruatam ope beatae virginis ſub Heraclio, Conſtantino Pogonato et Leone Iſauro contra Perſas et Arabes. Patriarcha enim circumibat moenia cum Chriſti et Mariae

l) *l. c. c.* 12. *p.* 103. m) *cap.* 31. n) *cap.* 35. o) *cap.* 30. *p.* 107.

Digitized by Google

Mariae imagine, vel ligno crucis, vel Mariae veſte, et quia poſtea hoſtium naues ventis fuerant diſiectae, multique ex illis vel caeſi vel ſubmerſi, id omne Mariae fuit adſcriptum. Non tantum autem totus populus tota nocte ſtando hymnum Deiparae concinit, ſed etiam in omnibus aliis aedibus, cum alias ex more ſedere liceat, in iſtis diuinae matris, erecti omnes ſtantes audiunt. Originem hymni acathiſti, in laudem Deiparae dicti, pluribus exhibet GRETSERVS (p) ex libro Graecorum rituali, nimirum Triodii ſynaxario. Concinniorem aliam e bibliotheca regia poſt hiſtoriam Monotheletarum FRANCISCVS COMBEFIS euulgauit et notas adiecit.

ACCENSOR, cui incumbit cura accendendi lumina in eccleſia. Dicitur alias acoluthus, Graecis recentioribus appellatur χανδελάρτης. HONORIVS *Auguſtodunenſis : acolythus, qui eſt accenſor luminum.*

ACCEPTORIVM, occurrit in ep. XLI. S. Bonifacii archiepiſcopi Moguntinenſis: *libellum quendam habes, qui non eſt maior duarum ſeptimanarum, quem ego legere cupio.* Vbi videtur intelligi, tot foliis conſtitiſſe hunc librum, quem ſibi dari cupiebat, quot officium eccleſiaſticum duarum ſeptimanarum continebat. At cur id acceptorium appelletur, DV FRESNE (q) non plane ſe asſequi ſcribit, niſi legendum ſit *exceptorio* aut *excerptorio.*

ACCVBITA vel ACCVBITVS, pluralis, graece ἀνακλιντήρια, i.e. *reclinatoria*, vti appellantur a WILRAMO abbate in cantica canticorum capite 2. Eſt igitur *accubitum* ſeu *accubitus* in ſingulari, proprie lectulus triclinaris, in quo accumbitur epularum cauſa: *item* locus editior ad quem accumbimus, ſeu potius menſa, ad quam accumbunt conuiuae: *vel* ſedes ad menſam, ad quam accumbitur. Sumitur vero etiam pro ipſo triclinio, ſiue coenaculo, in quo ad menſam accumbitur, vel in quo accubita diſponuntur. Sic Romae tale erat coenaculum, vbi Romanus pontifex in aliquibus feſtiuitatibus ſolennibus epulum clero dabat. Huius loci fit mentio apud ANASTASIVM (r) in Leone III: *idemque fecit in Patriarchio Lateranenſi triclinium mirae magnitudinis,*

p) *lib. 3. obſeru. cap. 7. in* CODINVM *p. 238. ſqq.* q) *gloſſ. lat. p. 35.* r) *de vitis Pontif. p. 179.*

Digitized by Google

tudinis, in quo loco et accubita collocauit. Idem in Leone IV. (s): *Nam et accubitum, quod Domnus Leo bonae memoriae III. Papa a fundamentis conſtruxerat, et omnia ornamenta, quae ibi parauerat, prae nimia vetuſtate et obliuione anteceſſorum pontificum deleta ſunt; et in die natalis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem tam Domnus Gregorius, quam et Domnus Sergius ſanctae recordationis ibidem minime epulabantur. Idem vero beatiſſimus et ſummus Praeſul Leo IV. cum gaudio et nimia delectatione omnia ornamenta ſiue alimenta, quae inde deleta fuerant, nouiter reparauit, et ad vſum priſtinum magnifice reuocauit.* Iam ante hos pontifices idem ANASTASIVS de Gregorio III. (t) ſcribit: *Item accubita, quae ſunt ad B. Petrum, in ruinis poſita, a fundamentis nouiter reſtaurauit atque depinxit.* Ex his reſtituendus eſt locus mendoſus eiusdem in Gregorio IV (u): *Fecit etiam iuxta Acolythi pro quiete pontificis, vbi poſt orationes matutinales vel miſſarum officia eius valeant membra ſoporari, hoſpitium paruum, ſed honeſte conſtructum.* Lege *iuxta accubita*, quae erant ſcilicet ad baſilicam B. Petri. Cuius veſtigia vna cum tribuna in muſſiuo depicta adhuc extant a latere poſteriori domus poenitentiariae Lateranenſis baſilicae, ex diligentia cardinalis Barberini, teſte MACRO (x). De hoc coenaculo, ſeu accubitibus *ordo romanus* refert, quod in paſchae feſtiuitate, antequam pontifex a caterua famularetur, ad veſperarum celebrationem in Lateranenſi baſilica, *deſcendebant primates eccleſiae ad accubita, inuitante notario Vicedomini, et bibebatur ter.* In aula Conſtantinopolitana etiam reperiebatur locus appellatus *nouemdecim accubita*, referente LVITPRANDO (y).

ACEPHALI, graece ἀκέφαλοι, ſeculi V. haeretici, Eutychianae haereſeos propagationes. Dicti illi ſunt et *Seueritae* et *Iulianiſtae* a Iuliano Halicarnaſſeo, et a loco *Contobabditae* et *Angelitae*, vt NICEPHORVS haec nomina refert (z). Cur autem acephali fuerint appellati, diuerſimode ab auctoribus adducitur. LEONTIO (a) *Acephali dicebantur, quia Patriarcham ſuum non*

s) *l. c. p.* 261. t) *l. c. p.* 106. u) ANASTASIVS *l. c. p.* 244. add. ALTESERRAM in *not. ad Anaſtaſ. pag.* 99. x) in *Hierolex. pag.* 5. *ſq.* y) *lib.* 6. *hiſt. c.* 3. z) *hiſt. eccl. lib.* 18. *c.* 49. *p. m.* 876. a) *de ſectis act.* 5. *pag.* 46.

Digitized by Google

non ſecuti, ſeparatam habebant communionem. Rem plenius explicat ante laudatus NICEPHORVS (b): *Hi vero Acephali ſunt nominati, qui Henoticum, Zenonis Imperatoris ſcriptum, quo ſcilicet ad vnionem eccleſiae perducere voluit, propterea, quod ille ſanctam quartam ſynodum anathemati non ſubieciſſet, minime receperunt. Acephali autem ob eam cauſam dicti ſunt, quod ſub epiſcopo non fuerint. Proinde epiſcopis et ſacerdotibus apud eos defunctis neque baptiſmus iuxta ſolennem eccleſiae morem apud eos adminiſtratus. Neque oblatio aut res aliqua diuina facta, miniſteriumque eccleſiaſticum, ſicut mos eſt, celebratum fuit.* FACVNDVS epiſcopus Hermianenſis (c): *Tanquam ſine capite remanentes acephali vocantur a Graecis, quos ſignificantius nos Semieutychianos poſſumus appellare.* In eo ergo conueniunt auctores, quod acephali ſine capite, id eſt, epiſcopo, fuerint: id quod intelligendum eſt de Petro Mongo vel Moggo, quem reiecerunt. Moggus enim a factioſis intruſus in ſedem Alexandrinam, poſt Zenonis Henoticum amplecti Chalcedonenſem ſynodum viſus eſt, ſcriptis ad Acatium et Simplicium Romanum literis; vnde a ſuis deſertus, qui ſine capite (quale hactenus Moggus) deinceps conuenerunt. Vt id conſtat ex EVAGRIO (d), LIBERATI breuiario et excerptis *de ſectis haereticorum* ſub Leontii Byzantini nomine. Origo igitur prima fuit poſt Henoticum Zenonis et confirmatum Petrum in Alexandrino patriarchatu ab Imperatore, adeoque poſt annum CCCCLXXXII, vnde ſeceſſionem fecit confuſa multitudo, Chalcedonenſi ſynodo infeſta; capitibus mox futuris *Petro Gnapheo* Antiochenae ſedi praefecto, hinc *Seuero* Antiocheno, vnde Seueritae, ſed ſequenti ſeculo. *Dogma* acephalorum fuit ſequens. Negarunt ſcilicet naturarum in Chriſto proprietates inconfuſas poſt vnionem manere: confuſas enim eſſe docuerunt, etſi de duabus in eo naturis non magnopere contenderint, quas etiam agnouerunt, modo earum proprietates inconfuſae concedantur. Itaque ex ea parte concilium Chalcedonenſe et ipſi oppugnarunt, quod non modo naturas in Chriſto eſſe poſt vnionem dixit inconfuſas, ſed etiam proprietates. Hinc NICEPHORVS ſcribit, acephalos *vnam natu-*

b) *l. c. in cap. 45. pag. 869.* c) *lib. 1. cap. 5. p. 37. a.* d) *hiſt. eccl. lib. 3. c. 13. pag. m. 343. ſq.*

naturam verbi et carnis male docuiſſe. Atque hinc, teſte eodem, ibidem *monophyſitae* fuerunt appellati. Hi ergo, quamuis ab initio huius ſententiae auctorem non habuerint, vel minime literis non conſignatum; nihilominus ſequentibus temporibus ſecuti ſunt Petrum Gnapheum et praecipue Seuerum epiſcopum Antiochenum, qui, quoniam celebris fuit, pro primo eorum auctore paſſim fuit habitus (e). Diſerte NICEPHORVS (f): *eodem tempore, nempe ſub Zenone et Anaſtaſio, etiam Acephali, quorum dux Seuerus Antiochenus fuit, vnam verbi et carnis naturam male praedicantes; et praeterea Iacobitarum, Theodoſianorum, Iulianiſtarum et plurimorum aliorum caterua eccleſiae inſultauit, qui monophyſitae appellati ſunt, quod vnam verbi et carnis naturam poſt ineffabilem vnionem in Chriſto eſſe ſentiant et doceant.* In conſtitutionum eccleſiaſticarum collectione (g): *nota, quod ii, qui cum Seuero ſentiunt, et dogmata Theoſcori amplectuntur, acephali vocentur.* SVIDAS quoque: Acephalus: ſecta quaedam, cuius dux erat Seuerus. Haec omnia autem ita intelligi debent, quod ab initio fuerint absque epiſcopo, qui caput eorum eſſet, poſtea vero ducem praecipuum eos nactos eſſe Seuerum Antiochenum.

ACEPHALI quoque fuerunt quidam clerici, ignorantes, quem ſequerentur tanquam caput. Ita enim ISIDORVS (h): *Duo ſunt genera clericorum, vnum eccleſiaſticorum, ſub regimine epiſcopali degentium, aliorum acephalorum, id eſt, ſine capite, quem ſequantur, ignorantium. Hos neque inter laicos, ſecularium officiorum ſtudia, neque inter clericos religio detentat diuina, ſed ſolutos atque oberrantes ſola turpis vita complectitur et vaga.*

ACEPHALA, regio, nulli epiſcopo ſubiecta. Concilium Auenionenſe anno MCCIX. (i): *Adhaec vallem de Fretis, quae vt acephala in nullius dioeceſi dicitur eſſe conſtituta, D. epiſcopo Regienſi apoſtolicae ſedis legato ad cuſtodiam decernimus ſpecialiter*

e) EVAGR. *hiſt. eccl. l.* 3. *c.* 33. *p.* 363. *ſq.* f) *hiſt. eccl. lib.* 18. *c.* 45. *p.* 868. g) *lib.* 3. ex *nouellis tit.* 3. *§.* 1. *biblioth. iur. canon. p.* 1356. h) *lib.* 2. *de off. eccl. c.* 3. de iis agunt *concilium Moguntiac. can.* 22. *Meltenſe* anno 845. *c.* 57. *Pariſienſe c.* 10. *Ticinenſe ann.* 850. *c.* 18. *Melfitanum ann.* 1079. *c.* 9. *Capitul. Caroli C. tit.* 6. *cap.* 57. BVRCHARD. *lib.* 2. *c.* 226. i) *can.* 5.

Digitized by Google

ter aſſignandam, qui ſpirituali, et etiam ſi oportuerit, materiali gladio expellat ex ipſa haereticam prauitatem. Acephalum concilium quoque dicitur conciliabulum absque ſuperioris licentia conuocatum (k).

ACERRA, incenſi nauicula. AGATHIAS lib. 3. *Diripiebant, ſuisque ornamentis ſpoliabant multas quidem amulas ſacras, ſiue vaſa liſtorialia, et aſpergilla ex puro auro, quamplurimos etiam calices, et acerras.*

ACHEROPOETA, graece ἀχειροποίητα, item *Achiropiitos*, quae vox eſt hibrida. Idem vero vult ac *non manu facta* vel tota, vel quadam ex parte. Graeci ſcriptores Chriſti praeprimis vel Deiparae imagines ita vocant, quas diuinitus vel virtute angelica nec arte humana pictas putabant. Inter imagines marianas non manu factas praecipua eſt illa, cuius hiſtoriam tradit *orientalium ſynodica ad Theophilum imperatorem*, alias IOANNI DAMASCENO tributa, et a COMBEFISIO in originibus Conſtantinopolitanis edita (l). Poſt mentionem factam de effigie Mariae a Luca picta ſequentia leguntur: *Eſtque aliud, quod magis inauditum maiusque ad ſtuporem videatur. Nam qui ipſi Deum viderunt apoſtolorum principes, Petrus et Ioannes, Lyddae, quam Diospolim vocant, diſtatque ab Hieroſolymis octodecim miliaribus, cum moras traherent, oratorii domo ſub inuocatione nominis matris Domini ac Dei parentis aedificata, cum ad templi dedicationem vt veniret, rogaſſent, ad illos infit:* Ego quoque illic vobiscum ero. *Ac ſane, diuina quadam et inuiſibili virtute, illius figura viuaque effigies in vna columnarum locata effulſit: veniensque ipſa Dei mater, ac ſuam contuita figuram, gaudioque ac ſtupore plena, etiam atque etiam admirata eſt eius, qui ex ipſa homo factus eſſet, maternam claritatem ac felicitatem, qui eo cultu auxiſſet. Manſit illa figura ad Iulianum vsque, qui a chriſtiana deſciuit religione, incolumis; qui ipſe vt ſanctum ſimulacrum aboleret, hebraeos quosdam ſtatuarios ſubmiſit. Hi, quod in vna e templi columnis effigies erecta eſſet, ipſamque ſtaturam omnem, purpuramque atque amictum contuentium oculis obiiceret, ac velut iamnum videntem atque loquentem eam conſpicerent, marmoria arte conati effodere, ſplendidiores adhuc radios*

k) *can. ſubmittitur diſt.* 21. l) *p.* 115.

radios micantem, nihilque ſe variantem, pro columnae baſi offendebant. Haec ex verſione obſcura et minus comta Combefiſii ſunt ſcripta, qui et *de hebraeis ſtatuariis* dubitans ad marginem notauit, forte legendum eſſe: *pictores quosdam cum hebraeis ſubmiſit:* et in notis (m) voluit, quod forſan apud illos non defuerint ea aetate, qui caelaturas, aliaque eiusmodi, qualia fuerunt in templo Salomonis, exornantia fabricam, illaeſa eorum religione facerent: quos idcirco potuit adhibere Iulianus, quod S. Mariae eiusque ac filii imaginum infenſiſſimos hoſtes eſſe non neſciret. Fuit autem illa non picta, ſed ex marmore facta, Ῥωμαία, *Romana*, vulgo appellata in illius hiſtoria inedita (n): Διήγησις παράδοξος καὶ ψυχωφελὴς περὶ τῶν γεγονότων θαυμάτων παρὰ τῆς ἁγίας καὶ σεβασμίας εἰκόνος τῆς Θεοτόκου τῆς ἐπονομαζομένης Ῥωμαίας. Erat enim, ſi fuit, ex marmore aegyptio, quod romanum vocare ſolebant, teſte CONSTANTINO Porphyrogenneto (o): ἐξ Αἰγυπτίου λίθου, ὃν ἡμεῖς Ῥωμαῖον λέγειν εἰώθαμεν: *ex Aegyptio lapide, quem nos Romanum appellare conſueuimus.* Illam excipit alia, quam ita deſcripſit GREGORIVS in vita S. Baſilii Iunioris (p): *Orationis porro cauſa abire volo in monaſterium non factae* (imaginis,) *quam nemo fabricatus eſt, ſed et ipſa Deipara, praeſens operi, manu ſua ſui figuram efformauit in hunc vsque diem conſeruatam, ad eamque proinde multa diuinae virtutis ſigna fiunt illuc cum fide accedentibus.* Haec imago eccleſiae Conſtantinopolitanae, quae ἀχειροποιήτου ſeu ἡ ἀχειροποίητος *non manu facta* dicitur, nomen dedit (q). In encaeniis huius templi magno quotannis honore illa afficiebatur, vt id apparet ex oratione SIMEONIS archiepiſcopi Theſſalonicenſis, quam laudat PETRVS LAMBECIVS (r) ſub titulo: εὐχὴ ἐπὶ τοῖς ἐγκαινίοις τοῦ θείου ναοῦ τῆς παναγίας θεοτόκου τῆς ἀχειροποιήτου: *oratio in encaeniis diuini templi ſacroſanctae Deiparae non manu factae*, ſubintellige, imaginis. Similiter Theſſalonicae talis extitit imago, a qua templum accepit denominationem. Memorat enim CANTACVZENVS (s), quod

m) *pag.* 149. n) ad quam prouocat DV FRESNE *gloſſ. graec. pag.* 1311. et ſimul appellationis rationem ex autoribus aliis adducit. o) in *Baſilio num.* 84. p) *num.* 8. q) vid. DV FRESNE *Conſtantinopol. chriſt. l.* 4. *c.* 2. *n.* 5. *pag.* 83. r) *lib.* 5. *de bibliotb. Caeſ. p.* 221. s) *hiſt. lib.* 3. *c.* 93. *p. m.* 727.

Digitized by Google

quod populus *Zelotas nonnullos in Deiparae ἀχειροποιήτου templo abſque miſericordia occiderit.* IACOBVS PONTANVS S. I. illam vocem, ex coniectura Gretſeri, in verſione Cantacuzeni latina ad aedem, non ad imaginem, retulit, et ſimul in notis (t) ad hunc locum GRETSERI ſententiam, quam ipſe quoque probabilem habet, lectori propoſuit, quae huc redit: „Forſitan, inquit, „tale iſtuc templum fuit, quale S. Michaelis in monte Gargaro, quod et ipſum ἀχειροποίητον dici poterat, et quod locum illum non hominum ars et induſtria, ſed ipſa natura ad templi „ſpeciem, commodumque vſum aptaſſet. Qua notione nympharum domus viuoque ſedilia ſaxo I. Aeneidos dicuntur. Et recte quidem ἀχειροποίητος, quia non ars ſed natura efformarat. „Simile quid perſuadeo mihi de illo templo, ex ipſo epitheto: „non enim arbitror vocabulum ἀχειροποίητον hoc velle, quod non „precibus epiſcoporum, ſed angelorum conſecratum et dedicatum eſſet, quod fama fert de ſacello Deiparae Einſiedlenſi: „nam haec notio nimis violenta, et a communi ratione abhorrens eſſet.„ Vt vero GRETSERVS poſterius recte negat, ita non video, qua ratione prius ab eo asſeri queat; cum epitheton templo adiectum, id minime nobis perſuadeat, vtpote quod graecis notiſſima ſignificatione de imaginibus accipi ſolet. Ipſum autem GRETSERVM maxime miror, qui integrum ſyntagma de imaginibus non manu factis conſcripſit, qua ratione iſtam coniecturam concipere potuerit; licet lubens fatear, eum Chriſti duntaxat imagines, nullam vero Mariae, quod iterum miror, in medium produxiſſe. Sed et in occidente imagines B. Mariae non manu factae fuiſſe dicuntur. Vna earum Romae in eccleſia S. Agathae celebris deſcribitur a *Diſcipulo* in *ſermonibus de Sanctis* (u): *Cum imago S. Mariae virginis per manus euangeliſtae Lucae nondum adhibitis coloribus deſignata eſſet, ſubito reperta eſt imago illius admirabili decore praefulgens, vtpote non opere manuum carnalium, ſed Dei omnipotentis virtute depicta.* Quae poſtea Romam allata et a Tempulo quodam, iuſſu Dei per viſionem, emta, in vicina eccleſia S. Agathae, vbi erant virgines Deo dica-

t) *pag.* 1132. u) *lib. de miraculis B. Mariae exemplo LXXXVI.* Conf. VINCENTIVM PLACCIVM *de pſeudonymis p.* 238. vbi indicat, verum auctorem eſſe IO. HEROLDVM O. P.

Digitized by Google

dicatae, collocata eſt. Cum autem papa Sergius a nonnullis inſtigatus, iuſſiſſet in Lateranum deferri, nec potuiſſent, qui in eum finem miſſi erant, *terrificis coruſcationibus et tonitruis ingentibus conſternati greſſus mouere:* ipſe papa adiens reuerenter locum, *vbi manibus, vt creditur, angelicis depicta imago detinebatur*, poſt orationem ad Deum, eam propriis manibus in Lateranum detulit. Sed nocte ſequenti ad eundem locum, vnde amota fuerat, reducta eſt. Abbatiſſa autem narrauit, ſe, cum media nocte tota eſſet in luctu, ob amiſſum ſacrum depoſitum, et inſtanter oraret, vidiſſe imaginem, *velut auem volatilem*, *ingredientem*, *et in loco ſemetipſam ſtrenue collocantem.* Quo audito pontifex, agnita culpa, ibi miſſam celebrauit conſtituitque, vt venerandae imagini oleum, pro continuandis luminaribus, omni tempore Lateranenſes canonici miniſtrarent. Haec iſte, ſed a quo magiſtro diſcipulus ille ſua acceperit, non conſtat. Noſtris autem temporibus adhuc tales imagines monſtrantur in Italia et Hiſpania. Florentiae namque, narrante MONCONYSIO (x), in eccleſia annunciationis viſitur B. Mariae imago, cuius caput ab angelis pictum eſſe volunt. Traditio quippe vulgaris refert, pictorem, abſoluto corpore, de capite concinne effigiando intenſe cogitaſſe, et inter ipſas meditationes in ſomnum reclinaſſe, ſed ſubito iterum euigilantem obſeruaſſe, caput quoque eſſe perfectum. Tribus velis ſemper illa eſt obtecta, et non niſi ex peculiari conceſſione magni Hetruriae Ducis illuſtribus perſonis conſpicienda ſiſtitur. Communis de hac imagine populi perſuaſio eſt, quod ei, qui ſemel illam vidit, virtus videndi natiua, absque vllo decremento, ſarta et tecta per omnem vitam maneat. In Seuilia, Hiſpaniae vrbe, eiusque eccleſia cathedrali, poſt altare ſummum in capella regia, a Ferdinando rege ſancto extructa, ſimiliter habetur imago B. Mariae (y), quae tota creditur ab angelis picta, et tribus quoque velis munita, in feſtis maioribus duntaxat viſenda datur. Forte plures per orbem tales venditantur imagines, de quibus tamen ex ſcriptoribus certi nihil hactenus inuenire potui.

Quemadmodum Mariae dantur imagines non manu factae, ſic etiam Chriſti aliquot referuntur ab auctoribus imagines: ſcilicet *Edeſſe-*

x) in *itiner. edit. germ. pag.* 896. y) Id. *l. c. p.* 935.

Digitized by Google

Edeſſena, quae miſſa dicitur a Chriſto ad Abgarum, quam deſcripſit CONSTANTINVS porphyrogennetus imperator Conſtantinopolitanus in oratione de hac ipſa imagine Conſtantinopolin translata. Hanc IACOBVS GRETSERVS S. I. in *ſyntagmate de imaginibus non manu factis*, vbi praeter laudatam orationem alios quoque recenſet auctores, qui huius imaginis meminerint, vtpote *Procopium*, *Euagrium*, *concilium Nicaenum II*, *Ioannem Damaſcenum* oratione prima de imaginibus, *Germanum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, *Gregorium II.* pontificem in epiſtola ad Leonem Iſauricum, *Theophylactum* Simocatam, et ex eo *Photium* in bibliotheca, *Cedrenum*, Michaelem *Glycam*, et plures alios in teſtimonium adducit. Habet haec GRETSERVS cap. 5. illius ſcripti: cap. 6. miracula per imaginem Edeſſenam non manu factam patrata, et inprimis de multiplicatione eius. Porro capite 7. recenſet miracula huius imaginis in obſidionibus, quibus addit (z) inſignem victoriam, per imaginem acquiſitam: capite nono refellit Caſauboni obiectiones contra iſtam imaginem. Capite 10. agit de translatione huius imaginis Conſtantinopolin ex Porphyrogennete; cui ſubiicit ſequenti capite feſtum in honorem huius imaginis conſtitutum. Praeter hanc Edeſſenam eſt et imago Chriſti *Camulianenſis*, a ciuitate Cappadociae Camulio ſeu Camuliano hoc nomen ſortita, cuius ſynodus II. Niceae pro imaginibus venerandis congregata meminit, vt et *Cedrenus*, quod Conſtantinopolin fuerit translata, referente iterum GRETSERO capite 12. In capite ſequente idem recenſet feſta in honorem huius imaginis conſtituta, vt et capite 14. miracula per hanc imaginem facta ſub Tiberio II. imperatore, et imperante Heraclio, qui etiam, vt caput 15. narrat, memorabiles victorias de Perſis reportauit beneficio imaginis Camulianenſis. Tandem eſt capite 16. imago Veronicae ſeu Berenicae, ſeu vultus Chriſti linteo ſeu ſudario a Chriſto, dum ad Caluariae montem duceretur, impreſſa, in gratiam Berenicae, piae feminae, quae diuinae faciei abstergendae linteum obtulerat. Quae circa hanc CASAVBONVS et HOSPINIANVS obiecerant, ipſe capite 16. diluere vult. Capite 17. Innocentii III. Pontificis ſingularem pietatem erga ſudarium Veronicae, ſeu teſtimonia pontificum et aliorum de hac imagine in

z) *capite* 8.

in medium producit. Praedictis his tribus nulla manu effectis Chriſti imaginibus, ſi quis adiicere velit etiam illam, quam Chriſtus ſepulchrali ſyndoni, cui in ſepulcro inuolutus fuerat, impreſſit, ſe non obſtare velle ſcribit (a). Haec hodie Auguſtae Taurinorum religioſiſſime magno fidelium accurſu colitur, quam Cardinalis *Gabriel Palaeottus*, Bononienſis archiepiſcopus, et ſtilo et penicillo deſcripſit, in cuius lucubrationem poſtea ampliores commentarios edidit DANIEL MALLONIVS; tametſi haec ἀχειροποίητος εἰκὼν non eſt ſolius vultus, ſed totius corporis.

ACHRESTI (b), graece ἄχρηστοι, *inertes, deſides, infructuoſi in negotiis*, vocabantur chriſtiani a gentilibus. Diſerte id dicit TERTVLLIANVS (c): *Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, et infructuoſi in negotiis dicimur.* Sine dubio huc etiam reſpicit SVETONIVS (d), dum Flauium Clementem hominem *contemtiſſimae inertiae* vocat. Fuiſſe enim Clementem hunc chriſtianae fidei addictum, ob eamque ab impio Domitiano, tametſi patruelis eſſet, morte mulctatum, ex DIONIS CASSII libro LXVII. patet. Sed neque PAVLVS ICtus l. XXV. §. 2. D. de probationibus et praeſumtionibus per homines *ſimplicitate gaudentes et deſidiae deditos* alios videtur quam chriſtianos innuere; quos vulgari ſcommate *ſimplices* paganis dictos fuiſſe, infra oſtendetur. Tametſi non neceſſario ita debeat, ſed generatim de omnibus rei ſuae priuatae incurioſis, inque re ſua negligentibus, lex iſta poſſit accipi. Miratur vero TERTVLLIANVS frontem paganorum, ignauiam, inertiam et ἀχρηστίαν chriſtianis obiicientium; qui vtique cum ipſis degant, *eiusdem victus, habitus, inſtructus, eiusdem ad vitam neceſſitatis. Neque enim*, ait, *Brachmannae aut Indorum Gymnoſophiſtae ſumus, ſyluicolae, et exules vitae. Meminimus, gratiam nos debere Domino Deo creatori: nullum fructum operum eius repudiamus. Plane rem temperamus, ne vltra modum aut perperam vtamur. Itaque non ſine foro, non ſine balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis veſtris, coeterisque commerciis, cohabitamus in hoc ſeculo. Nauigamus et nos vobiscum et militamus,*

et

a) *l. c. cap.* 1. *pag.* 290. b) vid. CHRIST. KORTHOLTVS in *pagano obtrectatore lib.* 3. *cap.* 12. *p.* 639. *ſqq.* c) *apologet. cap.* 42. d) in *vita Domitiani cap.* 15.

et ruſticamur, et mercamur, proinde miſcemus artes, opera noſtra publicamus vſui veſtro: quomodo, concludit proinde, *infructuoſi videamur negotiis veſtris, cum quibus et de quibus viuimus, non ſcio.* Interim mox iudicium fert TERTVLLIANVS, quid forte impulerit gentiles, vt infructuoſos dicerent Chriſti ſeruos: nempe, quia nonnulla, quae pro illicitis reputabant, communia cum ipſis habere recuſarent. Ita nimirum pergit: *Sed ſi ceremonias tuas non frequento, attamen et illa die homo ſum; non lauor diluculo Saturnalibus, ne et noctem et diem perdam: attamen lauor honeſta hora et ſalubri, quae mihi et calorem et ſanguinem ſeruet, rigere et pallere poſt lauacrum mortuus poſſum. Non in publico Liberalibus diſcumbo, quod beſtiariis ſuprema coenantibus mos eſt; attamen vbique de copiis tuis coeno. Non emo capiti coronam. Quid tua intereſt, emtis nihilominus floribus quomodo vtar? puto gratius eſſe, liberis et ſolutis et vndique vagis. Sed et ſi in coronam coactis, nos coronam naribus nouimus; viderint, qui per capillum odorantur. Spectaculis non conuenimus: quae tamen apud illos coetus venditantur, ſi deſiderauero, liberius de propriis locis ſumantur.* Monet is amplius, in operibus prauis chriſtianos omnino frigidos eſſe ac inertes; ſed illam inertiam compenſari ab ipſis ſedulitate et induſtria laudabili, quam in operibus bonis et honeſtis peragendis adhibeant. *Plane confitebor*, ait (e), *qui conqueruntur. Nam ſi qui forte vere de ſterilitate chriſtianorum conqueri poſſunt, primi erunt lenones, perductores, aquarioli; tum ſicarii, venenarii, magi, item arioli, aruſpices, mathematici. His infructuoſos eſſe magnus fructus eſt, et tamen quodcunque diſpendium eſt rei veſtrae per hanc ſectam, cum aliquo praeſidio, compenſari poteſt. Quanti habetis, non dico iam, qui de vobis daemonia excutiant: non dico iam, qui pro vobis quoque vero Deo preces ſternant: quia forte non creditis; ſed a quibus nihil timere poſſitis.* Tandem accuſationem de ἀχρηστίᾳ in ipſos paganos retorquet TERTVLLIANVS, eos eſſe dictitans, qui magnum reipublicae detrimentum afferant, dum tot iuſtis optimisque viris, chriſtianis videlicet innocentibus, eum orbent.

ACOE-

e) *cap.* 43. conf. ARNOBIVM *lib.* I.

ACOEMETI, corrupte *achimitenſes* (f), *acymetenſes* (g), *akuimiti* (h), graece *ἀκοίμητοι*, latine *inſomnes*, item *vigilantes*, ita dicti monachi Byzantini, non quod inſomnes et nunquam conniuentes oculis perpetuis vigiliis ſe exercerent, ſed quod in eorum monaſteriis diuinum officium noctu diuque, nullo interpoſito ceſſationis interuallo, celebraretur et cantaretur, diuiſa in hunc finem in tres coetus monachorum ſodalitate, ita vt peracto a priori in eccleſia officio, ſecundus, et mox tertius ſuccederet: ſicque nulla hora eccleſia a laudibus et canticis vacaret. Huiuscemodi inſtituti auctorem agnoſcit NICEPHORVS (i) Sanctum Marcellum Apamienſem, cuius feſtum agunt Graeci die XXIX. Decembris; alii, vt ſynaxaria et auctor vitae Marcelli, Alexandrum abbatem, cui ille ſucceſſit in ea dignitate. Floruit autem hic Alexander circa annum Chriſti CCCCXX, de quo etiam conſulendus anonymus in illius vita cap. 5. (k). Monaſterii *τῶν ἀκοιμήτων* Conſtantinopoli meminerunt paſſim ſcriptores, THEODORVS (l) Lector, EVAGRIVS (m), THEOPHANES (n), CEDRENVS in Leone etc. (o) In occidente ſimiliter haec conſuetudo obtinuit, maxime in monaſterio Agaunenſi, a Sigismundo Burgundiae rege erecto ac fundato. Ita enim in charta dotationis, ſeu potius in ſynodo Agaunenſi, Victorius vrbis Gratianopolitanae epiſcopus ait: *Recte mihi videtur, vt ſecundum pleniſſimam deuotionem Domini regis, et pſallendi inſtitutionibus fiant nouem normae: id eſt, Granenſis, Iſiana, Iurenſis, et Meluenſis et cetera, vt ſuccedentes ſibi in officiis canonicis, id eſt, nocturnis, matutinis, prima, tertia, ſexta, nona, et veſpertina, in hanc diu noctuque indeſinenter Domino famulentur.* Sed et ipſe Dagobertus in monaſterio S. Dionyſii a ſe conſtructo et fundato, *ordinem pſallentium inſtar monaſterii Agaunenſium et S. Martini Turonenſis, vt ibidem laus Dei perenniter haberetur, inſtituit*, vt ſcribit ANDREAS SILVIVS in chronico Martianenſi. Chronicon Diuionenſe MS. de monaſterio S. Benigni: *Contulit rex Guntramus*

f) LIBERATVS *diac.* in *breuiar. cap.* 18. g) NICOLAVS *primus ep.* 10. h) GELASIVS *lib. aduerſ. Neſt. et Eutych.* i) *H. E. lib.* 15. *cap.* 23. k) ap. BOLLANDVM 15. *Ianuar.* l) *lib.* 1. m) *lib.* 3. *cap.* 18. *et* 21. n) *pag.* 104. *et* 122. o) vid. DV FRESNE *gloſſ. lat. pag.* 42. *ſq.* et *gloſſ. graec. pag.* 40. *ſq.* item in *Conſtantinopol. Chriſt. lib.* 4. *ſect.* 8. *n.* 2.

Digitized by Google

tramus Deo et S. Benigno ad victum monachorum etc. *Inſuper etiam inſtituit, vt ad ſimilitudinem monaſterii ſanctorum Agaunenſium diu noctuque diuinum perſolueretur officium.* Idem de Luxouienſi monaſterio teſtatur S. BERNHARDVS in vita S. Malachiae: *Ad has noſtras Gallicanas partes S. Columbanus adſcendens, Luxouienſe conſtruxit monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt, tam magnam fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris continuarentur ſolennia diuinorum, ita, vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret a laudibus.* Primis enim illis ſeculis tantus religionis et ſtrictioris vitae feruor floruit, vt monachorum numerus et coetus in immenſum excreſceret, adeo vt in quibusdam ex iis ad 300. 400. et etiam 500 cenſerentur: vnde, cum eccleſia vniuerſos ſimul capere non poſſet, neceſſe erat, vt inter ſe officii celebrandi horas partirentur, et in choros, vt vocabant, ſeſe distribuerent, aut certe in paria eccleſiae ſacella ſecederent, ibique ſua exequerentur officia, certo praeſcripto modo et ordine, quem ex Angilberto Centulenſi abbate pluribus refert HARIVLFVS (p): Acta S. Quirini martyris n. 12. *Diſciplinae monaſticae rudimenta poſuere in hoc coenobio* Iliminenſi *monachi e S. Gallo acciti, ---- quorum numerus ad* 150 *excreuerat, et vt ſeniorum traditione accepimus, tantus Deo militantium fratrum exercitus in tres quinquagenas fuit distributus, vt vno exeunte quinquagenario chorum laboris, refectionis ſeu quietis gratia, continuo alius ad ſtatiuas vigilias ſuccederet, adeoque die ac nocte ſine interpolatione ſua Deo laudes depromerentur.* S. ALTHELMVS (q):

In queis nempe decem monachorum millia florent,
Cantibus aſſiduis et pſalmis carmine crebro. etc.

Epitaphium Raimberti epiſcopi Virdunenſis:

Te veteres ponit ſtructore nouosque reſumit
Haec aedes mores, in qua noctuque diuque
A monachis laudes diuinae vociferantur.

Charta Pipini Regis pro monaſterio S. Dionyſii (r): *Vt, ſicut tempore anteceſſorum regum ibidem in ipſa ſancta baſilica pſallentium chorus per turmas fuit inſtitutus, ſicut ordo ſanctus edocet, diu noctu-*

p) *lib.* 2. *cap.* 11. q) *de laude virg. cap.* 26. r) ap. DOVBLET. *pag.* 703.

noctuque perenniter in ipſo ſancto loco celebraretur. Eadem ferme habentur in praecepto Clodouei regis pro eodem monaſterio. Vt vero certum eſt, in oriente et occidente morem illum perpetui in eccleſia cantus et officii celebrandi obtinuiſſe, ita dubitat DV FRESNE (s), an a graecis monachi occidentales, an vero iſti a noſtris hunc morem hauſerint; neque quicquam definire audet. Si quid tamen dicendum eſt, videtur hic mos ſerius in occidentem veniſſe.

ACOEMETAS, ἀκοιμήτους, lucernas appellabant graeci, quae in eccleſia perpetuo ardent, vt eſt apud IGNATIVM diaconum (t), PACHYMEREM (u), Anonymum de locis Hieroſolymitanis (x), et alios (y). Ἀκοίμητος apud Graecos legitur, 1) de Deo, quia frequentiſſime dicitur ἀκοίμητος ὀφθαλμὸς, *oculus inſomnis, indormis* (z); item iuſtitia Dei, ἀκοίμητος δίκη, *inſomnis iuſtitia* (a); item Dei potentia pro piis excubans (b). 2) de homine, qui iubetur habere ἀκοίμητον ὄμμα (c); idem habere iubetur ἀκοίμητον πνεῦμα (d). 3) de diabolo, qui vocatur ἀκοίμητον θηρίον (e) etc. (f).

ACOLVTHIA, ἀκολουθία, preces ipſae et officia eccleſiaſtica, ſic dicta, inquit GOAR (g), quod eorum partes bene diſpoſito et ordinato nexu inter ſe cohaereant, ſeque conſequantur. Latine ergo *Sequentia* vel totum officium vel pars eius. Ita etiam NEOPHYTVS RHODINVS in *vernacula ſynopſi*, officium eccleſiae in communi ſumtum dici acóluthian, ſcribit, *eo quod vna oratio ſequatur alteram, tertia primam, ſexta tertiam, et ſic deinceps.* Dein quaevis alia precum l. rerum diuinarum collectio, in qua pſalmi, cantica, preces et alia ordine diſpoſito conſequuntur, ἀκολουθία *Sequentia* merito poteſt appellari (h).

B. Se-

s) *l. c. pag.* 42. t) in *vita S. Nicephori Patriarch. Conſtantinopol. n.* 7. u) *lib.* 2. *cap.* 21. x) *cap.* 5. y) DV FRESNE *gloſſ. graec. pag.* 40. quem vide. z) BASILIVS M. *homil.* 7. *in hexaëm. p.* 94. a) ISIDOR. PELVSIOTA *ep.* 90. *lib.* 3. *pag.* 291. b) ORIGENES *lib.* 1. *contra Celſum pag.* 47. c) ISIDOR. PELVSIOTA *ep.* 324. *lib.* 3. d) IGNATIVS *in ep. ad Polycarp. p.* 205. e) CYRILL. ALEX. in *actis Epheſ. pag.* 252. f) vid. SVICERVS *theſ. eccl. tom.* 1. *p.* 158. *ſq.* g) in *EuchＯlog. pag.* 34. h) DV FRESNE *gloſſ. graec. pag.* 41.

Digitized by Google

B. ſecundum NOTKERVM (a) denotat *in ſuperſcriptione cantilenae, ſecundum literas, quibus adiungitur, vt bene, id eſt, multum extollatur, vel grauetur, ſiue teneatur, belgicat.*

B. pro V. crebro occurrit in veteribus tabulis et inſcriptionibus, vt *abe* pro *ave*, *fabe* pro *faue* etc. (b) nec non in ſcriptis diuerſis, e. gr. *probidentia* pro *prouidentia*, et *octabum* pro *octavum*, et *deuitum* pro *debitum* etc. in LEONIS *Oſtienſis* chronico monaſterii Caſſinenſis; quod ANGELVS DE NVCE, chronici illius illuſtrator, tribuit iſtius aetatis graeciſſanti dialecto et ſcriptioni (c).

BACCALARIA eſt praedii ruſtici ſpecies, prout id DV FRESNE (d) ex tabulariis diuerſorum monaſteriorum docet. *Baccalaria dominicaria, indominicata*, praedium ruſticum, quod ad dominum ipſum ſpectabat, et ab ipſo excolebatur. *Baccalaria* pluribus conſtabat manſis; manſus autem erat 12. iugerum, vt auctor eſt PAPIAS. Interdum vero decem duntaxat manſos continuit. BERNARDVS GVIDO de ordine Grandimontenſi: *Turpio* (epiſcopus Lemouicenſis) *dedit eis baccalariam, quae decem manſos tunc continebat.* Turpionis ipſius verba recitat Dominicus: *Do illis villam, quae vocatur baccalaria, quae decem in ſe manſos continere videbatur.* Hinc *Baccalaria facere*, eſt opus baccalariorum exercere. *Baccalarii* vero dicti ipſi, qui *baccalarias* tenebant, poſſidebant, excolebant. Eccleſias quoque ſuos habuiſſe *baccalarios*, ex catalogo abbatum Lerinenſium, apud *Vincentium* Barrallium (e), colligitur: vbi narratur, Gaucelinum Foroiulienſem epiſcopum ſub anno MXXXVIII. *vna cum conſilio et conſenſu omnium canonicorum ſuorum et baccalariorum et aliorum quam plurium vtriusque ſexus donationem quandam feciſſe monaſterio Lerinenſi.* In Vſaticis Barcinonenſibus (f) *baccalarii* annumerari videntur ruſticis, quod perinde ac ruſtici manſarii, ſi non operibus ſeruilibus, certe aliis oneribus, verbi gratia, cenſui, eſſent obnoxii. Fuerunt tamen ruſticis manſorum cultoribus longe honoratiores.

BACCA-

a) *loc. cit. ſupra in lit. A.* b) DV FRESN. *gloſſ. lat. T.* 1. *p.* 415. c) *lib.* 1. *c.* 12. *p.* 131. d) *loc. cit. p.* 418. e) *tom.* 2. *p.* 251. f) *cap.* 46.

Digitized by Google

BACCALARII ſeu *Baccalaurei* (g), *Bachellarii* (h), *Bachalarii* (i) et *Bacularii* (k), qui in eo gradu ſunt in academiis, vt ad doctoratum adſpirare posſint. Vnde haec vox originem ſuam trahat, non conueniunt autores. ALCIATVS (l) eos dictos putat a *baccalaurea*: RHENANVS a *bacillis*, quibus donantur, dum baccalariatus gradum conſequuntur. DV FRESNE (m) eos deducit a *Baccalariis* militaribus adoleſcentibus: vt enim hi ad *Banneretorum* gradum adſpirant, ſic hi ad doctoratum. De horum Baccalariorum academicorum nomenclatura disputat CAESAR EGASSIVS BVLAEVS (n). Gradus baccalaureatus communis quidem eſt omnibus in academiis facultatibus, non tamen is vbivis locorum vſurpatur. Poſt Lombardi tempora coeperunt alii ex his dici *biblici*, qui et *curſores* nuncupantur: quia ad curſum theologicum explicandum, nempe bibliorum admittuntur; alii *ſententiarii*, qui et *formati* appellantur: quoniam ad curſum theologicum ſententiarum Lombardi explicandum ſuscipiuntur. Baccalaureus *formatus* definitur, quod ſit *perſona, habens dignitatem baiulandi baculum, promouibilis in magiſtrum* (o). Vetera ſtatuta academiae Pariſienſis illorum mentionem faciunt (p): *Quilibet curſor* (baccalarius) *in theologia inter primum curſum et ſententias, tenebitur reſpondere in theologia, ad minus ſemel de disputatione tentatiua ſub magiſtro.* Statuta Viennenſis academiae integros titulos habent (q), qui exhibent de *curſoribus* et *ſententiariis* ordinationes: ex. gr. (r) *Volumus, quod ſemper paſſus bibliae prius non lecti asſignentur biblicis et curſoribus, donec biblia ſit in hoc ſtudio tota lecta.* Item: *Baccalarii biblici et curſores, legendo curſus ſuos ſeu bibliam, inter alia ordinate et ſolide textum exponant et gloſſas notabiles declarent, ſecundum modum curſorie legendi Pariſiis obſeruatum.*

BACI-

g) NIC. DE CLEMANGIS *lib. de ſtud. theol.* h) NIC. TRIVETTO in *Chr. ann.* 1282. i) WALSINGHAM *p.* 51. k) *Idem p.* 309. l) *ad l.* 57. *de verbor. ſignificat.* m) *loc. cit. pag.* 419. n) *tom.* 2. *de academia Pariſienſi p.* 679. o) IO. LIMNAEVS *diſp. de acad. th.* 12. p) *hiſt. academiae Pariſ. tom.* 4. *p.* 391. q) quos vide ap. LAMBECIVM *comment. de bibl. caeſ. lib.* 2. *c.* 5. *p.* 130. *ſqq.* r) *ibid. p.* 132. §. 11. *et* 14.

Digitized by Google

BACILE, *Baccile*, *Bacinus*, *Baccinum* a *Bacca*, quae vox vas aquarium denotat (s). *Bacile* ergo ſaepe pro pelui, vel pollubro et malluuio ſumitur, et inter vaſa eccleſiaſtica recenſetur. In *cerimoniali epiſcoporum* (t) iubentur celebranti cardinali, vel archiepiſcopo aut epiſcopo valde inſigni, viri nobiles ciuitatis *duas argenteas lances ſeu fontes, ſi commodum fuerit, quos bacilia vocant, cum aqua odorifera* etc. miniſtrare. LEO *Oſtienſis* inter oblationes Roberti Ducis refert (u) *bazili de argento parium vnum librarum ſeptem.* Et alibi (x) ornamentis eccleſiaſticis, quae in monaſterio reliquit papa Victor, qui et Deſiderius abbas, accenſet *bacilia argentea paria duo.* LANFRANCVS in *decretis pro ordine S. Benedicti* (y): *Tunc fratres, qui ad miſſam induendi ſunt, vadant ad locum conſtitutum, vbi ſit optimus ignis a famulis camerarii praeparatus, bacilia quoque et aqua calida ad abluendas manus.*

BACTERIVS, Βακτηρία, βακτήριον, βάκτρον, baculus, ſcipio (z). S. AVDOËNVS *in vita S. Eligii* (a): *Poſuitque ſuper eum, quem manu geſtabat, bacterium.* Idem (b): *Alius vir claudus—repens bacterio, corpore curuo.* Et alibi (c): *Catenae -- et compedes illic monſtrantur diſſipati, cippi etiam fracti et claudorum bacterii in argumento oſtenduntur.* Vita S. Iulii et Iuliani apud MOMBRITIVM (d): *Arreptoque bacterio, quo ſolebat ſuſtentari:* vbi perperam *bapterio* editum. Liber miraculorum S. Deſiderii epiſcopi Cadurcenſis (e): *Cum eius repente incidit in mente, Deſiderii ſuffragia expetere, eaque ex medicina loti bacterii poſtulare.* Concilium Lemouicenſe ann. MXXXI. ſeſſione prima de S. Martiali: *Diſcipulum virtute reſurrectionis de morte poſt ſex dies Petri bacterio tactum reſurgere fecit.*

BACTROPERATAE, *Vactroperiti*, B. mutata in V. vt ſupra notatum: ita philoſophi appellati, quod baculum et peram

 defer-

s) DV FRESNE *l. c. p.* 417. t) *lib.* 1. *cap.* 11. *p. m.* 57. u) *lib.* 3. *cap.* 58. *p.* 400. x) *ibid. c.* 74. *p.* 421. conf. *hiſt. tranſlat. S. Landoaldi n.* 19. et in *ceremoniali romano lib.* 2. *ſect.* 2. *p.* 258. y) *cap.* 1. *ſect.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 8. *ſect.* 2. *in ſynodo Londinenſi ann.* 1125. *c.* 3. ap. FLORENTIVM *Wigorn. p.* 661. z) DV FRESNE *l. c. p.* 424. a) *c.* 2. *p.* 23. b) *cap.* 61. c) *cap.* 67. d) *cap.* 3. e) *cap.* 6.

deferrent, ex graeco βάκτρον et πήρα, *pera*, *ſaccus* (f). S. HIERONYMVS in caput XIX. Matthaei: *Ex hoc praecepto arguit philoſophos, qui vulgo appellantur Bactroperatae, quod contemptores ſeculi, et omnia pro nihilo ducentes, cellarium ſuum vehebant.* DV FRESNIO perperam videtur intellexiſſe *Hieronymus* vtres vinarios, quos ſecum deferebant peregrini: cuius locum reſpexit indubie PAPIAS, dum dixit, *Bactroperitas eſſe, qui portant vinum in vtribus:* ſic enim habet MS. codex, vbi editus *vinum vtris*. Canones *S. Patricii* Hiberni (g): *Monachi ſunt qui ſolitarii ſine terrenis opibus habitant ſub poteſtate epiſcopi vel abbatis: non ſunt autem monachi, ſed Vactroperiti, hoc eſt, contemptores ſolliciti ad vitam perfectam in aetate perfecta.* Ita etiam monachos aegyptios, philoſophos nempe chriſtianos, depingit CASSIANVS (h).

BACVCEI, homines certo quodam daemonum genere correpti, vel potius daemones ipſi, dicuntur CASSIANO (i).

BACVLARIVS, apparitor eccleſiaſticus, bedellus, qui baculum manu geſtat in ſignum ſuae functionis. Conſtitutiones Petri epiſcopi Ruthenenſis legati apoſtolici in regno Cypri ann. MCCCXII. (k): *Item quod bacularii noſtri, et etiam eccleſiae, omnes illos, quos contra dictas conſtitutiones facerent, vel aliquam praedictarum, ex tunc aperte poteſtatem habeant citandi eos perſonaliter coram nobis* etc. Vide *Virgarius*.

BACVLOSVS, dicitur epiſcopus aut abbas, qui baculo paſtorali inſignitur. Ita in praefatione legum Hoëli Boni regis Walliae: *Omnes eccleſiaſticos dignitate baculoſos, vel archiepiſcopos, epiſcopos, abbates* etc.

BACVLVS *paſtoralis*, qui ab eccleſiae paſtoribus, id eſt, epiſcopis, abbatibus, vel aliis etiam perſonis Deo ſacratis, dignitatis autoritatisque gratia in ſacris functionibus geſtari ſolet. Appellatur quoque *pedum*, analogia deſumta a pedo pecorum paſtoribus vſitato: item *cambuca*, *cambucca* (l), *cambutta*, *gambuta*, interdum cum addito, *cambucca paſtoralis* (m); licet haec

vox

f) DV FRESNE *l. c. p.* 425. g) *cap.* 17. h) *lib.* 1. *Inſtit. cap.* 8. *ſq.* et *Collat.* 11. *c.* 3. adde IO. BAPT. COTELERIVM in *notis ad Hermae Paſtorem p.* 50. i) *Collat.* 7. *cap.* 32. k) *cap.* 42. l) in *vita S. Deſiderii epiſcopi Cadurcenſis cap.* 19. m) ADAMVS *Brem. c.* 102.

Digitized by Google

vox in quibusdam locis videatur accipi pro parte duntaxat baculi (n): *Baculus Ricardi epiſcopi tertius, cuius cambuca de argento deaurato* etc. ----- *baculus eiusdem cum cambucca cornea.* Ab HONORIO *Auguſtodunenſi* ſalutatur *capuita* (o), nec non *virga paſtoralis et ſerula* (p). Dicitur etiam *crocia*, a ſimilitudine crucis: ita enim HARIVLFVS (q): *virga paſtoralis, quam vulgus crociam vocat.*

Materia baculi paſtoralis ab initio, vt reliqua omnia, erat ſimplex, quam poſtea quoque Praelati, humilitatem ſectantes, elegerunt. Hinc *ligneos* legimus baculos, eosque ſaepe ex infima et contemtiſſima lignorum materia, ſambuco ſcilicet. Talem habuit Burchardus epiſcopus Wurzburgenſis, teſte autore, qui vitam eius deſcripſit (r): *De tanti viri humilitate ſcribere quippiam omnino ſuperfluum fuerit, cum nec dum nomen et officium epiſcopale voluiſſet pompaticum, niſi quod ipſa, quae in loco ſepulturae eius ſeruatur virga ſambucea, ſemper nobis ad memoriam reducit humilitatis eius exempla.* Lucius II. papa an. MCXLIV. Hugonem archiepiſcopum baculo ligneo inueſtiuit (s). Interdum *cupreſſini* fuerunt, vt id conſtat ex epiſtolis Stephani Tornacenſis ad epiſcopum Aurelianenſem (t): *Munuſculum vobis mittimus baculum paſtoralem cypreſſinum, officio veſtro et qualitate myſterii congruum et quantitate miniſterii condignum.* Idem ille fuit baculus, quem ei miſerat abbas Syluae maioris (u). Baculus etiam ex *oſſe et ligno* fuit effectus, cum cryſtallina vel deaurata ſphaerula (x). Pedum, quod Bonifacii eſſe creditur, atque Fuldae aſſeruatur, rudi opere expolitum nitet velut eburneum, ſed ex oſſe marino fabrefactum, potior opinio tenet (y). Partem eius quandoque fuiſſe corneam, in baculo Ricardi paulo ante vidimus. Saepe tamen deprehendimus eos vel auro vel argento vel aere artificioſe tectos, quales

n) ita *Viſitatio theſaurariae aedis S. Pauli Londinenſis an.* 1295. ap. DV FRESNE *gloſſ. lat. Tom.* 1. *p.* 697. o) in *gemma animae c.* 153. *et* 217. p) *ibid. c.* 216. q) *lib.* 4. *chron. Centul. cap.* 28. r) *cap.* 1. s) MARTENE *nou. coll. vet. ſcript. p.* 82. t) *epiſt.* 224. u) vt id colligitur ex *epiſt.* 223. x) *Gemma animae de antiqu. rit. miſſ. l.* 1. *c.* 219. y) BROW. *Fuldenſ. antiquit. l.* 2. *c.* 9. *p.* 135.

Digitized by Google

quales non hodie duntaxat habent epiſcopi et abbates, ſed iam olim habuerunt. SAVSSAIVS (z) ſcribit, ſe vidiſſe Rhemis baculum epiſcopalem S. Remigii, auri laminis coopertum, caelaturisque artificioſis circumquaque ornatum. Vidi et ego abbatiſſae Quedlinburgenſis primae baculum, in eccleſia abbatiali ad haec vsque tempora aſſeruatum, aurea caelatura cinctum. Hi tamen aurei baculi rariores forte ſunt; plures hodie ex antiquioribus et recentioribus obſeruamus argenteos. Inde etiam conſtitutiones ſynodales Mediolanenſes baculum paſtoralem laminis argenteis tectum volunt. Fuerunt et alii ex cupro confecti et inaurati, qualem me vidiſſe memini, quo vſi fuerunt abbates Cluſenſes prope Gandersheimium. Prout ſcilicet vel media vel infima aetate, epiſcopatuum et abbatiarum fundatores nouos praeſules voluerunt ornatos, vel ipſi praeſules decreuerunt, vel eccleſiarum prouentus permiſere, tales etiam baculorum materias elegerunt. Sed ſplendor ille auri atque argenti multis ſaepe diſplicuit. Sic monachus *Sangallenſis* (a) quendam epiſcopum eo nomine reprehendit, quod ſibi illicite arrogaſſet vſum baculi aurei, ſequentibus verbis: *In tantam progreſſus eſt proteruiam, vt virgam auream incomparabilis Caroli M. feriatis diebus, vice baculi ferendam, pro epiſcopali ferula improuidus ambiret.* Virga aurea Caroli diuerſa eſt ab epiſcopali ferula, qua depoſita illam geſtare affectauit epiſcopus ex impotentis animi vanitate. Similiter PETRVS *Damiani* et ipſe abbas, dein cardinalis et epiſcopus Oſtienſis eosdem notauit (b): *Nunquam certe vidiſſe me memini, pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, ſicuti erant, qui ab Eſculano atque Tranenſi geſtabantur epiſcopis. ---- Nec eis profuit, quod pontifices ligneis auratis vſi ſunt baculis, dum ſacerdotii meritum non nitor efficiat veſtium, ſed ſpiritualium norma virtutum.* Et in *vita* BVRCHARDI ante laudati legimus (c): *Vnde conſtat, quanto pretioſior ſit coram illo, qui humilia reſpicit, et alta a longe cognoſcit, paſtor Burchardus cum ſua paſtorali virga modernis paſtoribus, qui paſcentes ſemetipſos, vix in ipſis baculis ſuis aliqua carent pompa.* Atque huc ſpectant verſus illi Gallorum,

z) *lib. 2. panopliae.* a) *de geſtis Caroli M. lib. 1. cap. 19.*
b) *lib. 2. epiſt. 2.* c) *loc. cit.*

Digitized by Google

lorum, quos refert COQVILLIVS in *hiſtoria Niuernenſi* (d):

Au temps paſſé du ſiecle d'or,
Croiſe de bois, Eveſque d'or.
Maintenant changent les loix,
Croiſe d'or, Eveſque de bois.

id eſt:

Cum tempus eſſet aureum
Pedum gerebant ligneum
Aurei miniſtri: iam pedum
Tenent ſuperbum lignei.

Apud Graecos etiam datur baculus paſtoralis, qui illis dicitur βακτηρία, δικανίκιον, ῥάβδος, doctius *Euchologio* Graecorum (e) ἀρχιερατικὴ ῥάβδος, et ſaepius ex ebore et ebeno ſolum variegatus eſt (f). Interdum tamen erat argenteus, quem patriarchae Conſtantinopolitani ab imperatore acceperunt. Conſtat id ex *hiſtoria politica* (g): *Suis manibus paſtorale pedum magni pretii* (patriarchae Conſtantinopolitano) *dedit: baculum nempe argenteum inauratum, artificioſe factum.* Imo PHRANZES, quando morem declarandi patriarcham ab imperatore deſcribit, virgae paſtoralis aureae mentionem facit (h): *Erat munus et conſuetudo chriſtianorum imperatorum, vt electo patriarchae pedum, ſeu virgam paſtoralem auream, lapillis et margaritis diſtinctam* etc. *donarent.*

Forma baculi apud latinos fuit olim varia, pro lubitu epiſcoporum, vel etiam eccleſiae conſuetudine. Sic Gregorii M. baculus in ſupremo capite ſphaerula, cui crux impoſita, inſignitus, in extremo autem acuto armatus eſt ferro. Exhibet illam formam DOMINICVS MACER (i) ex monumentis *Alfonſi Ciacconi*; quemadmodum et alium Gelaſii II. contornatis globulis in ſummitate ornatum ſiſtit (k) ex antiqua pictura, a *Conſtantino Caietano* in vitae principio eiusdem papae appoſita. Communior tamen forma fuit illa, qua in ſuperiori parte baculus eſt flexus et incuruatus, in media parte rectus, in ima vero acutus. Interdum

d) apud DV FRESNE *loc. cit. p.* 426. e) *pag.* 310. f) GOAR *ad Euchol. p.* 313. g) *pag.* 15. apud CRVSIVM *lib.* 1. *Turcograec.* h) *lib.* 3. *chronic. cap.* 19. i) in *hierolex. p.* 65. k) *ibid. p.* 387.

dum in ſupremo inſigniebatur capite (l), in curuatura erat ſcriptum: *Cum iratus fueris, miſericordiae recordaberis*, in ſphaerula notatum fuit: *Homo*, et iuxta ferrum: *Parce.* In baculo paſtorali monaſterii Mariaeuallenſis, cuius praefecturam indignus gero, ſub ſphaera cryſtallina micant haec verba: *Collige, ſuſtenta, ſtimula.* In conſtitutionibus et decretis ſynodalibus prouinciae Mediolanenſis forma baculi, qualis infima praecipue aetate fuit, plenius eſt deſcripta ſequentem in modum (m): Baculus paſtoralis a parte ima praeacutus, a media totus rectus, a ſumma retortus eſſe debet. Orario aut ſudario non ornatur, ſi epiſcopalis eſt: quo inſigni abbatialis ab illo diſtinguitur. Longitudine recta eſt cubitorum trium et vnciarum duodecim, pars vero illius retorta, totidem vnciis, aut paulo altius eminet. A ſumma rectitudinis parte, eſt craſſitudine orbiculari vnciarum circiter ſeptem: quae prope ad imam partem deſcendens, paulatim diminutam, vnciis quinque conſtat: in ipſa vero plane ima parte ferro, vel argento, aliove metalli genere praeacuitur. Pars recta baculi integitur laminis ſolidis argenteis, nulla caelatura ornatis: retorta, laminis item argenteis caelatura elaboratis, et fabri argentarii iudicio inauratis. Connectitur autem cum illa parte recta aliquo caelati argenti opere, certis locis inaurato: quod ſexanguli formam exhibens, ſacris imaginibus ornatur. Satis accurata eſt haec baculi deſcriptio, cum qua baculus Mariaeuallenſis ante laudatus ex aſſe conuenit. Eo rarius hoc opus aeſtumari debet, quo pauciores noſtris temporibus huius formae baculi in noſtris terris apparent. Hodie enim in baculis epiſcopalibus et abbatialibus neque in curuatura cryſtalli pila integra aut dimidiata, neque inter rectitudinem et illam curuaturarum ſexangulare iſtud opus apparet. Similiter longitudo huius baculi olim alia erat, ac hodie. Hugonis archiepiſcopi Turonenſis baculus, quem a Lucio II. accepit, et eccleſia Turonenſis adhuc asſeruat, vnum habet pedem cum tribus pollicibus (n). Nummi bracteati epiſcoporum et abbatum baculos exhibent longitudine ea, quae in hodiernis datur, omnino minores. Baculus abbatiſſae Quedlinburgenſis, ſupra nominatus, eſt duarum vlnarum et

l) *Gemma anim. l. 1. c. 219.* m) *lib. 4. cap. de ſuppellectili miſſarum etc. p. 218. ſq.* n) MARTENE *collect. vet. ſcript. p.* 81.

et dimidiae longus. Forte alibi et alii deprehenduntur diuerſae longitudinis. Vnde vero vulgaris illa baculi paſtoralis forma deſumta ſit, diuerſimode deduci poteſt. Quidam eam deberi putant opilionis baculo, quo mediante ipſe ſuperne parum inflexo pecora aberrantia coërcet: praecipue cum allegoria nominis et ſymboli non aliena ſit, ipſa quoque quorundam baculorum figura conueniat. Alii ex romanorum veterum ſacris eam petunt, atque litui formam referre autumant. Eſt enim *lituus*, teſte GELLIO (o), *virga breuis, in parte, qua eſt robuſtior, incurua, qua augures vtuntur.* Quae coniectura tam abſurda non videbitur illis, qui multa temporis ſucceſſu in eccleſiam chriſtianam ex gentilium ſacris fuiſſe translata dudum obſeruarunt. IO. HEMELARIVS (p) baculi paſtoralis formam potius a ſigno Chriſti, quod Conſtantinus M. labaro imponi curauit et ſucceſſores illius variis in locis exhibuerunt, deducendam eſſe arbitratur. Inprimis ex Iuſtiniani imp. nummis, in quibus interdum ſtat in gradu ſtabili angelus victor, ſiue victoria, dextra manu baculum geſtans, in cuius ſummo eſt hieroglyphicus character Chriſti et crucis eius, id oſtendere laborat. *Ab hac forma*, dicit, *ſimul Chriſti nomen et victoriam crucis in baculo exprimente, epiſcopalis dignitatis inſigne ſceptrum figuram traxit, quod etiamnum ad paſtorale munus deſignandum in ſolenni inauguratione ipſis traditur.* Quamuis autem haec quodammodo conueniant, ex illo ſigno tamen baculi paſtoralis figuram traxiſſe originem, vix dici poteſt: praecipue cum graeci baculorum illorum formam non adhibuerint, qui certe imperatorum ſuorum ſigna facilius imitari potuiſſent. Hi enim baculos paſtorales non habebant in ſummitate curuos ſiue retortos, ſed ſumma eorum pars deſinebat in globum eburneum vel ſignum crucis, vti deſcribitur eiusmodi virga in vita Bartholomaei primi archimandritae S. Saluatoris Meſſanenſis: *Nudis pedibus incedens, baculo crucis ſignum in vertice referenti incumbens, quo dubios firmaret greſſus.* Alias autem ſumma eius pars ornata fuiſſe deſcribitur ſigno, iuxta manum transuerſo, ad inſtar literae T, vel duobus ſerpentibus, eboreis reflexis capitibus, quaſi mutuo ſe reſpicientibus: cuius effigiem videre licet in *Euchologio* Graecorum apud IAC. GOA-

o) *Noct. att. lib. 5. cap. 8.* p) in *numiſm. rom. impp. p.* 239.

RVM (q). Maronitarum autem epiſcopi in ſummitate baculi ſui paſtoralis globum cryſtallinum et ſaepe gemmatum cum cruce ſuperpoſita geſtarunt, quam formam latinos olim etiam habuiſſe, ſupra indicauimus.

Myſticas rationes materiam et formam illam habere, ſcriptores de officiis diuinis indicare ſolent. Multus in illis fuit HONORIVS *Auguſtodunenſis* in libro, qui inſcribitur *Gemma animae de antiquo ritu miſſae* (r), vbi ſequentia legimus: *Per baculum auctoritas doctrinae accipitur, qua grex dominicus a paſtore reficitur, et ad paſcua vitae compellitur: per durum os, duritia legis, per lignum manſuetudo euangelii inſinuatur: per gemmam ſphaerulae, diuinitas Chriſti: per ſupremum caput, regnum coelorum: per extremum ferrum, vltimum iudicium denotatur. Ex oſſe ergo baculus inciditur, dum ex dura lege duritia peccantium exprimitur: e ligno tornatur, dum ex ligno vitae Chriſto doctrina formatur, et populus in virtutibus roboratur. Os ligno per gemmam connectitur, quia vetus lex nouae per Chriſti diuinitatem contexitur.* His deinde ſubiicit, quae baculi formam quoad ſingulas partes illuſtrare poſſunt: *Per ſphaerulam*, pergit, *dilectio intelligitur, qua ſeueritas vel lenitas pontificis complectitur. Oportet enim vt doctrina epiſcopi ex vtraque lege ſic dilectione copuletur, vt eccleſiam Chriſto coniungere per charitatem conetur. Haec autem cuncta ſunt raſili arte polita, quia iſta ſunt omni ſanctitate redimita. Os recuruatur, vt populus errans per doctrinam ad Dominum retrahatur. Caput in ſupremo ponitur, dum conuerſis vita aeterna proponitur. In extremo baculus ferro induratur, dum omnis praedicatio per vltimum iudicium terminatur. In curuatura eſt ſcriptum:* Dum iratus fueris, miſericordiae recordaberis: *ne ob culpam gregis ſuperet ira mentem paſtoris; ſed verbo et exemplo reuocet peccantes ad miſericordiam redemtionis. In ſphaerula eſt ſcriptum:* Homo: *quatenus ſe hominem memoretur, et de poteſtate collata non eleuetur. Iuxta ferrum eſt ſcriptum:* Parce: *vt ſubiectis in diſciplina parcat, quatenus ipſe a ſummo paſtore gratiam inueniat, vnde et ferrum debet eſſe retuſum, quia iudicium ſacerdotis per clementiam debet eſſe deli-*

q) *pag.* 115. *ſq.* r) *lib.* 1. *cap.* 219. *ſq.*

Digitized by Google

delibutum. Nec tacendi ſunt alii, quos inter eſt BEDA ita ſcribens (s): *Baculum habet epiſcopus, vt ſubditos regat, infirmos ſuſtineat.* INNOCENTIVS ſcribit (t): *Baculus correctionem ſignificat paſtoralem;* et ſimul producit verſum autore incerto: *Collige, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta:* collige vagos, ſuſtenta debiles, et punge pigros. HVGO *a S. Victore* (u): *Baculus paſtoralis rectitudine ſua rectum regimen ſignificat. Quod autem vna pars curua eſt, altera acuta, monſtrat praeeſſe ſubiectis et debellare ſuperbos.* Inde dictum eſt:

Attrahe per curuum, medio rege, punge per imum.
Et: *Curua trahit, quos virga regit, pars vltima pungit.*
Et: *Curua trahit mites, pars pungit acuta rebelles.*

Graeci quoque baculum paſtoralem ſymbolum quoddam eſſe agnoſcunt: hinc ab illis vocatur πατερίζα a paterna ſollicitudine, nec non δικανίκιον a iuſtitiae propoſito. SIMON *Theſſalonicenſis* quaerit (x): *Quid virga, quam pontifex tenet, manifeſtat?* et ipſe reſpondet: *Virga manibus pontificis geſtata, poteſtatem ſpiritualem, populumque ſuſtentandi virtutem, paſcendi debitum, ducendi, rebelleſque caſtigandi, et a ſe disſitos congregandi, officium ſignificat. Anſas praeterea retortas hamorum inſtar habet, vt efferatos fuget et pernicioſos: et vltimo Chriſti crucem maniſeſtat, et trophaeum, in quo vincimus, fulcimur, deducimur, paſcimur, obſignamur, et ad Chriſtum trahimur: vnde et paſſionibus exuperatis aduerſarios inſequimur, et vndequaque protegimur.*

Quibusnam olim competierit, quibusque hodie competat ius geſtandi baculum paſtoralem, nunc porro eſt diſpiciendum. An *pontifex romanus* eo fuerit vſus vel vtatur, dubium quondam fuit, cum GREGORIVS IX. dicat (y): *Licet romanus pontifex non vtatur baculo paſtorali, tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam rationem, tu tamen ad ſimilitudinem aliorum pontificum eo poteris vti.* Vbi gloſſa ad verba: *propter hiſtoriam,* ſubdit: *Martialis, vnus de diſcipulis Petri, quem poſuit Dominus inter diſcipulos, cum dixit:* niſi efficiamini ſicut paruulus

s) in *collectaneis cap. de ſeptem ordinibus.* t) *myſt. miſſ. lib.* 1. *c.* 62. u) in *ſpecul. eccleſ. c.* 6. x) *libr. de ſacram.* y) *libr.* 1. *decretal. tit.* 15. *de ſacr. vnct. cap. vnico,* §. *licet.*

Digitized by Google

uulus iſte, non introibitis in regnum coelorum etc. *quem poſtea Petrus cum alio, ſcilicet Matthaeo, ad praedicandum miſit in Germaniam, quicum iret, mortuus eſt, et rediit collega ad Petrum, et Petrus ait: Accipe baculum et tangens eum dic, vt in nomine Domini ſurgat et praedicet; at ille in quadrageſimo die a tempore mortis tetigit eum, et reſurrexit et praedicauit, et ita Petrus remouit a ſe baculum et dedit ſubditis.* DVRANDVS (z) vero poſt illa adducta ſubiicit, *Innocentium III.* ſcripſiſſe *in eccleſiae ſpeculo*, quod B. Petrus miſerit baculum ſuum Euchario ſiue Frontoni, primo Treuirorum epiſcopo, quem vna cum Valerio et Materno ad praedicandum euangelium genti Teutonicae deſtinauit, cui ſucceſſit in epiſcopatu Maternus, qui per baculum Petri de morte fuit ſuſcitatus, quem baculum vsque hodie cum magna veneratione ſeruat Treuirenſis eccleſia: et ideo papa in illa dioeceſi vtitur baculo et non alibi. Cum vero praeterea dictum fuerit, propter myſticam rationem pontificem non geſtare baculum, illam eadem gloſſa ſequentem in modum dilucidat: *quia baculus habet in ſummitate recuruationem, quaſi ad trahendum: quod non eſt neceſſarium romano pontifici, quia nullus ab illo diuertere poteſt finaliter, quia eccleſia non poteſt eſſe nulla; vel quia per baculum deſignatur coërcitio ſiue caſtigatio: ideo alii pontifices recipiunt a ſuis ſuperioribus baculos, quia ab homine poteſtatem recipiunt: romanus pontifex non vtitur baculo, quia poteſtatem a ſolo Deo recipit* (a). Sed alia nos edocuit praeter MACRVM (aa) IOANN. CIAMPINVS, romanus, non duntaxat in parte prima *veterum monimentorum* (b), ſed etiam in peculiari diſſertatione hiſtorica, *an romanus pontifex baculo paſtorali vtatur* (c)? Poſtquam baculos formae triplicis fecerat, alios rectos, alios in ſummitate curuos, alios figura magni T. praeditos, epiſcopos praecipue incuruos geſtaſſe dicit, romanos autem pontifices rectos, a ſimilitudine *ferulas* dictos; quos ideo maxime elegerint, quod imperatoribus ferula, licet diuerſae

z) in *rational. diu. off. l.* 3. *c.* 15. THOMAS in *ſupplem.* 3. *part. qu.* 40. *art.* 7. *ad* 8. *reſp.* MASENIVS *epit. annal. treuirenſ. p.* 39. *ſq.*
a) add. DVRANDVM et THOMAM *loc. cit.* aa) *loc. cit. p.* 65.
b) *cap.* 25. *pag.* 123. c) Vid. *Acta Erudit. Lipſ. ſuppl. Tom.* 2. *Sect.* 2. *p.* 91. *ſq.*

ſae eſſet formae, ſymbolum fuerit poteſtatis in ſubditos moderate exercendae. Dein affert primum antiquam Gregorii M. imaginem, qua pontifex hic dextra baculum rectum, cuius in ſummitate parua crux comparet, tenens a MACRO in hierolexico refertur. Deinde LVITPRANDVM teſtem aduocat, qui inter inſignia pontificia ferulam recenſet, eamque a Leone fractam populo in ſignum ablatae poteſtatis oſtenſam dicit. Idem porro oſtendit ex Gelaſii II. pictura, vitae eius a Conſtantino abbate Caietano ſubiuncta, qua pontifex ſiniſtra manu baculum rectum, cui globus oui referens figuram ſuperadditus, tenens exhibetur. Quartum ipſi quintumque argumentum ſuggerunt BARONIVS, qui ad ann. MC. in electione Paſchalis II. ferulae non minus, quam aliorum inſignium facit mentionem, et CENCIVS CAMERARIVS, cardinalis Sabellus, poſtea Honorius III. in rituali idem regiminis et correctionis ſignum inter alia enumerans. Idem ſexto loco indicare ſcribit *rituale* illud, quod Gregorii X. iuſſu editum. Tandem ſimilia IACOBI cardinalis CAIETANI rituale, itemque aliud AVGVSTINI PATRITII, perperam a quibusdam CHRISTOPHORO MARCELLO, archiepiſcopo Corcyrenſi, a quo Leoni X. pontifici fuerat dicatum, attributum, tradere oſtendit. Denique quaerit, quonam tempore eiusdem ferulae traditio ceſſauerit, cum noſtris temporibus eam fieri amplius non videamus, coniicitque, non tam mentionem eius conſuetudinis a magiſtris ceremoniarum omiſſam, quam paulatim eam temporis iniuria in deſuetudinem abiiſſe, aut in aliqua congregationum, a nonnullis pontificibus ad mores reformandos inſtitutarum, certis de cauſis fuiſſe abrogatam. Alibi tamen putauit, morem illum fuiſſe intermiſſum circa medium ſeculi XII: cum Gelaſius ſederit ſub ann. MCXIIX. et Innocentius III. ann. MCXCIX. ſuperius e decretalibus adducta ſcripſerit. Hunc vero locum Innocentii III. ita explicandum cenſet, vt dicatur, non tradi pontifici quidem paſtoralem baculum, ſed tamen ferulam, quippe quae ab illo ſit diuerſa, deturque ipſi maxime in ſignum temporalis poteſtatis atque iurisdictionis; cum alter ille poteſtatem potius eccleſiaſticam notare videatur. Ceterum rationem, ob quam THOMAS in dioeceſi ſolum Treuirenſi, et non alibi, baculum geſtare pontificem ſcribit, aliis examinandam relinquit; interim

interim ſi coniecturae locus ſit, exiſtimat, ingenio potius THOMAE haec deberi, quam hiſtoriae, cum non appareat, vllum vnquam pontificem romanum commoratum Treuiris fuiſſe.

Reliquos *epiſcopos* in functionibus ſacris baculos paſtorales adhibere, praxis hodierna teſtatur. Teſtes praeterea ſunt tot ſcriptorum teſtimonia de prioribus temporibus. Teſtes ſunt monimenta antiqua, antiquis epiſcopis dicata, quibus baculi ſunt additi. Teſtes ſunt diuerſorum epiſcoporum baculi, qui paſſim vel extitiſſe vel adhuc aſſeruari ſcribuntur vel exhibentur. Olim in Hibernia fuit baculus *Ieſu*, per quem vulgari opinione S. Patritius venenoſos ab inſula vermes eiecit. Huius mentionem facit BERNHARDVS (d), quando de Nigello, qui occuparat ſedem epiſcopi in Hibernia: *Videns imminere ſibi fugam, tulit ſecum inſignia ſedis illius, textum ſcil. euangelicum, qui fuit B. Patritii, baculumque auro tectum et gemmis pretioſis adornatum, quem nominant baculum Ieſu: eo quod ipſe Dominus, vt fert opinio, eum manibus tenuerit, atque formauerit: et haec ſummae dignitatis et venerationis in gente illa* (e). Baculi S. Petri partem Vbii, partem Treuiri poſſident (f). Qua ratione id factum ſit, docet inſcriptio Thecae Treuirenſis, bracteis argenteis lamellisque, in longum excurrentibus, tectae (g): *Baculum B. Petri quondam pro reſuſcitatione Materni, ab ipſo transmiſſum, et a S. Euchario huc delatum, diu haec eccleſia tenuit. Poſtea Hunnorum, vt fertur, temporibus, Metim cum reliquis huius eccleſiae theſauris deportatus, ibi vsque ad tempora Othonis piiſſimi imp. ſenioris permanſit. Inde a fratre eius Brunone archiep. expetitus, Coloniam translatus. Iunioris autem Othonis imp. tempore, petente Egberto Treu. archiep. et annuente venerabili Werino Coloniae archiep. ne et haec eccleſia tanto theſauro fraudaretur, in duas eſt partes transſectus. Vna, ſuperior videlicet, huic eccleſiae reddita, et a domino epiſcopo in hac theca recondita: reliqua cum apice eburneo ibidem retenta. Anno Domini Incarnationis DCCCCLXXX. Ind. VIII.* Coloniae anno MDCXXXIX. die XXIX Iulii dimidium huius litui, ſiue baculi

d) in *vita Malachiae.* e) conf. SYLV. GIRALD. in *Topograph. Hiberniae diſt.* 3. *c.* 34. et *lib.* 2. *de expugn. Hibern. lib.* 2. *c.* 18. f) MASEN. *l. c. p.* 40. g) MASEN. *l. c. lib.* 10. *p.* 287.

Digitized by Google

culi *S. Petri* circumferebatur in proceſſione iubilaei, quod Vrbanus VIII. pontifex max. germanicae nationi peculiariter conceſſit (h). Colonienſes vero volunt, ſe habere partem baculi ſuperiorem, et Treuirenſes inferiorem: ſine dubio, quia illi, fatente id ipſum inſcriptione thecae ante adducta, apicem eburneum habent. Toloſae, ſi MACRO (i) credimus, baculus *S. Saturnini*, apoſtolorum diſcipuli, asſeruatur, cum inſcriptione. Sed verius ſcripſit STEPHANVS DVRANTES, ipſe Toloſanus praeſes (k), quod in eccleſia *S. Stephani* extet lapis marmoreus antiquiſſimus, in quo ſculptae ſunt S. Petri et Saturnini imagines, Saturninum autem cum baculo incuruo, ibique verſum iſtum legi: *Curua trahit, quos recta regit, pars vltima pungit.* In Valentia ciuitate Hiſpaniarum *S. Auguſtini* baculus, qui eſt eburneus et rotundus, teſte GAVANTO (l), oſtenditur; licet BARONIVS (m) ex Sigeberto et Mariano Scoto dicat, baculum S. Auguſtini vna cum eius corpore in Sardiniam translatum, poſtea vero Papiam delatum fuiſſe. Referente MACRO l. c. Bononiae S. Iſidori (n), et in patriarchali Aquileienſi eccleſia S. Hermagorae, d. Marci diſcipuli, baculi reperiuntur. His addit laudatus CIAMPINI alium S. Vedaſti epiſcopi Atrebatenſis, qui ſub Clodouaeo ante annum DIX. in humanis agebat, vt tradit BOLLANDVS (o), qui etiam notat, eius baculum paſtoralem inter ſacra eccleſiae nouae B. Mariae Cameracenſis lipſana fuiſſe. Ex ſuperioribus huc referri posſunt baculi Bonifacii, S. Burchardi epiſcopi Herbipolenſis, et Hugonis archiepiſcopi Turonenſis, cuius baculus ſeruatur etiamnum in archiuis eccleſiae Turonenſis plumbea theca inuolutus cum hac inſcriptione (p): *Anno incarnationis dominicae MCXLIV. Lucius papa II. inueſtiuit Romae iudicio ſanctae apoſtolicae ſedis cum baculo iſto ligneo Turonenſem eccleſiam de ſubiectione Dolenſis eccleſiae et Dregorenſis et Briocenſis, per manum Domini Hugonis Turonenſis archiepiſcopi.*

h) Deſcriptio huius proceſſionis habetur ap. VOET. *diſpp. ſel. tom.* 3. *p.* 963. ſpeciatim *de baculo p.* 969. i) *loc. cit. p.* 64. k) de *rit. eccl. cathol. lib.* 2. *c.* 9. *p.* 207. l) *theſaur. ſacr. rit. tom.* 1. *p. m.* 87. m) *ad ann.* 504. *n.* 38. n) cuius baculum etiam GAVANTVS *l. c.* ſe vidiſſe refert. o) *ad* 6. *Febr. Tom.* 1. *p.* 792. p) ap. EDM. MARTENE *nou. coll. vet. ſcript. p.* 82.

Digitized by Google

ſcopi. Baculus S. *Dionyſii* in proceſſione natalis S. Marci euangeliſtae VII. cal. Maii iuxta conſuetudines Dionyſianas ab aliquo monacho fertur (q). Teſtes quoque, praeter illa venerandae antiquitatis monumenta, huc vocare poſſum nummos bracteatos epiſcopales, quorum aliquos in Numburgenſibus exhibui; alios eosque plurimos dedit I. C. OLEARIVS in diuerſis ſchediaſmatibus.

Habuerunt et *abbates*, habentque hodie baculos paſtorales, quibus olim fuere inueſtiti, quosque in benedictione ſua acceperunt. Teſtatur id *ordo romanus*; deſcribens *abbatis ordinationem*, in qua iam tunc temporis illi dabatur baculus (r). Teſtantur idem paſſim ſepulchralia abbatum monimenta et bracteati abbatiales hodie in Germania ſatis obuii. Non autem vniuerſalem eſſe hunc morem inter abbates, ostendit DU FRESNE ex libro ordinis S. Victoris Pariſienſis MS. c. I. *Sciendum quoque eſt, quod noſtra conſuetudo* (quae ſcil. in illo monaſterio obſeruatur) *abbatibus noſtris baculum nullo modo concedit.* Mox: *Nec aliqua eum perſona praeter Priorem clauſtri poſt benedictionem epiſcopi in ſede ſua ponere debet, maxime cum baculo careat: unde nec ad eum pertinet concilia ſiue curias regum vel principum frequentare.* Quibus autem data eſt facultas geſtandi baculum, illi eundem habent cum velo pendente, ad diſtinctionem baculorum epiſcopalium, vt ſupra locus, ex conſtitutionibus et decretis ſynodalibus prouinciae Mediolanenſis adductus, docere poteſt. Abbatiſſas quoque olim accepiſſe baculos, teſtes ſunt illi, qui, praeter Quedlinburgenſem ſupra memoratum, in multis locis a prima eorundem conceſſione adhuc viſuntur, et quos hodie quoque quaedam abbatiſſae geſtare ſolent. In *ordine romano* (s) tamen et *pontificali romano* (t), nec traditio baculi, nec oratio in illius traditione legitur. In nummis bracteatis illos manu non gerunt, ſed vna librum euangeliorum, vel regulam, altera vero vel crucem, vel lilium, vel aliud quid monſtrant (u).

In

q) Vid. MARTENE de *antiq. monach. rit. l.* 4. *c.* 4. *p.* 592. r) in *biblioth. M. tom.* 10. *p.* 157. s) loco ante citato. t) vide ſupra benedictionem abbatiſſae, in voce *abbatiſſae* adductam. u) conf. laudati I. C. OLEARII *Anaſtaſin Agneſae abbatiſſae Quedlinburgenſis*, an. 1699. editam.

Digitized by Google

In oriente *Graecorum* patriarchas, alios quoque pontifices et monaſteriorum praefectos, habere paſtorales baculos, nec non quondam habuiſſe, forma licet diuerſos, vt ſupra fuit indigitatum, ex CODINO, graecorum *euchologio* et aliis conſtare poteſt. Videre id etiam eſt in hiſtoria concilii Florentini, a SYLVESTRO SGVROPVLO deſcripta. In ea enim legitur (x), quod patriarcha Conſtantinopolitanus ad Papam deductus, aſſumto patriarchali pedo, cubiculum fuerit ingreſſus.

Quando autem hic mos geſtandi baculos paſtorales in orientis atque occidentis eccleſias ab epiſcopis & abbatibus introductus fuerit, ex genuinis antiquitatis eccleſiaſticae monumentis notare nondum potui. Primis certe temporibus nullam pedi epiſcopalis mentionem deprehendimus. GREGORIVS quidem *Nazianzenus* duplicem facit baculum, ita ſcribens (y): *Iam de baculo atque eius ſignificatione ita ſentio: Nam cum alter fulciendi vim habeat, alter paſtoris & doctoris proprius ſit, atque oues ratione praeditas caſtiget, in viamque reducat, hic lex fulcientem baculum tibi praeſcribit, necubi animo titubes, dum ſanguinem Dei et paſſionem ac mortem audis, ac dum Dei patronus atque defenſor videri cupis, impie corruas.* Sed quemadmodum *Gregorius* non intelligit fulcientem baculum materialem, ſic et paſtoralem pro officio potius paſtorali, quam dignitatis ſigno accepit. Atque hoc etiam modo NICETAS in commentario in illa verba Gregorii, eadem explicat (z): *Duplex quoque eſt, inquit, baculus: alter pecudes ratione vtentes paſtorum ritu caſtigans, iuxta illud:* paſces eos in virga ferrea; *alter infirmos fulciens etc.* Accedit et illud, quod ſub Conſtantino M. et ſequentibus primis chriſtianorum imperatoribus plura quidem ad ſplendorem eccleſiae externum ſpectantia a ſcriptoribus hiſtoricis referantur; ſi vero de epiſcoporum inauguratione mentio eſt facienda, non alius adducitur illius ritus, quam inthroniſatio, et populi ſaepe adclamatio: ἄξιος, *dignus!* niſi quis dicere velit, inthroniſationem illam baculi collationem non excludere, licet eam ſcriptores taceant. Quicquid tandem de eo ſit, non vno atque eodem tempore hunc morem in eccleſia fuiſſe obſer-

x) *ſect.* 4. *cap.* 14. *pag.* 100. y) *orat.* 42. *p.* 690. z) *tom.* 2. *p.* 1177.

obſeruatum puto, ſed priuata primum authoritate epiſcopos baculos ſuos ſustentatorios, ſiue minores, ſiue maiores, cruce in ſummitate ornaſſe, vel ex more illius aeui, vel diſtinctionis gratia. Deriuatus dein fuit hic mos ad alias eccleſias, in quibus tamen vel eadem vel diuerſa forma fuit electa, donec tandem in occidente vniformis fere fuit facta. Autor quidem *gemmae animae* (a), ex vtroque teſtamento originem baculi paſtoralis deducere vult, ita ſcribens: *Baculus ex autoritate legis et euangelii aſſumitur etc. Moſes quippe, dum oues pauit, virgam manu geſtauit; hanc ex praecepto Domini in Aegyptum pergens ſecum portauit, hoſtes ſignis per eam factis terruit, qui velut lupi oues Domini ſtrangulabant, gregem Domini de Aegypto per mare rubrum hac virga eduxit, paſtum de coelo, potum de petra hac produxit, ad terram lac et mel fluentem velut ad paſcua hac virga induxit. Nihil autem haec virga fuit, quam baculus paſtoralis, cum quo gregem, vt puta paſtor minauit.* Et capite ſequente (b): *In euangelio quoque Dominus apoſtolis praecepit, vt in praedicatione nihil praeter virgam tollerent. Et quia epiſcopi paſtores gregis dominici ſunt, ut Moſes et apoſtoli fuerunt, ideo baculum in cuſtodia praeferunt: per baculum, quo infirmi ſuſtentantur, auctoritas doctrinae deſignatur, per virgam, qua improbi emundantur, poteſtas regiminis figuratur. Baculum ergo pontifices portant, vt infirmos in fide per doctrinam erigant. Virgam baiulant, vt per poteſtatem inquietos corrigant etc.* Sed hoc non eſt veram originem moris geſtandi baculos eccleſiaſticos indicare; quia alias et omnes et omni tempore in eccleſia epiſcopi illos geſtare debuiſſent. Per has rationes myſticarum ſignificationum qualiscunque duntaxat illuſtratio inſtituitur, non vero hiſtorica originis inueſtigatio.

Acceperunt autem in occidentali eccleſia epiſcopi et abbates olim a regibus et imperatoribus hos baculos, iisque inueſtiebantur, vt ſcirent ſibi hoc ſigno curam eccleſiae eſſe commiſſam. Sic enim FR. IVRETVS (c) ex autore antiquo, qui vitam *Romani* epiſcopi Rotomagenſis, circa annum DCXXIII. clari, deſcripſit, ſequentia refert: *Fit itaque inter palatinos proceres de viro*

a) *loc. cit. l.* I. *c.* 217. b) *cap.* 218. c) *ad Ivonis Carnotenſis epiſt.* 157.

viro ſancto communis aſſenſio, qui omnes vnanimiter regi conſulunt, ne grex Chriſti ſuo fraudetur deſiderio, ſed diuina protinus ad effectum ducatur electio, quo rex gratulatus conſilio, conuocatis tam epiſcopis, quam abbatibus, baculum illi contulit paſtoralem. Inthronizatur itaque etc. Similiter ſe res habuit circa abbates. Sic Edgarus rex inter priuilegia monaſterio Glaſtonienſi conceſſa, *monachis electionem ſui abbatis perpetuo manere cenſuit, ſibi vero ſuisque haeredibus tribuendi fratri electo paſtoralem baculum poteſtatem retinuit* (d). Et S. Galterus, abbas Pontiſarenſis a fratribus electus, baculum a Philippo Francorum rege accepit (e). Haec conſuetudo per multa ſecula ad poſteros reges et imperatores fuit deuoluta, donec tandem poſt varia certamina inter illos et pontifices romanos hi ſibi ſolis hoc ius conferendi baculum vendicarunt, prout infra in voce *Inueſtitura* pluribus hoc momentum deducetur. Ex actis eccleſiae orientalis pari ratione conſtat, ab imperatore patriarcham ante conſecrationem accepiſſe pedum paſtorale. CODINVS (f) breuibus rem omnem recenſet. Sed PHRANZES (g) accuratius morem declarandi patriarcham deſcribit: *Erat munus et conſuetudo chriſtianorum imperatorum, vt electo patriarchae pedum, ſeu virgam paſtoralem auream, lapillis et margaritis diſtinctam, et electum equum de regis ſtabulo, ſella et phaleris regifice et ſumtuoſe ornatum, albo et aureo ſtratorio tectum donarent. Et patriarcha illi inſidens, e palatio, toto procerum collegio ſtipante, cum fauſtis acclamationibus in patriarchium reuertebatur, atque ab epiſcopis pro lege et more conſecrabatur. Hoc modo e manibus imperatoris futurus patriarcha pedum accipiebat, ſedente eo ſuper ſolio regio, et tota procerum corona nudatis capitibus circumſtante, magnam protopapas palatii benedictionem pronunciabat, deinde paruam. Et magnus Domeſticus pſallebat illud:* Vbi enim regis praeſentia, *et quae ſequuntur. Deinde* Gloria. *Et Lampadarius ex altero choro:* et nunc et ſemper, *etc. Item,* Rex cœlorum *etc. Finito autem tropario, imperator ſurgens habet in manu dextra pedum. Accedit*

d) MALMESBVRIENS. *de geſt. reg. Angl. l. 2. c. 8.* e) in prima eius *vita, n. 5.* ap. BOLLAND. 8. *Aprilis.* f) *de off. Conſtantinopol. c. 20. p. m. 139. n. 7. ſq.* g) *lib. 3. chronic. cap. 19.*

Digitized by Google

cedit autem candidatus, cuius vnum latus Caeſar, alterum Heracleae metropolita tegit. Corpus tertium omnibus inclinat. Deinde ad imperatorem accedit et conſueta adoratione illum proſequitur. Imperator paulum attollens pedum, ait: Sancta Trinitas, quae mihi imperium donauit, te in patriarcham nouae Romae deligit. *Atque ita de manibus imperatoris patriarcha poteſtatem ſumebat, eique gratias agebat. Deinde chori pſallebant:* Ad multos annos Domine, *idque tertio, et illud* ἀπόλυσις, *hoc eſt, ilicet.* Ita ſe habet ritus, quo imperator graecorum patriarchae tradit pedum paſtorale. At archimandritae et protoſyncelli, ſed et praefecti monaſteriorum, poſtquam a patriarcha electi ſunt, abeunt et ipſi ad palatium, veneranturque imperatorem: et ab imperatoris pedum paſtorale recipiunt, referente ante citato CODINO (h). Hi vero baculi nihilominus in eccleſia occidentali, quando epiſcopus vel abbas ordinatur, ſolennibus formulis benedicuntur & traduntur, quas ex *ordine romano* in notis ſubiectis damus; recentiores vero ex *pontificali romano* habebis partim ſupra in notis ad vocem *abbas*, partim infra in notis ad titulum *epiſcopus.* In *euchologio Graecorum* (i) habetur in *ordine conſecrationis epiſcopi* ſola formula traditionis baculi, quae talis eſt: *Accipe baculum, vt coram te Chriſti paſcas ouile, et obedientibus quidem tibi ſubiectis eſto baculus et fulcimentum; inobedientibus autem et peruicacibus ipſo baculo vtere, vt correctionis virga, quae illos in officio contineat.*

Si *vſum* baculi paſtoralis quaeramus, erit is in diuerſis actionibus, quibus vel a praelato vel ab acolytho geſtatur. Acolythus, de baculo paſtorali ſeruiens, regulariter ipſum in vtriſque veſperis, matutinis, laudibus, miſſa et proceſſionibus ſolennibus ante epiſcopum geſtat, ſuperpelliceo, atque etiam pluuiali, indutus, quem manu dextra nudum congruo tempore offert epiſcopo, parte curua baculi ad populum conuerſa; ſemperque ipſum deferens, ambabus manibus eleuatum, praecedit epiſcopum, ſiue a ſacrario, ſiue a ſede, ſeu a faldiſtorio procedat, aut reuertatur, niſi forte officium, ſeu miſſa, celebretur pro defunctis: in his ceſſat omnino vſus baculi. Defertur etiam baculus epiſcopalis, ſeu paſtoralis, in locis propriae iuriſdictionis in

h) *loc. cit. n. 16. p.* 140. i) *p. m.* 310.

Digitized by Google

in ordinibus conferendis, benedictionibus, ac conſecrationibus, nec non in omni actu pontificali, in quo epiſcopus eſt paratus pluuiali et mitra, vel ſaltem mitra et ſtola; ſiquidem in ordinibus conferendis cum ad litanias dicitur: *et hunc electum benedicere*, miniſter baculum ipſum epiſcopo in ſiniſtra tenendum porrigit, quod etiam praeſtat in omnibus conſecrationibus et benedictionibus, dum in litaniis verba benedictionis, vel conſecrationis, ſuper perſonas, ac loca benedicenda ac conſecranda proferuntur, ad praeſcriptum pontificalis et ceremonialis epiſcoporum. Defertur etiam baculus ante epiſcopum ad veſperas. Epiſcopo procedenti ad incenſationem altaris porrigit baculum paſtoralem de eo ſeruiens, et poſt eum incedit per medium chori et presbyterii, vsque ad gradus anteriores praedicti altaris, vbi recipit baculum, cum quo ſtat in plano dicti presbyterii iuxta columnam anteriorem altaris, a parte euangelii, donec thurificato altari, epiſcopus baculum rurſus accipiat rediturus ad ſedem ſuam, iuxta quam ſtat ad finem vsque veſperarum; quibus expletis epiſcopus reaſſumto baculo, dat cum eo benedictionem. Epiſcopus enim ſolenniter benedicturus, ſtans ad veſperas in ſua ſede, pollice dextrae manus format ſibi ſignum crucis in pectore, dicens: *Sit nomen Domini* etc. interim ſiniſtram pectori admotam tenens, paulo poſt dicit: *Adiutorium noſtrum* etc. dextra ſe ſignans ſigno crucis a ſiniſtro humero ad dextrum; deinde eleuans oculos, et manus ſimul iungens, dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*; et accipiens manu ſiniſtra baculum, dextra ſignat populum et clerum, dicens: *Pater et filius* etc. eodemque modo datur ab eo benedictio in fine laudum et in fine proceſſionis. In miſſa vero ſolenni defert Acolythus baculum paſtoralem ante epiſcopum, qui toties illum porrigit, quoties procedit pontificaliter indutus ex ſacrario ad altare, vel ad eundem locum reuertitur, et dum ſimiliter accedens ad altare in principio miſſae, facit ibidem confeſſionem cum miniſtris, in qua baculum ad ſiniſtram epiſcopi ſuſtinet, vsque dum dicatur: *Indulgentiam* etc. tunc enim epiſcopo tenendum porrigit; deinde ipſum defert ad legeolum, ex quo epiſcopus dicit introitum miſſae, et de legeolo ad ſedem ſeu faldiſtorium, vbi cum ipſo baculo ſemper adeſt a ſiniſtris epiſcopi. At cum inchoatur a diacono euangelium in

ambone, epiſcopo ambabus manibus tenendum miniſtrat; tum etiam, quando lotis et absterſis manibus, ac reſumto annulo procedit ad oblationem in altari faciendam. Denique peracto miſſae ſacrificio incedit cum ipſo baculo ante epiſcopum, cum redit in ſacrarium (k). Similiter ſe res habebit cum abbatibus in illis caſibus, quando baculo paſtorali utuntur (l). Singularis plane vſus fuit baculi B. Petri, cuius partem alteram ſupra diximus apud Treuiros asſeruari. Apud hos enim iam ante DCCCC. annos vſitatum in ſynodis prouincialibus, decreta eccleſiaſtica hoc baculo impreſſo confirmare (m). Similiter patriarcha Conſtantinopolitanus vtebatur ſuo pedo patriarchali in ſolennibus proceſſionibus. Docet id nos SYLVESTER SGVROPVLVS in *hiſtoria concilii Florentini* (n), refertque, patriarcham, acceſſurum ad papam, mandaſſe, vt pedum patriarchale ipſi in altum praeferretur. Cum is in papae triclinium veniſſet, asſumto in manu patriarchali pedo, cubiculum ingreſſus eſt. Domum reuertens, mandauit, imperari famulo pedum patriarchale eleuatum portanti, vt eundem occultatum in thecam geſtatoriam reconderet.

Fato functis epiſcopis vel abbatibus et ſepultis, baculus deferri debebat ad eccleſiam, vel ad regem. Illud notatum legimus a GERVASIO *Dorobernenſi* ann. MCLXXXIII. *Proteſtatum eſt etiam---- quod baculus paſtoralis epiſcopi Roſenſis defuncti non in occulto, ſed manifeſte Cantuariam ſtatim debeat afferri ſepulto epiſcopo, et in Cantuarienſi eccleſia reſeruari, donec nouus electus conſecretur et eodem baculo inſtituatur.* Ad regem etiam delatum fuiſſe baculum défuncto abbate, ſupra *in titulo abbatis* indicatum fuit (o). Interdum vero baculi, epiſcopis vel abbatibus defunctis, fuerunt ſuspenſi vel asſeruati in loco ſepulturae aut alibi, vt ſupra obſeruatum in Burchardi aliorumque exemplis. Qui ſponte reſignarunt praelati dignitatem, vel tantum depoſuerunt baculum, vel eundem in altare aut corpus alicuius ſancti repoſuerunt.

Ex-

k) Haec omnia ita deſcribuntur in *ritibus Laudunenſibus*, *part.* 2. *cap.* 9. *p.* 69. *ſq.* l) vid. MARTENE *de ant. monach. rit. lib.* 4. *c.* 1, *p.* 561. *ſq.* m) MASEN. *l. c. p.* 40. n) *Sect.* 4. *cap.* 14. *p.* 99. o) add. MARTENE *loc. cit. p.* 663. *ſq.*

Digitized by Google

Exauctoratis vero epiſcopis et abbatibus baculus, inſigne paſtoralis dignitatis et iurisdictionis, vel auferebatur, vel ſuper capita eorum frangebatur. Legimus in ſynodo VIII. Conſtantinopolitana actione VII. quod ingreſſo Photio ad ſynodum cum baculo, Maurinus romani pontificis vicarius iuſſit auferri baculum, dicens: *baculus ſignum eſt dignitatis paſtoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus eſt, non paſtor.* DV FRESNE plura collegit exempla (p), ex *chronico Noualicienſi* libro VI. de abbate exauctorato: *Deteſtabilem ſarabaitam cepit, baculum fregit atque ſuperbum de ſede depoſuit;* ex *vita S. Theodardi* epiſcopi Narbonenſis apud CATELLVM: *Truncatis in conſpectu omnium, ac penitus ſciſſis epiſcopalibus indumentis, baculisque ſuper eorum capita confractis, nec non annulis ſingulorum ab eorum digitis dedecore cum magno auulſis, ab omni ordine clericatus penitus deiecti ſunt ac depoſiti;* ex HENRICO *Huntindonenſi* (q): *Leo pontifex tenuit ſynodum apud Verzolei, vbi Wlf epiſcopus Dorſeſtriae interfuit, et pene fractus eſt baculus eius epiſcopalis, niſi maius pretium dediſſet: neſciebat enim officium ſuum ſicut epiſcopum deceret.* Formula degradationis ab ordine pontificali in auferendo baculo talia praeſcribit (r): Vnus ex miniſtris tradit degradando in manus baculum paſtoralem, quem mox pontifex degradator tollit de manibus degradandi, dicens: *Auferimus a te baculum paſtoralem, vt inde correctionis officium, quod turbaſti, non valeas exercere.* Quando vero quis, de ſede iniuſte deiectus, iterum recipiebatur, in ſignum reſtitutionis baculus illi denuo tradebatur, decernente ita concilio Toletano quarto (s): *Vt epiſcopus de gradu ſuo iniuſte deiectus, ſi in ſancta ſynodo innocens inueniatur, gradus amiſſos recipiat de manibus epiſcoporum, orarium, annulum et baculum.*

BACVLI AVDITORVM in eccleſiis olim neceſſitatis gratia fuerunt adhibiti. Fideles enim in diebus dominicis, non duntaxat ex mandato concilii Nicaeni (t), ſtantes orationes effundere, ſed etiam, vt in eccleſiis Africanis fieri ſolebat, conciones ipſas et lectiones prolixas ſtando audire debebant. Hinc quidam, quibus

p) *loc. cit. tom.* 1. *p.* 427. et *tom.* 2. *p.* 43. q) *lib.* 6. *p.* 656.
r) *pontific. rom. pag.* 430. s) *cap.* 27. t) *can.* 20.

bus vel non conceſſum vel volupe non erat ſedere, baculos ſecum ferebant, quos tamen, cum legendum eſſet euangelium, e manibus deponebant. Promiſcue vero clericos et laicos geſtaſſe baculos, ex hoc more videtur fluere, cum omnium eadem fuerit neceſſitas, illis in eccleſiis, vbi conſuetudinis non erat, ſedere. Diu hunc morem in eccleſia obtinuiſſe, ex eo conſtare poteſt, quod officiorum diuinorum ſcriptores illius crebro mentionem faciant. *Ordo* quippe *romanus* ait, cum euangelium a diacono in miſſa recitatur, *baculos omnium deponi de manibus, et in ipſa hora neque coronam, neque aliud operimentum ſuper capita eorum haberi.* AMALARIVS (u): *Vsque ad iſtud officium baculis ſustentabamur: modo, vt oportet ſeruos ante dominum ſtare, humiliter ſtamus, deponentes baculos e manibus.* HILDEBERTVS Cenomanenſis epiſcopus (x):

Inde ſiniſtrorſum Domini ſacra verba leguntur:
Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque caput.

Et infra:

Vt ſis attentus, patiens, erectus in hoſtem,
Et caput et baculus, et ſtatus ipſe docet.
Quippe caput retegens, attente audire moneris:
Parcere, cum baculum reiicis, inſtrueris.

HVGO A S. VICTORE (y) dicit: *Nunc conſidera, quod plebs hic baculos deponit, reclinatoria relinquit, caput detegit, ſtans audit.* Illis etiam debemus rationes myſticas de geſtatione baculorum. AMALARIVS ſcribit (z): *Quod poteſt nos ſeparare ab opere Iudaeorum, qui dabant arundinem in manu Chriſti; ſed non abhorret a vero, ſi noſtra humilitas per baculorum poſitionem demonſtretur in conſpectu Domini.* Plura de hoc dabimus infra in titulo *Euangelium* (a).

BACVLI CANTORVM, quibus hi vtuntur in choro, eosque deferunt. Vt enim cantoris munus a multis temporibus in eccleſia obtinuit, ita etiam in quibusdam locis cantores peculiaria habebant inſignia, per quae ab aliis diſtinguebantur. Habebant

u) *lib. 3. de eccleſ. off. c. 18. p. m. 413.* x) in *verſibus de myſterio miſſae p. m. 840.* y) in *ſpeculo eccleſiae cap. 7. p. m. 1352.* z) *loc. cit.* a) vid. *Expoſitio vetus miſſae p. m. 1172. Gemma anim. l. 1. c. 24. p. 1187.* HVGO *loc. cit.*

Digitized by Google

bant ergo illi, praecipue in eccleſiis cathedralibus, inter miſſae ſolennia baculos argenteos, quibus et incedebant et alios ad officia peragenda monebant. Geſtaſſe eos baculos, indicat HONORIVS *Auguſtodunenſis* (b): *Ex legis praecepto baculos manibus tenebant, qui paſchalem agnum edentes ad patriam tendebant. Secundum hunc morem cantores in officio miſſae baculos tenere noſcuntur, dum verus paſchalis agnus benedicitur: ſignificantes, quod hi, qui ad aeternam patriam et ad feſtum angelorum cupiunt feſtinare, eſu coeleſtis agni, et baculis contra hoſtes, id eſt, ſententiis ſcripturarum contra daemones ſe debent defenſare.* Argenteos illos fuiſſe, teſtantur hodiernae conſuetudines in diuerſis eccleſiis. Sic in conuentuali Melitenſium eccleſia quatuor cantores, in diebus ſolennibus, pluuialibus induti, aſſiſtunt in choro cum baculis argenteis, quales peregrinantium eſſe ſolent, ſed craſſioribus (c). Eundem adhuc morem obtinere in eccleſia Gallicana Laudunenſi indicauit ANTONIVS BELLOTTE (d): ferre ſcil. cantorem et ſuccentorem ſcipiones argenteos ſeu baculos deauratos, cum pallio ſiue pluuiali, in ſolennioribus feſtis, eosque ad antiphonas ſiue reſponſoria, aut ſi quid aliud incepturi, ſeu cantaturi, aut facturi ſint, monere, vel ſaltem admonere ad ea praeſtanda, quae ad publicum pertinent officium.

BACVLVS IESV, de eo vide ſupra, vbi de baculis epiſcoporum actum fuit.

BACVLI MONACHORVM etiam memorantur tanquam viae ſocii. HIERONYMVS in praefatione in regulam Pachomii: *Nihil habent in cellulis praeter ---- ac bacillum itineris ſocium* (e). CASSIANVS de inſtitutione coenobitarum (f): *Vltimus eſt habitus eorum pellis caprina, quae melotes vel pera appellatur, et baculus: quae geſtant ad imitationem eorum, qui profeſſionis huius praefigurauere lineas in veteri teſtamento.* Idem (g): *Sumto itaque baculo et pera, vt illis cunctis viam ingredientibus monachis moris* etc. Ferebant monachi aegyptii baculum ad imitationem Eliſaei prophetae. Iterum CASSIANVS rationem

b) ſiue *Gemm. anim. lib.* 1. *c.* 24. adde *cap.* 74. c) MACER *l. c. p.* 64. d) in *obſeruationibus ad ritus eccleſiae Laudunenſis, p.* 739. e) adde ipſam *regulam Pachomii cap.* 81. f) *lib.* 1. *cap.* 8. g) *collat.* 11. *cap.* 3.

nem huius geſtationis reddit (h): *Cuius geſtatio ſpiritualiter monet, nunquam debere eos inter tot oblatrationum vitiorum canes, et inuiſibiliter nequitiarum beſtias, inermes incedere.* Similem baculum ferre ſolebant monachi eremitani ordinis S. Auguſtini, teſte IORDANO de Saxonia (i), qui, iuxta Gregorii conſtitutionem, quinque palmorum eſſe debebat. Deinde Innocentius VI. et Alexander IV. eis indulſerant, ne in poſterum baculum ferre tenerentur, referente MACRO (k).

BACVLVS PEREGRINATIONIS, vide ſupra in voce *Bactroperatae.*

BACVLI POENITENTIVM, in reconciliatione cum eccleſia deponebantur. Ita ordo romanus: *Cum ſacerdos ſusceperit poenitentem, ſi laicus eſt, dimiſſo baculo, quisquis vero ille eſt, ſiue laicus, ſiue clericus, ſeu monachus, ſuppliciter ſe inclinet ante ſacerdotem.* De his poenitentium baculis ſcribit HONORIVS *Auguſtodunenſis* (l): *Baculus peregrinationem deſignat, quia ſe a regno Dei alienant. Deſignat enim correptionem, per quam reditur ad eccleſiae communionem.*

BACVLI AD PROCESSIONES in ſolennibus triduo ante aſcenſionem Chriſti rogationibus distribuebantur ſingulis egredientibus. Deſcribunt hunc morem Floriacenſis monaſterii antiquae conſuetudines ſequentem in modum (m): *Ad egreſſum eccleſiae parati ſunt duo clientes eleemoſynarii hinc inde cum baculis, egredientibus ſingulis ſingulos baculos porrecturi; et cum ad eccleſiam, quo pergitur, ventum fuerit, eodem modo eos a ſingulis recepturi; et denuo cum exierint redituri, et cum ad maiorem eccleſiam reditum fuerit, eosdem et eodem modo recepturi* (n). Ratio autem, propter quam baculos accipiebant, haec erat: quia nudis pedibus in hac proceſſione incedebant, et hoc in caſu ſemper baculos deferebant, vt diſcimus ex iisdem conſuetudinibus: *Quoties fratres nudis pedibus muros caſtri egrediuntur, ſimiliter de baculis fiat.* Baculos ſeu virgas deferunt

h) *de inſtit. lib. 1. c. 9.* i) *lib. 1.* k) *loc. cit. p. 64.* l) *lib. 3. cap. 77. p. 1277.* m) ap. MARTENE *loc. cit. lib. 3. c. 19. p. 473.* et *lib. 5. c. 16. p. 869.* n) Idem habent *Statuta* LANFRANCI, VDALRIC. *lib. 1. c. 21. liber conſuet. S. Benigni c. 65.* et *Corbeienſe Ordinar.*

Digitized by Google

ferunt etiam nunc Diuionenſes ad proceſſionem, ſed nudi pedibus non procedunt. Ab hac etiam lege olim diſpenſari permittebant conſuetudines S. Dionyſii; diſpenſabantque de facto Lyrenſes ſacerdotem, diaconum et ſubdiaconum; Beccenſes inſuper aquae et feretri baiulos, qui calceatis pedibus procedebant,

BACVLI SACERDOTVM et aliorum clericorum, ab iis adhibebantur, quando aedem ſacram ingrediebantur; ſed ad miſſae ſolennia progreſſuri, eosdem ex lege deponere debebant: *Zacharias enim conſtituit, ne ſacerdotes ad celebranda miſſarum ſolennia cum baculo intrarent* (o). Item: *Nullus epiſcopus, presbyter aut diaconus ad ſolennia miſſarum celebranda praeſumat cum baculo introire* (p). Hoc ipſo dum epiſcopo quoque prohibetur, cum baculo introire ad miſſam, non de paſtorali, ſed de communi baculo ſermonem eſſe indicatur.

BAION, graece Βαΐς, Βαΐν, Βαΐον, Βαΐα, (q) *palma*, ſeu *ramus palmae;* interdum cum addito βαΐα τῶν φοινίκων (r). Non hic praetereunda ſunt, quae GOAR (s) circa vocis huius ſignificationem notauit. Vocabulo βαΐων, inquit, lucem a latina lingua mutuatam daturus BALSAMON, tenebris ignorantiae vndique ſeſe circumfundit et implicat, in ea epiſtola, cui titulum praefixit, *de incenſo, quod die catecheſis patriarcha ſolet populo elargiri:* vbi ait, βαΐον eſſe *humanae ſententiae ex hoc in illud mutationem:* clarius dixiſſet βαΐον quaſi βαῖνον dici. Verum etymo graeco ſpreto latinum inquirens ſubiungit: *Hinc fit, vt puerorum magiſtros appellemus Baiulos, veluti qui puerorum animos infantes ad virilitatem traducunt.* Audet vero vlterius progredi, latinum penitus etymon confictnrus. Cum Iudaei, inquit, Romanorum ſubditi vidiſſent Hieroſolymis triumphalem, comitantibus turbis ramos deferentibus, Chriſti Ieſu ingreſſum: Βαβαὶ dixerunt: *Babae, praecepta moſaica abierunt*, βαΐον *transmigratio inexpectato contigit.* Fumos tamen et fictiones aliis BALSAMON vaenum exponat: βαΐȣ enim ſignificatio eſt κλάδος ἐκ δένδρȣ κοπτόμενος, *ramus arboris, palmae praeſertim, praeciſus:* turbae namque

o) *Microlog. de eccleſ. obſeru. cap.* 2. *p.* 734. p) Can. *Nullus. de conſecrat. diſt.* 1. q) vid. SVICERVS *l. c. tom.* 1. *p.* 615. *ſq.* DV FRESNE *Gloſſ. gr.* 166. *ſqq.* r) *Ioh.* 12, 13. s) in *not. ad Euchol. p.* 745.

namque Chriſto Hieroſolymam ingredienti praeibant, manibus ferentes βαΐα τῶν δένδρων, quae alii euangeliſtae κλάδους ἀπὸ δένδρων vocant. Sed et 1 Maccab. XIII. dicitur Simeon in vrbem eandem ingreſſus, cum laudibus, καὶ βαΐων *et palmarum ramis.* Et *Baiae* apud latinos ramos eosdem exprimunt: hinc HIERONYMVS (t): *Cubile illis de foliis palmarum, quas Baias vocant, contextum erat;* et in caput VIII. Ezechielis in illud: *et applicant ramum ad nares ſuas: Haud dubie*, inquit, *palmarum, quas graeco ſermone τὰ βαΐα vocant: vt per hoc idola adorare ſignificet.* Βαΐον praeterea appellabant Graeci *ſceptrum imperatricis*, quod in palmarum ramos ſuperne quodammodo deſineret, vt ex imagine Helenes Manuelis Palaeologi imp. vxoris, quam delineari curauit DV FRESNE in familiis Byzantinis, conſpicitur; vel certe quod id nominis peculiaris indiderint Byzantini Auguſtae ſceptro. CODINVS (u): *Imperatrix---ſtat ſtemmate conſpicua, tenens aureum ramum* βαΐον χρυσοῦν, *habentem a vertice vsque ad imum, quaſi in longitudinem ſpithamae, et margaritas et vniones in orbem infixos.* Ad hunc locum GOAR notam hanc dedit (x): *Nec ramum, nec palmam refert haec dictio* βαΐον, *ſed* ſceptrum, *non laeue quidem et omni ex parte aequale, ſed nodis globuliſque productioribus interſtinctum, rotundum, quaſi torno factum, in cuius ſuprema parte nodus eſt maior ſiue floſculus gemmis circumquaque per fila germinantibus emicans. Rotundum eſſe, non ad palmaris rami modum latum, demonſtrat vox* κυκλόθεν *hic poſita, qua gemmas per gyrum aſſixas oſtentare declaratur. Reliqua, ni fuerim prior deceptus, in effigie Helenes* etc. Ex illa voce βαΐον eſt κυριακὴ τῶν βαΐων (y), item τῶν βαΐων ἑορτή (z), *dominica* ſiue *feſtum in palmis*, vel *palmarum.* Praeterea Βαΐα vocabant dona, munera, largitiones, erogationes, rogas, quae ab imperatore populo distribuebantur in ſolennioribus ceremoniis: quod

t) *lib.* 2. *contra Iouinian. cap.* 9. u) de *off. Conſtantinopol. cap.* 17. *num.* 24. 25. 30. x) *pag.* 133. y) THEOPHAN. *an.* 1. *Leonis Chazari*, *Cantacuzen. lib.* 1. *cap.* 12. in *Nomocan. Coteleriam. n.* 434. z) CYRILLVS, Scythopolit. in *vita S. Euthymii, n.* 11. *Author vitae S. Theodori Studitae*, PACHYMERES *lib.* 4. *cap.* 18. CODIN. *de off. cap.* 10. *n.* 1.

Digitized by Google

quod hebdomade ſexta ieiuniorum, quae latinis eſt *paſſionis*, et Graecis dicitur τῶν βαΐων, a dominica ſubſequente τῶν βαΐων appellata, a latinis, *ramorum*, quotannis imperator et patriarcha, tam militibus, quam proceribus ac officialibus palatii, munera diſtribuere ſolerent, vti pluribus recitat LVITPRANDVS (a). Teſtatur de hoc more etiam THEODORVS BALSAMON (b): *Celſiſſimam ſacrorum imperatorum circumſpectionem, et patriarcharum amplitudinem inter alia reddebant olim auguſtiorem etiam annuae rogae ac baiorum largitiones.* Cum vero non vnica die, ſed pluribus, eae largitiones, ſeu, vti appellantur a MARCELLINO COMITE, *Auguſtatica*, peragerentur, quae prima die, πρῶτον βαΐον vocant ſcriptores, id eſt, *primum donum*.

Βαϊοφόρος, Βαιφόρος, ſubintellige ἡμέρα vel ἑορτὴ, *dies palmarum*, quaſi dicas *ramiferum vel palmiferum feſtum.* BALSAMONI (c) dicta ἡ βαϊφόρου κυριώνυμος ἡμέρα. EPIPHANIVS monachus de locis ſacris: *Ibidem olea eſt, ex qua quotannis ramum vnum abſcindunt, pendentes pro ipſo pretium, et cum ſupplicatione Ieroſolymam die palmarum* τῇ ἡμέρᾳ τῆς βαϊοφόρου *ingrediuntur.* Extat THEOPHANIS *Ceramei* homilia XXVI. εἰς τὴν βαϊοφόρον ἑορτήν. In euchologio graecorum (d) exhibetur εὐχὴ εἰς τὸ δοῦναι τὰ βαΐα τῇ βαϊοφόρῳ, *oratio ad palmas ipſo palmarum die diſtribuendas.* Inter matutinas laudes decantandas palmarum geſtatio earumque celebritas perficitur a graecis, cum ingreſſum miſſae imitando, a lampadario, facem accenſam geſtante et praeeunte, cantatur ἰδιόμελον deuotum opus ab impiiſſimo principe Theophilo, vt CEDRENVS refert, editum: *Egredimini gentes, egredimini quoque populi, reſpicite cœlorum regem: loco enim Chriſti euangelium procedit.* Tum ad cantum hunc adimplendum ſequitur diaconus, et euangelium, Chriſti figuram, geſtat, cui proinde reuerentiam omnes exhibent; procedit deinde pontifex, et tandem ſacerdotes ſacras imagines manibus tenentes, et e populo quidam vltimum agmen claudunt, eorumque proceſſione finita, matutinarum precum reſiduum perſoluitur, in quo βαΐα nullatenus dimittuntur (e).

BAIV-

a) *lib. 6. cap. 5.* b) *de incenſ. patriarchae, die Catecheſ.* c) *de incenſ. p. 472.* d) *ex edit.* GOAR. *p. 744.* e) GOAR. *l. c. p. 745.*

Digitized by Google

BAIVLVS, Βαΐυλος, paedagogus, qui puerorum curam gerit (f). Vnde haec vox ſit deducenda, non ſatis conſtat. Certe audiendus non eſt epitomator Strabonis (g), qui a Baiis italicis illud acceſſit. Quid ſi a *βαΐον palma?* quaerit DU FRESNE (h). Nam cum paedagogorum ſit ferulis vel fuſtibus pueros caſtigare, et loco fuſtium, palmularum ramuſculis ad id vterentur, fieri, inquit, poteſt, vt inde *Baiulus* dictus fuerit. Praeſertim vero *Baiuli* dicti, qui filiorum principis educationi praeficiebantur, quorum ſumma proinde in palatio dignitas et auctoritas erat. Atque hoc ſenſu paſſim vocem eandem uſurpant ſcriptores. LVPVS *Ferrarienſis* in exhortatione ad regem Carolum (i): *Non admittantur ergo a vobis monitores, quos baiulos vulgus appellat, ne gloriam veſtram inter ſe ipſi partiantur, et meliorem amorem alienent a vobis.* Monitores vocat LVPVS, quos TACITVS appellauit rectores imperatoriae iuuentae. Geſta Dagoberti I. Francorum regis, qui Clotarii II. filius fuit, ſequentia exhibent (k): *Hic* (Dagobertus) *denique in annis puerilibus poſitus, traditus eſt a genitore venerabili et ſanctiſſimo Arnulfo Metenſium vrbis epiſcopo, vt eum ſecundum ſuam ſapientiam enutriret, eique tramitem Chriſtianae religionis oſtenderet, atque ei cuſtos et baiulus eſſet.* Sic Ludouico Pio adhuc in cunis vagienti Carolus M. praepoſuit *baiulum Arnoldum*, vt ſcribit auctor vitae Ludouici (l). HINCMARVS ad Carolum Craſſum (m): *Iſtis iuuenibus, fidelibus filiis veſtris, regibus noſtris, maturos ac prudentes, atque ſobrios baiulos ſingulis conſtituite: qui oderint auaritiam, et eos verbo et exemplo iuſtitiam diligere doceant etc.* Iidem baiuli etiam dicti *nutritores* (n), et poſterioribus temporibus promiſcue *paedagogi, cuſtodes et magiſtri*. Fuit etiam in Conſtantinopolitano palatio dignitas inter alias palatinas non minima, *μέγας βαΐυλος, magnus*

f) DV FRESNE *gloſſ. lat. tom. I. p. 434. graec. p. 168.* g) *lib. 4. p. 98.* h) *loc. cit. graec. pag. 168.* i) *epiſt. 64. p. m. 107.* adde *notas* BALVZII *p. 401.* FREDEGAR. *c. 86.* AIMOIN. *lib. 4. c. 15. 38.* HARIVLFVS *l. I. c. 3.* FLODOARD. *l. 3. hiſt. Rem. c. 24.* PAVLVS *diaconus l. 23. hiſt. miſc.* etc. k) *cap. 2.* l) *ann. 781.* m) *epiſt. 2. c. 2.* adde *cap. 6.* eiusdem *epiſtolae* et *epiſt. 3. cap. I.* n) GREGORIVS *Turon. l. 8. hiſt. c. 22.*

Digitized by Google

magnus baiulus (o), penes quem erat filiorum imperatoris cura et educatio. Sic Theodoſius imperator, (*iunior*) Antiochum praepoſitum et patricium *baiulum ſuum*, papam, hoc eſt, clericum fecit (p).

BAIVLI ABBATVM, horum officiales domeſtici. AIMOINVS *de vita S. Abbonis Floriacenſis* (q): *hos ex monachis itineris comites asſumens, praenominatum Remigium, meque, qui haec ſcribo, Aimoinum, cum Guillelmo ſuae venerantiae, iuxta abbatum morem, tum baiolo.* Vitae abbatum S. Albani: *ex iure poterit electus* (abbas) *ſibi de ſociis, qui ſecum commorentur, quos baiulos dicimus, prouidere* (r). MATTHAEVS PARIS anno MCCLVII. *Ioannes abbatis baiulus et procurator.* Ita etiam epiſcoporum officiales vocabant. Eaedem vitae abbatum S. Albini (s): *praecepto abbatis ſui Alexandro epiſcopo Lincolnienſi adhaerens, baiulique officium exercens etc.*

BAIVLI ECCLESIAE, ſunt miniſtri eccleſiae, qui proceſſionibus publicis intererant, et cruces et candelabra baiulabant. Ordo romanus deſcribens proceſſionem pontificis: *poſt epiſcopos presbyteri, deinde monachi, deinde ſchola, deinde milites draconarii, id eſt, qui ſigna portant, poſt eos baioli, poſt eos Cereoſtatarii.* Cum Henricus imperator Romam tenderet, pontifex ei obuiam miſit *baiulos, cereoſtatarios, ſtauroferos, aquiliferos etc.* (t). In eccleſia Conſtantinopolitana erat in ſiniſtro choro (u), et βαςαγάριος appellabatur; cuius erat imaginem ſancti eccleſiae, in ſolemnioribus feſtis et proceſſionibus ferre (x).

BAIVLI HORARVM ECCLESIAE in vitis abbatum S. Albani (y): *legebantur autem 12. eadem nocte de beata virgine lectiones, quas corde tenus ſine candela baiuli transcurrere conſueuerunt.*

BAIVLI OBITVVM NOVORVM, officiales in monaſteriis, quibus incumbebat recipere et distribuere legata et pecunias deſtinatas

o) CODIN. *de off. cap.* 2. *n.* 81. *p. m.* 20. 36. p) CEDRENVS *hiſt. comp. pag.* 281. ZONARAS *tom.* 3. *p.* 34. q) *cap.* 17. r) add. *pag.* 72. *ſq.* s) *pag.* 41. t) PETRVS *Diac. lib.* 4. *chron. Caſſin. cap.* 37. *p. m.* 462. u) CODIN. *l. c. pag.* 9. x) GOAR. *ad Codin. p.* 16. *n.* 54. y) *pag.* 70.

ſtinatas horarum et obituum, ſeu ad opus horarum, vt in chartis ſaepe occurrit.

BAIVLIVI vel BAILLIVI, a voce *Baiulus*, in genere denotant praeſides ſiue magiſtratus. In ſpecie (z) in ordine hoſpitaliorum S. Ioannis Hieroſolymitani dantur *Baiuliui capitulares et conuentuales* (a), qui capitulis adſcripti ſunt et praecipue ordinis conſiliarii ſunt. Hi autem ſunt *baiuli octo linguarum*,

Prouinciae, qui magnus commendatarius;
Aluerniae, qui mareſcallus;
Franciae, qui hoſpitalarius;
Italiae, qui Admiratus;
Aragoniae, qui Draperius, nunc conſeruator;
Angliae, qui Turcopolerius;
Alemanniae, qui magnus Baiuliuus;
Caſtellae, qui cancellarius ordinis.

BALANDRANA, pallii ſpecies (b). Statuta ordinis S. Benedicti in prouincia Narbonenſi anno MCCXXVI: *Illas quidem veſtes, quae vulgo* balandraua, *et ſupertoti vocantur, et ſellas rubeas, et fraena, ---- penitus amputamus.* Rectius *balandrana* legitur. Concilium Albienſe anno MCCLIV. cap. 53: *Prohibemus quoque diſtrictius, vt nulli regulares cum* balandranis *ſeu germaſiis, vel aliis veſtibus laicorum, equitent, vel incedant.*

BALARE, *ballare*, *vallare*, ſaltare, choreas ducere (c). Voces a graeco deductae βαλλίζειν, (d) ſaltare. Concilium Laodicenum (e): *non oportet chriſtianos ad nuptias euntes, vel balare*, βαλλίζειν, *vel ſaltare.* FERRANDVS diaconus (f): *vt nullus chriſtianus ballare vel cantare in nuptiis audeat.* AVGVSTINVS (g): *iſta conſuetudo balandi de paganorum obſeruatione remanſit.* Idem (h): *diabolico more balare et ſaltare.* Synodus romana ſub Eugenio II. anno DCCCXXVI. c. 35. *Sunt qui-*

z) DV FRESNE *gloſſ. lat. tom.* I. *p.* 436. a) vid. *Statuta ordin. tit.* 10. §. I. *et* 42. b) DV FRESNE *G. L. tom.* I. *p.* 441. c) idem. *ib. p.* 442. d) Id. *G. G. p.* 171. e) *can.* 53. f) in *breuiar. canon. c.* 188. g) *ſerm.* 215. *de tempore.* h) *ſerm.* 216.

quidam et maxime mulieres, qui feſtis ac ſacris diebus, atque ſanctorum natalitiis, non pro eorum, quibus debent, delectantur deſideriis aduenire, ſed ballando, verba turpia decantando, choros tenendo ac ducendo ----- aduenire procurant. Epiſtola LICINIANI, Carthaginis Spathariae epiſcopi, ad Vincentium Eluſitanae inſulae Epiſcopum, apud BIVARIVM: *Meliusque erat viro hortum facere, vel iter agere, mulieri colum tenere, et non, vt dicitur, balare, ſaltare, membra Deo benedicta ſaltando traiicere & torquere etc.*

BALATIO, BALLATIO, prohibita eſt diebus dominicis et feſtis per capitularia (i): *Quando populus ad eccleſias venerit, tam per dies dominicos, quam et per ſolemnitates ſanctorum, aliud non ibi agat, niſi quod ad Dei pertinet ſeruitium. Illas vero balationes et ſaltationes canticaque turpia ac luxurioſa et illa luſa diabolica non faciat, nec in plateis nec in domibus neque in vllo loco: quia haec de paganorum conſuetudine remanſerunt. Et qui ipſa fecerit, canonicam ſententiam accipiat. Ballationes* in feſto ſanctorum innocentium interdictae quoque fuerunt, in concilio Copriniacenſi anno MCCLX. can. 2. In *vita S. Eligii* (k): *Nullus ---- vallationes vel ſaltationes, aut caraulas, aut cantica diabolica exerceat.* Ibidem: *Ludos etiam diabolicos et vallationes, vel cantica gentilium fieri vetate.*

BALLIMATHIA, *ballematia, vallematia*, ſaltatio. Titulus canonis 23. concilii Toletani III: *Quod ballimathia et turpia cantica prohibenda ſunt a ſanctorum ſolenniis.* Aliae editiones habent *balimanthia*, quaſi interdicantur diuinationes, quae per ſaltationes fiunt. At in ipſo canone ſaltationes tantum, & turpia cantica vetantur in ſanctorum ſolennitatibus, vt in concilio romano ſub Eugenio II; ſed legendum videtur *balliſmatia*, ex graeco βαλλισμάτιον, a βάλλισμα, βαλλίζειν, ballare.

BALDAKINVS, *baldekinus, baldechinus, um, baldequinum et baldicum* (l), pannus omnium ditiſſimus, cuius vtpote ſtamen ex filo auri, ſubtemen ex ſerico tegitur, plumario opere

i) *lib. 6. cap. 196. p. m. 957.* adde *Synod. ſext.* in TRVLLO *can. 62. Synod. Bracarenſ. can. 80. Syn. Baiocenſ. an. 1300. c. 31.* k) *lib. 2. c. 15.* l) DV FRESNE *L. p. 443. ſq.* MACER *l. c. 66. ſq.*

Digitized by Google

re intertextus, ſic dictus, quod *Baldacco*, ſeu Babylone in Perſide, in occidentales prouincias deferretur. MACER, quamuis hanc vocis originem potiorem habeat, fortaſſe etiam aliunde deduci poſſe putat: ſcilicet, ſicut huiusmodi textile ex ſerico *Damaſcum* a Damaſco ciuitate vulgo vocatur, ſic *baldaquinum*, a *Baldaquino*, Damaſci regulo, (quem Balduinus, Gothofredi Bullionei frater, et in regno Hieroſolymorum ſucceſſor, vicerat,) et ſericis inter eius ſpolia repertis, nomen accepiſſe cenſeri poſſet. Sumitur vero haec vox crebro pro *vmbraculo*, ſeu *vmbella*. Ita autem dictae vmbellae, quia vt plurimum factae erant ex baldachino. Occurrit illa ſaepe in eccleſiae romanae ceremoniarum libris. Sic *ceremoniale romanum* (m): *Portant vmbraculum haſtilibus octo ſuſtentatum, quod hodie baldachinum appellant.* Inſeruit illud ad tegendum tabernaculum, et altare et eiusdem ſacramentum per viam vna cum ſacerdote illud ferente. Epiſcopis quoque datur eorumque throno; nec non quando ſolenniter ciuitatem ingrediuntur, tunc ſub baldachino in templum deducuntur. Ita enim *ceremoniale epiſcoporum* (n): *Epiſcopus mitratus equitabit ſub baldachino, quod portabitur primo loco per magiſtratum ciuitatis, deinde per nobiles ciues vſque ad eccleſiam, ſiue per eos, quibus ex conſuetudine, vel ex priuilegio id conuenit.* Item feretra clarorum virorum baldachino condecorabantur. MATTHAEVS *Weſtmonaſterienſis: Tumbae* (S. Albani) *obtulit optimum baldekinum.* ERICVS Vpſalienſis (o): *Leuabant corpora ducum, et ponentes in feretro, ſuperiacto baldechino, portabant ea de caſtro.* In *annalibus Colmarienſibus* legimus (p): *Fuit et feretrum coopertum nobili baldico, quod eccleſiae reliquerunt.* Et alibi (q): *Feretrum coopertum fuit baldichino, quod eccleſiae reliquerunt.*

BALMA (r), lapis ſepulchralis, tumba, Aruernis *Baume:* quam vocem prouinciales quibusvis ſepulchris tribuunt, praeſertim vero antris ſepulchralibus, quomodo *S. Balmam* vocant antrum, in quo aſſeruatur corpus S. Magdalenae, vulgo *la ſainte Baume*, et ſpecum diui Honorati prope Lerinenſem inſulam,

m) *lib.* 1. *ſect.* 2. n) *lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 6. o) *lib.* 4. *hiſt. Suecic. pag.* 118. 120. p) *part.* 1. *an.* 1276. q) *part.* 2. *eod. ann.* r) DV FRESNE *L. p.* 449.

lam, *la ſancta Baulma de ſancta Honorat*, vt eſt apud VINCENTIVM BARALEM (s).

BALNEATIO (t), in Aegypto dictus eſt dies baptiſmi Domini, qui aſſignatur diei vndecimo menſis *tuba* Coptitarum, qui eſt ipſe Ianuarii Iuliani dies ſextus. Hoc enim die baptiſmum illum peractum eſſe, tam in oriente, quam in occidente, etiam apud Aegyptios Aethiopesque creditum fuit. Apud hos mos inualuit vetus, vt non ſolum die illo, velut in quo prae caeteris anniuerſaria fieret aquarum ſanctificatio ſingularis, catechumenos baptizarent, verum etiam tum cuncti ſe quotannis fluuiis immergerent, adeoque baptiſmum eatenus ſibi iterarent, vel in memoriam reuocarent; tum aquas ex illis in annum ſequentem ſeruandas domum afferrent, quas etiam incorruptas illic per biennium trienniumque ſaepius manſiſſe, CHRYSOSTOMVS habet (u). *Abulaibſan Achmed Calcaſendius*, ſcriptor mahumedanus perinſignis Ms. dum feſta Aegyptiorum enumerat, de hoc quoque, quod ex VII. eorum maioribus feſtis vnum eſt, *Chriſtianis*, inquit, *mos eſt immergere liberos ſuos in aqua, illo in die:* atque hinc dictus eſt in Aegypto *balneatio.* Vide IOANNEM SELDENVM (x).

BALNEA in monaſteriis olim certis temporibus monachi intrabant, ſcilicet in vigilia S. Thomae apoſtoli et feria quarta maioris hebdomadis. De illa ſcribit LANFRANCVS in ſtatutis (y): *Vigilia S. Thomae apoſtoli, ſi dies dominicus non fuerit, radantur fratres, et ſic balneentur, qui volunt balneari, vt duobus diebus ante dominicam natiuitatis ſint omnes balneati; ſi neceſſe ſit, in ipſo apoſtolicae feſtiuitatis die, balneari poſſunt.* Ritum et ordinem balneandi ipſe LANFRANCVS deſcripſit loco citato: *Ipſa autem balnea hoc ordine disponantur: praecedente die debet abbas, aut qui tenet ordinem, prouidere vnum ſenem religioſum atque prudentem, cui praecipiat curam habere de ipſis, qui commoneat fratres, qua hora ire debeant, et videre, quam ordinate ibi ſe contineant: qui ſenior illuc pergens videat, qualiter ſint praeparata, et quales famuli ibi ſint deputati, ſcilicet*

 non

s) *tom.* I. *pag.* 37. t) HOFFMANN. *L. V. p.* 230. u) *orat.* 74. *de baptiſmo Chriſti.* x) *de ſynedr. vet. Hebraeorum part.* 3. *cap.* 15. y) *cap.* I. *§.* 2. *ap.* MARTENE *l. c. lib.* 3. *cap.* 2. *p.* 274.

Digitized by Google

non infantes, nec iuuenes, ſed aetate prouectiores. Quod ſi aliquid incongruum viderit, indicet camerario, et ille ſtatim emendet; reuerſusque ſenior in clauſtrum commoneat fratres, quod opus eſſe cognouerit. Sed hoc caueat, ne adoleſcentes et nouitii ſimul eant, ſed cum ſenioribus. Illi vero fratres, quos commonuerit, poſtquam raſi fuerint, accipientes veſtimenta, quae mutare debent, pergant ad locum, in quo balnea praeparantur, ibique exuentes veſtimenta ſua, ſic ordinate, vt in dormitorio facere conſueuerunt, intrent vnusquisque, vbi ei fuerit demonſtratum; et depoſito velo, quod ante eos pendet, ſedeat cum ſilentio. Si quid vero ei neceſſarium fuerit, modeſte ſigno aliquo petat; famulus vero eleuato velo deferat illi celeriter, quod petit, et ſtatim reuertatur. Poſtquam ſatis ablutus fuerit, non delectetur ibi diutius demorari. Surgens vero calceatus atque veſtitus, ſicut in dormitorio conſueuit, ablutis manibus, reuertatur in clauſtrum. Adoleſcentes, qui ſunt in cuſtodia, cum cuſtodibus ſuis eant et reuertantur. A prima vsque ad completorium omnibus horis posſint ire fratres ad balnea, ſed nullus praeſumat ire, absque licentia fratris, cui hoc commiſſum eſt. Conſuetudines Germaniae feria IV. hebdomadis praeſcribunt: *Tertia et quarta feria radendum eſt et balneandum:* quod ita intelligi debet (z): *Feria tertia radendi ſunt fratres in clauſtro ſimul ipſa die, et in craſtino debent eſſe balnea praeparata.* In regulis monaſticis balnea infirmis praecipue conceduntur. Sic S. BENEDICTI regula (a): *Balneorum vſus infirmis, quoties expedit, offeratur. Sanis autem, et maxime iuuenibus, tardius concedatur.* Caſſini etiam fuiſſe balneum pro infirmis, conſtat ex diuerſis *chronici Caſſinenſis* locis (b). Virginibus quoque S. CAESARIVS praeſcripſit (c): *Lauacra etiam, cuius infirmitas expoſcit, minime denegentur; ſed fiat ſine murmuratione de conſilio medicinae: ita, vt etſi lauare nollet illa, quae infirma eſt, iubente ſeniore fiat, quod opus fuerit pro ſalute. Si autem nulla infirmitate compellitur, cupiditati ſuae non praebeatur asſenſus.* S. DONATVS in *regula virginibus data* (d) repetiit S. Benedicti praeceptum.

BAL-

z) Idem *ibid. cap.* 12. *pag.* 370. a) *cap.* 36. *pag. m.* 39. b) *lib.* 3. *c.* 32. et *cap.* 58. *lib.* 4. *c.* 64. *not. p. m.* 489. c) *regul. cap.* 29. *p. m.* 28. d) *cap.* 12. *p. m.* 89.

Digitized by Google

BALNEVM, genus potus minime delicati, monachorum et poenitentium (e). LVITPRANDVS in legatione: *Soli menſae aſſident nudae, paximatium ſibi apponentes, balneaque tunc vitro permodico non bibentes, ſed ſorbillantes.* Et paulo ante: *Parcus, cupidus, allio, cepe, et porris veſcens, balnea bibens.* Et ſub finem: *Non proderit tibi balneum, quo te aſſidue potas in amore B. Ioannis praecurſoris.*

BALSAMVM, ſacrum chriſma, ſeu oleum ſacrum. IOANN. DE DEO in poenitentiario (f) de epiſcopis: *Quod petunt pecuniam pro balſamo, contra auctoritatem ſanctorum patrum etc.* Vide IO. SARISBERIENS. *ep. 69.*

BALTHEVS, zona, qua epiſcoporum, ſacerdotum, miniſtrorum etiam inferioris gradus eccleſiaſtici veſtes conſtringuntur, apud HONORIVM *Auguſtodunenſem* (g), et in libro ſacramentorum apud MENARDVM (h). Annales Anianenſes: *Vnam vero partem ſibi reſeruauit, quam dedit Benedicto abbati S. Anianenſis archiſterii, videlicet cruces dominicas cum gemmis, bratheas aureas contextas cum gemmis, baltheos aureos ſimiliter gemmatos, calices aureos etc.* Baltheo etiam pontifex romanus conſecrandus praecingitur. IOANNES diaconus in *vita S. Gregorii M.* (i): *Porro in exilitate balthei, quae vnius pollicis menſuram numquam excedit, ſpeciem propoſiti regularis olim a S. Benedicto ſtatuti ---- eum ſeruaſſe luce clarius manifeſtat.* ANONYMVS in *vita Paſchalis II: Deinde in patriarchale aſcendentes palatium, ad duas curules deuenit. Hic baltheo ſuccingitur cum ſeptem exinde pendentibus clauibus, ex quo ſciat ſeptem ſigillis* (Apoc. 5, 6.) *ſeptiformem ſpiritus ſancti gratiam cunctarum eccleſiarum, quibus ſimul, Deo auctore, praeeſt, regimini in claudendo, aperiendoque, tanta ratione prouidere debere, quanto ſolertius id, quod intenditur, operatur* (k). Vide infra *Cingulum.*

BALTHEVS MVNDIALIS, ſeu ſecularis. IVO *Carnotenſis*, in chronico apud LAMBECIVM (l): *Ipſius denique tempore*

e) DV FRESNE *L. p.* 449. MACER *l. c. p.* 67. f) *lib.* 5. *c.* 6. g) *lib.* 1. *cap.* 226. h) *pag.* 260. i) *lib.* 4. *cap.* 80. k) vid. IOANN. SARISBERIENSIS *epiſt.* 42. l) *lib.* 2. *comment. de bibl. caeſ. cap.* 8. in Ludouico pio.

Digitized by Google

re coeperunt deponi ab epiſcopis et clericis balthei gemmeis cultu-ris honorati, et cingula auro comta et exquiſite, et alia ſecula-ria pariter ornamenta. Charta EINHARDI in *chronico Lauris-hamenſi* m): *Sunt quidam, qui faſtu ſeculari turgentes ---- ſa-cris eccleſiis contradita inuadunt, aut vt ſibi hereditario iure re-tineant, aut mundiali baltheo in beneficio diuidant.*

BANNVM, interdum idem ac *Bandum*, ſignum, vexillum. Vetus charta apud MABILLONIVM (n): *Qui feſtinantes ſumtum ſecum vexillum crucis, et S. Guillelmi glebam, cum conuentu fi-delium monachorum, clericorum, militum, laicorum, cum cruci-bus, bannis, thuribulis, candelabris, ſignis, veſtimentis eccle-ſiaſticis* etc.

BANNVM et *bannus*, etiam *bandus*, *bannire* etc. (o). Mul-tiplex apud ſcriptores et in veteribus tabulis horum vocabulo-rum eſt notio: potiſſimum tamen tripliciter accipitur, ac *primo* quidem pro *edicto publico*, *proclamatione*, *ſtatuti publicatione.* DVDO (p): *In terra ſuae ditionis bannum, id eſt, interdictum, miſit, quod eſt prohibitio, vt nullus* etc. DITMARVS lib. 6. *In-terdicta eſt omnibus per bannum regalem, a palatino comite fu-ga.* Capitulare primum Caroli M. anno DCCCII. (q): *Ban-num noſtrum praeſumunt contemnere.* Et (r): *Nouiſſime igi-tur ex omnibus decretis noſtris noſſe cupimus ---- qualiter vnus-quisque ---- bannum vel decretum habeat conſeruatum.* Quod igitur in commune vocabant aut praecipiebant, id quia banno, id eſt, publica denuntiatione, indicebatur, bannus erat. *Ban-nus Dei* et regum interdum coniunguntur, maioris authoritatis gratia. In adnuntiatione Domni Hludouici regis apud Conflu-entes, cui conſenſum praebuit Hlotharius et quam Karolus Cal-uus anno DCCCLX. confirmauit (s): *Ab hoc die et deinceps de Dei banno et de noſtro verbo bannimus, vt nemo hoc amplius praeſumat.* Et poſtea (t): *Bannimus ex Dei et noſtro verbo, vt nullus hoc in regnis noſtris agere praeſumat.* Interdum po-nitur ſolus *bannus imperatoris*: vt in capitulis, quae miſſis do-mini-

m) *pag.* 65. n) *tom.* 5. *SS. ord. S. Bened p.* 88. o) DV FRESNE *G. L. p.* 455. *ſqq.* p) *lib.* 2. *de actis Normann.* q) *cap.* 37. *pag.* 374. r) *ibid. cap.* 40. euolue indicem ad capitularia in vtroque tomo. s) *cap.* 6. *p.* 143. t) *cap.* 7. *p.* 144.

Digitized by Google

minicis data fuerunt a Karolo M. anno DCCCIII (u): *De banno Domni imperatoris, quod per ſemetipſum ſolitus eſt bannire, id eſt, de mundiburdio eccleſiarum et viduarum, orphanorum et minus potentum perſonarum.* Hoc loco *bannus imperatoris* denotat edictum, cum illi ſub finem capitis opponatur *bannus dominicus*, pro mulcta ſumtus. Infra vero oſtendetur, quod bannus imperatoris etiam accipiatur pro mulcta. Manifeſte etiam illud conſtat ex capitulari eiusdem imperatoris anno DCCCXI: (x) *Dicunt ipſi comites, quod alii eorum pagenſes non illis obediant, nec bannum Domni imperatoris adimplere volunt.* Vocatur etiam *bannus regis* in capitulari Saxonum ann. DCCXCVII: (y) *Et de exemtu nullus ſuper bannum Domni regis remanere praeſumat.*

BANNVM MITTERE ſuper rem aut perſonam aliquam, dicebantur principes, cum eam publicato banno ſeu edicto, in ſuam protectionem ſuſcipiebant. Notitia ann. MXLVII. apud VGHELLVM (z) in epiſcopis Aſculanis: *Inſuper miſit ſuum bannum* (imperator) *ſuper praedictum epiſcopum, et ſuper iam ſupradicta curte,---- vt nullus quilibet homo audeat iam dictum epiſcopum, vel partem iam dicti epiſcopi exinde diueſtire, moleſtare, vel inquietare ſine legali iudicio.* Charta Caroli M. apud CRANZIVM (a): *Si quisquam hoc idem nemus noſtro banno munitum --- ſtudio venandi --- introierit.* Verſus in Vicelinum archiepiſcopum Bremenſem:

Chartas conſcriptas et res in ſcripta redactas
Bullis firmauit, bannoque ſuo ſtabiliuit.

Charta Chunradi II. imp. ann. MXXV. in priuilegiis Hamaburgenſis: *Bannum autem noſtrum ſuper omnes hos illic venientes, vt illic eundo et redeundo habeant pacem, facimus, eundemque bannum noſtrum praedicto archiepiſcopo ob ſuum fidele ſeruitium ea ratione concedimus.* Forma autem mittendi bannum ſuper aliquam rem vel perſonam, quae fuerit, docet *notitia* ann. MLXVIII. apud FRANCISCVM MARIAM in Mathilde comitiſſa

u) *capitular. ſept. cap.* 1. *p.* 403. x) *cap.* 6. *p.* 486. y) *cap.* 1. *p.* 277. z) paſſim *tom.* 1. *p.* 849. 852. 960. a) in *Metropol. lib.* 1. *cap.* 2.

tiſſa (b): *Petiuit, vt pro Deo et anima Domni regis ſuorumque mercede mittere bandum ſuper iam dictas res et praedictum aduocatum in Byzantios bonos aureos duo millia, vt nullus quislibet homo, magna paruaque perſona, praedictam eccleſiam de iam dictis rebus ſine legali iudicio disueſtire praeſumat. Cumque ipſe taliter quaeſiſſet, tunc praefata D. Beatrix et Flasbertus iudex D. regis ambo ſimul per fuſtem, quam in ſuis detinebant manibus, miſerunt bannum ſuper easdem res, et iam dictum aduocatum, vt nullus quilibet homo praefatam eccleſiam de ſupradictis rebus disueſtire praeſumat ſine legali iudicio. Qui vero fecerit, duo millia bonos Byzantios aureos compoſiturum ſe agnoſcat* etc. Eadem ſignificatione et haec phraſis *Bannum ponere ſuper caput alicuius*, vſurpatur in *notitia iudicati* ann. MXXVIII. in tabulario Caſaurienſi: *Et inueſtierunt praefatum abbatem ex parte imperatoris -- et poſuerunt bannum ſuper caput ipſius abbatis, vt, ſi aliquis homo de ipſis rebus monaſterii aliquid iniuſte tollere vel contendere praeſumit, ----- componat de auro libras centum.*

BANNVM PONERE, proclamare, edicere. In charta Friderici I. ann. MCLXXV. pro eccleſia Bellicenſi, apud GVICHENONVM (c): *Nulla perſona bannum, quod epiſcopus in ciuitate poſuerit, infringere praeſumat.*

In bannum mittere, confiſcare, in fiſci poteſtatem redigere. HINCMARVS Remenſis (d): *Quicquid de rebus et facultatibus eccleſiaſticis ----- ad gubernandum acceperat, iuſſione veſtra per Vicecomitem pagi, in bannum, quod ius lingua latina proſcriptio confiſcando vocatur, eſt miſſum.* Capitularium libro quarto (e): *Cuiuscunque hominis proprietas ob crimen aliquod, quod idem habet commiſſum, in bannum fuerit miſſa, et ille re cognita, ne iuſtitiam faciat, venire diſtulerit, annumque ac diem meo banno illam eſſe permiſerit, vlterius eam non adquirat, ſed ipſa fiſco noſtro ſocietur.* Item *inbannire, inbannare.*

Per

b) *lib.* 3. *pag.* 140. c) in *epiſcopis Bellic. pag.* 33. d) in *Quaternion. ad regem Carolum p.* 381. e) *cap.* 24. *pag.* 780. *ſq.* add. *Legem Longobard. lib.* 2. *tit.* 43. §. 1. 3. *Cap. Caroli Calui tit.* 30. §. 3. *tit.* 31. §. 6.

Digitized by Google

Per bannum ad placitum venire, id eſt, per ſubmonitionem regiam. Charta Lotharii reg. prouinc. ann. DCCCLV. (f): *Ad dictum itaque palatium iam vocitatus Witgarius non ſolum venire contempſit, ſed etiam bannum noſtrum pro nihilo duxit. Iuſſimus praeterea illum denuo ad hoc praeſens placitum per bannum venire; ſed* etc. Phraſin illam reſpicit altera: *bannum adimplere* (g): dicitur is, qui mandatum regium, quod ei per bannum et ſubmonitionem indictum eſt, exequitur.

BANNA, *quae in eccleſiis ſecundum conſuetudinem eduntur* ante matrimoniorum celebrationem. c. 6. Extra, Qui matrimon. accuſ. poſſ. Prouinciale Cantuarienſe LINDWODI (h): *In matrimonio quoque contrahendo ſemper tribus diebus dominicis vel feſtiuis a ſe diſtantibus, quaſi tribus edictis, perquirant ſacerdotes a populo de immunitate ſponſi et ſponſae.* Ibidem (i): *Solennis bannorum editio* in matrimoniis.

BANNVM PACIS, quo pax indicta eſt edicto publico. ECKEARDVS iunior (k): *Iubentur a rege tunc quidem Arnolfo epiſcopus et ipſi ſub banno pacis ad aulam Mogunciae venire, vbi cauſa publice peracta, rei maieſtatis lege pronuntiati, ipſi in Ingelheim truduntur.*

BANNVS EPISCOPI, excommunicatio. Fragmenta Capitularium edita a STEPHANO BALVZIO (l): *Quisquis bannum vel excommunicationem epiſcopi vel presbyteri ſuperbiendo contemſerit, hic talis ab eccleſia penitus euellatur.* LAMBERTVS *Schaffnaburgenſis* ann. MLXXIV: *Qui caetera religionis iura auſu barbaro temeraſſent, epiſcopali banno ad ſatisfactionem vocauit.* Infra: *Ad poenitentiam ſub epiſcopali banno euocauit.* Charta Henrici I. regis Francorum ann. MLVII. (m): *Si vero in ſupradictis locis bannus aliquando acciderit, epiſcopus eccleſias ſine dilatione reconciliet, et nunquam pro aliquo foris facto miniſterium Dei ipſis eccleſiis remaneat.* WALRAMVS epiſcopus Naumburgenſis de inueſtitura epiſcoporum: *Sequitur autem conſecratio,*

f) *tom.* 12. *ſpicilegii Acheriani pag.* 133. g) in *lege Ripuar. tit.* 65. h) *lib.* 4. *tit.* 1. i) *tit.* 3. k) *de caſibus S. Galli c.* 1. l) *cap.* 11. et ap. REGINON. *lib.* 2. *c.* 419. m) *hiſt. monaſterii S. Mariae Sueſſion. p.* 437.

Digitized by Google

tio, vt bannus epiſcopalis banno regali conueniens in communem vtilitatem operetur. Hinc *banno conſtrictus*, excommunicatus. DITMARVS (n): *Hic quia Herimannum, dum vixit, banno conſtrictum habuit, ſuppliciter rogatur a filio, vt et ſolutionem ſaltem defuncto impenderet, et in eccleſia eum ſepeliri liceret.* Sic et *banniti*, excommunicati. Vita Burchardi epiſcopi Wormatienſis: *Bannitos ſeu a ſe excommunicatos clementer abſoluit.* RAIMVNDVS in ſummula:

Aeger bannitus cupiens ſibi ſumere corpus,
Hic abſoluatur pro re, quacunque ligatus
Extiterit.

Ita alibi non ſemel *bannire*, pro excommunicare vſurpat:

Nullus habet bannos, niſi perſonae ſpeciales:
Vt ſunt paſtores, vel eorum legitimati,
Quique ſuis locis bannire ſolent etc.

BANNIRE, *Bandire*, publico banno edicere, iubere, ſtatuere. Capitulare I. Caroli M. ann. DCCCII. (o): *Iterum bannimus firmiter, vt nemo amplius faciat.* Dein *bannire*, eſt citare, ſubmonere, edicto publico euocare. *Bannire et locis congruis congregare* eſt apud LINDEBROGIVM (p). Lege Ripuar. (q): *Si quis legibus in vtilitatem regis, ſiue in hoſte, ſiue in reliquam vtilitatem bannitus fuerit, et minime adimpleuerit, ſi aegritudo eum non detinuerit, ſolidis ſexaginta mulctetur.* Capitularium libro quarto (r): *Non manniatur, ſed per comitem banniatur.* Inter *mannire* enim et *bannire* hoc eſt diſcrimen (s), quod *mannire* dicebantur cauſatores ipſi, cum alter alterum, vt in ius ambularent, coram teſtibus admonebat. *Bannire* vero comites, vicarii et iudices alii, cum per bannum ad placita vocabant. Vnde qui vocatus ad placitum non venerat, ſi mannitus fuerat, mannitionis ſeu manninae compoſitionem aduerſario ſoluebat: ſi bannitus, bannum comiti componebat. *Ad placitum bannire*, in capitulis ſaepe occurrit (t), et idem eſt, ac ad placitum euocare.

BAN-

n) *lib.* 2. o) *cap.* 39. *pag.* 374. vid. *indicem ad Capitularia.* p) in *form.* 39. q) *tit.* 67. r) *cap.* 25. *p.* 781. s) IAC. SIRMONDVS in *notis ad Capitularia*, *p.* 790. t) *Capit. Carol. ib.* 3. *c.* 40. 69. *capit.* 3. *ann.* 803. *c.* 20. *Concil. Erford. an.* 932. *c.* 2.

Digitized by Google

BANNIRE, in *bannum mittere*, edicto publico proſcribere, relegare. *Bannire ſiluam* dicitur, qui eius ingreſſum prohibet. INNOCENTIVS III (u): *Quod bannierant ſiluam ipſam et fecerant cuſtodiri.* Sed *inbannire*, *inbannare*, eſt in bannum mittere, in fiſcum redigere. HINCMARVS Laudunenſis: (x): *Non latere vos ſcio ---- res epiſcopi Laudunenſis eccleſiae mihi commiſſae, imo quicquid habebam in iſto regno, exceptis principali eccleſia et epiſcopi domo et clauſtro, eſſe inbannata*, etc. BERNARDVS ad abbatem de Praemonſtrato ſcribens (y): *Super omnia plangitis, quod eccleſiam ſancti Foilliani, quae de ordine veſtro eſt, abbas noſter de Villari fecerit imbanniri.* Et poſtea: Pontifex *eccleſiam eius imbanniri iuſſit, donec ſatisfeciſſet.* Hoc vero loco accipitur pro *poni ſub interdicto*, vt in ſequentibus ſtatim legitur, et ex illis etiam colligitur: *Siquidem ipſe eſt, cuius aut cupiditas, aut contumacia fratribus veſtris diuina fecerit officia interdici.*

BANNVM, BANNVS, ſecundo vſurpatur pro poena et mulcta pecuniaria, qua quis banni ſeu legis infractor punitur (z). Translata ergo eſt haec vox ab edicto ad huius transgreſſionis poenam. Praefatio capitularis Saxonum anno DCCXLVII. ita habet (a): *Omnes vnanimiter conſenſerunt et aptificauerunt, vt de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi regis bannum transgreſſi ſunt, ſolidos ſexaginta componunt, ſimiliter Saxones ſoluant, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.* CONRADVS *Vrſpergenſis* in Friderico I: *Et ne quis contra illud attentet venire, bannum, id eſt, poenam pecuniariam conſtituit.* Infra: *Iudices quoque praefecit ſingulis ciuitatibus Lombardiae, qui ex parte imperatoris banna ſupradicta reciperent.*

BANNVS DEI, vti ſupra ad edictum et iuſſionem referebatur, ita etiam per poenam interdum explicari poterit, quod ex textus circumſtantiis erit colligendum.

BANNVM DOMINICVM, mulcta, quae domino ſeu principi exſoluebatur pro infracto banno dominico, eratque 60. ſolido-

u) *lib.* 13. *epiſt.* 95. x) in *ſcedula epiſcopis et regi porrecta pag.* 433. y) *epiſt.* 252. *p. m.* 1603. z) DV FRESNE *l. c. p.* 461. *ſqq.* a) *pag.* 275.

lidorum. Capitulare I. Caroli M. incerti anni (b): *Vt bannus, quem per ſemet ipſum dominus imperator banniuit, ſexaginta ſolidos ſoluatur.* Capitul. Caroli M. (c): *In triplo, qui aliquid abstulit, legibus componat, et inſuper bannum noſtrum, id eſt, 60. ſolidos nobis perſoluat.* Occurrit haec loquendi formula in capitular. Ludouici Pii editis poſt capitula eiusdem imp. ann. DCCCXXIV (d). Dicitur etiam *bannum regis*, nec non *plenum*, quod 60. ſolidorum erat (e).

BANNVS EPISCOPALIS, mulcta quae epiſcopo exſoluitur. Erant enim mulctae reorum, quae ad epiſcopos ſpectabant, vt quae ſacrilegis irrogabantur. Concilium apud Theodonis villam ann. DCCCXXI (f): *Si quis ſubdiaconum calumniatus fuerit, vulnerauerit, vel debilitauerit, et conualuerit, quinque quadrageſimas ſine ſubditis annis poeniteat, et 300. ſolidos cum ſua compoſitione et epiſcopalibus bannis epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit ---- epiſcopalibus bannis triplicibus componat.* Concilium Triburienſe ann. DCCCXCV (g): *Si quis presbyter ---- vulneratus fuerit ---- et articulo mortis praeuentus abierit, pretium Weregeldi tripartita partiatur diuiſione, id eſt, altari, cui ordinatus fuerat, pars vna: epiſcopo, in cuius dioeceſi erat, altera: tertia parentibus, de quibus ortus fuerat.* Can. 7. de ſacrilegio: *Sancimus et vnanimes iudicamus, vt res eccleſiae tripliciter componantur, inſuper vero bannus epiſcopalis exquiratur.* Can. 8. *Nemo contemnat, neque transgrediatur bannum ab epiſcopis ſuperpoſitum.* Infra: *Si quis poſt hanc huius ſancti concilii diffinitionem inuentus fuerit corrupiſſe bannum ab epiſcopis impoſitum, 40. dierum caſtigatione corripiatur, tantum in pane, ſale et aqua.* Can. 20: *Iubeat eum dominus epiſcopus per bannum a ſe impoſitum ad ſe venire ---- et Comite agente perſoluat bannum regibus debitum* (h). Quaedam tamen ex his adductis locis videntur tantum reſpicere vel edictum epiſcopale, vel edictum cum mulcta. HILARIVS P. P. epiſt.

b) *cap.* 57. c) *lib.* 6. *cap.* 96. adde *Capit. Caroli C. tit.* 31. *c.* 15. 20. 28. et *indicem ad capitularia.* d) *cap.* 2. et alibi paſſim. e) *Capitul. Caroli C. tit.* 31. *c.* 22. f) *cap.* 1. add. 2. et 3. h) *cap.* 4. i) Vid. praeterea *decretum imp. poſt petitionem epiſcop. c.* 1. 2. 3. ap. BVRCHARD. *l. 6. c. 6. et* IVONEM *part.* 10. *c.* 135. *Capitulare Ingelenheimenſe ann.* 826. *can.* 1. etc.

Digitized by Google

epiſt. ad epiſcopos: *Sacrilegium in atrio factum altari et domino eiusdem loci perſoluatur.* IOANNES VIII. P.P. 17. q. 4. et apud IVONEM (i): *Quisquis inuentus fuerit reus ſacrilegii, iſtam leuiorem compoſitionem emendet epiſcopis ipſis, vel abbatibus, ſiue perſonis ad quas querimonia ſacrilegii iuſte pertinuerit.* Lex familiae BVRCHARDI Wormatienſis epiſcopi: *Si quis Fiſgilinus homo ex familia rem aliquam magnam vel paruam ad iniuſtitiam patrauerit, ad bannum epiſcopi 5. ſolidos vt Dagewardus vadetur.* Infra: *Et per ſingulas veſtimentorum partes bannum epiſcopo componat.* Rurſum: *Illi, quem impugnauerit, pro pugna iniuſte illata, ſuam iuſtitiam tripliciter componat, bannum epiſcopo perſoluat* etc. (k).

BANNVM CAPITIS, mulcta, quae in pecoribus exſoluitur. *Charta Ottonis imp.* ann. DCCCCXXXVII. in priuilegiis eccleſiae Hammaburgenſis (l): *Vt nullus iudex publicus vel quaelibet iudiciaria poteſtas aliquam ſibi vindicet poteſtatem in ſupradictorum hominibus monaſteriorum, litis videlicet et colonis, vel eos aliquis capitis banno ob capitis furtum, vel quocunque banno conſtringat, aut aliquam iuſtitiam facere cogat, niſi aduocatus archiepiſcopi, quamdiu eos corrigere valuerit.*

BANNVM CHRISTIANITATIS, Concilium Agathenſe: *Si quis presbyter negligens vitae ſuae prauis exemplis mala de ſe ſuſpicari permiſerit, et populus ab epiſcopo iuramento ſub banno chriſtianitatis aſtrictus infamiam eius patefecerit* etc. Vbi gloſſ. decretal. *ſub poena fidei ſuae*, id eſt, vt mihi videtur: ſub poena excluſionis a chriſtianitate.

BANNVS FRANCILIS, Franci ſeu liberi hominis mulcta, quae *Francorum compoſitio* dicitur in lege Ripuariorum (m): *Medietate compoſitionis francorum culpabilis iudicetur.* Quae medietas francilis banni ſeu compoſitionis francorum hic dicitur, in Caroli M. capitulis ſemiplena leudes liberi hominis appellatur (n). *Bannus francorum* quoque nominatur in capitulari

i) *part.* 3. *c.* 98. k) de mulctis aliis epiſcopalibus vid. *Concilium Coyacenſe an.* 1050. *c.* 3. 12. *Narbonenſe an.* 1054. *can.* 26. *Helenenſe an.* 1165. *can.* 3. etc. l) *pag.* 149. *et* 151. m) *tit.* 18. *cap.* 3. n) SIRMONDVS in *not. ad capitul. p. m.* 787.

Digitized by Google

lari I. Caroli M. ann. DCCCII (o). Capitularia Caroli (p): *Quilibet francus homo conuictus, quia bonum denarium, id eſt, merum et bene penſantem, poſt hunc bannum noſtrum eiecerit, medietatem francilis banni componat.* Ibidem: *Miſſi autem noſtri colonos et ſeruos pauperes cuiuslibet poteſtatis non mallent, nec bannum francilem ſoluere cogant* etc.

BANNVM COMPONERE, mulctam exſoluere pro neglecto banno vel violato. *Capitul. Caroli Calui* (q): *Sciant, quia et bannum noſtrum component, et ſimul cum excommunicatione eccleſiaſtica noſtram harmiſcaram duriſſimam ſustinebunt.* Idem vult phraſis altera ad bannum dominicum reſtricta: *bannum dominicum componere, ſoluere,* in capitulis Caroli C. (r), Carolomanni (s), in lege Longobardorum (t), et capit. Caroli M. (u). Inde facile colligitur, quid ſit, *bannum* (dominicum) *dupliciter,* vel *tripliciter componere*, duplici vel triplici mulcta damnari. Capitul. Caroli M. (x) Caroli C. (y): *Quod qui temerare proterue praeſumſerit, triplicem legem et triplex bannum noſtrum perſoluat.* Concilium Triburienſe ann. DCCCXCV. (z): *Vt res eccleſiae tripliciter componantur, inſuper vero bannus epiſcopalis exquiratur.*

BANNVM MITTERE, mulctam imponere. Capitulatio Caroli M. de partibus Saxoniae (a): *Dedimus poteſtatem comitibus bannum mittere infra ſuo miniſterio de faida vel maioribus cauſis in ſolid. 60. de minoribus vero cauſis comitis bannum in ſol. 12. conſtituimus.*

BANNVM VADIARE, *revadiare, vel rewadiare*, pro mulcta a iudicibus indicta vadium dare. *Vt omnia quae wadiari debent, iuxta quod in lege continetur, pleniter ſecundum ipſam legem rewadiata fiant* etc. (b).

BANNVM, diſtrictus, iuriſdictio, iuſtitia, ambitus, intra quem porrigitur poteſtas mulctam et proſcriptionem bonorum indicendi,

o) *cap.* 16. *p.* 367. p) *tit.* 33. *p.* 151. *ſq.* q) *tit.* 11. *cap.* 9. *p.* 56. r) *tit.* 12. *c.* 5. 7. 9. *p.* 65. *ſqq.* s) *tit.* 2. *c.* 2. 4. t) *lib.* 1. *tit.* 9. §. 30. *tit.* 14. §. 9. 11. *lib.* 2. *tit.* 19. *lib.* 3. *tit.* 1. §. 31. u) *lib.* 3. *c.* 65. 66. *lib.* 4. *c.* 1. 17. 22. 32. et paſſim. x) *lib.* 3. *c.* 66. y) *tit.* 34. *c.* 3. *tit.* 41. *c.* 3. *et* 9. z) *cap.* 7. *de ſacrilegio.* a) *cap.* 30. b) *capitul. lib.* 4. *c.* 70. *append.* 2. *c.* 8. *et* 29. *Carol. C. tit.* 36. §. 21.

Digitized by Google

di, vel bannum promulgandi (c). GOBELINVS PERSONA in coſmodromio de Meinewerco epiſcopo Paderbornenſi (d): *Panem album in quotidiana diſtributione canonicis conſuetum, dandum de banno eccleſiarum, hoc eſt, de iurisdictione, primus ibidem ordinauit.*

BANNVM REGALE, vel *bannus regalis*, *bannus imperii*, in ſpeculo ſaxonico (e) eſt iurisdictio regia, imperialis, quae auctoritate regia exercetur. *Sub imperiali banno cognoſcere, iudicare* (f), auctoritate imperiali iudicium exercere. *Inueſtituram banni a rege impetrare*, *poſtulare* (g), id eſt, facultatem iudicandi. Charta Ottonis M. pro eccleſia Magdeburgenſi ann. DCCCCLXV. apud MEIBOMIVM: *Bannum noſtrae regiae vel imperatoris dignitatis in vrbe Magdeburg opus conſtruendae vrbi a circumiacentibus illarum partium incolis noſtro regio vel imperatorio iuri debitum eccleſiae in eadem ciuitate conſtructae, ſanctoque Mauricio in ius perpetuum liberaliter offerimus.* ALBERTVS Stadenſis ann. MCXLIV. *Inueſtitus eſt ergo Hartwicus praepoſitus, et Fridericus Palatinus ſororius ſuus ſuscepit pannum* (lege bannum) *a rege Conrado, et ſtatutum eſt, vt eſſet coadiutor ſuus, et iudicaret pro eo in placitis principalibus.*

BANNVM SYNODALE, WALTHRAMVS epiſcopus Naumburgenſis de inueſtitura epiſcoporum: *Poſtquam autem a Silueſtro per chriſtianos reges et imperatores dotatae, ditatae, et exaltatae ſunt eccleſiae in fundis et aliis mobilibus, et iura ciuitatum in teloniis, monetis, villicis et ſcabinis, comitatibus, aduocatiis, ſynodalibus bannis per reges delegata ſunt epiſcopis* etc.

BANNVM SCABINATVS. Speculum ſaxonicum (h): *Liber ſeu idoneus ſcabinis bannum ſui ſcabinatus, id eſt, locum vbi natus eſt, ſcabino dignus oſtendere, aut ſuos progenitores quatuor nominare non oportet, niſi* etc.

BAN-

c) DV FRESNE *l. c. p.* 463. *ſq.* d) *aetat.* 6. *c.* 52. e) *lib.* 1. *art.* 59. §. 2. 3. 5. 6. *lib.* 3. *art.* 64. §. 6. 7. 9. 13. f) *ibid. lib.* 1. *art.* 59. *lib.* 2. *art.* 12. *lib.* 3. *art.* 69. *ſq.* g) *ibid. lib.* 1. *art.* 59. §. 5. h) *lib.* 3. *art.* 29.

Digitized by Google

BANNALIS, qui intra bannum ſeu diſtrictum alicuius iurisdictionis, iuſtitiae vel dominii commanet.

BANNVM LEVGAE, *Bannileuca*, *Banleuca*, *Banleuga*, *Bannilocus*, ita dicitur, quia bannum, id eſt, iurisdictio ſeu diſtrictus, intra quem ius ponendi bannum protenditur, vt plurimum intra *leucae* ſpatium, plus minus quaquauerſum porrigitur.

BANNITI, in ſpeculo ſaxonico (i) dicuntur liberi homines, qui iura ſua ac lites diſceptant in epiſcoporum ſynodis et in comitum iudiciis. *Libertas*, inquit illius auctor, *eſt etiam tripertita, quorum primi epiſcoporum ſynodum quaerere ſolent, et hi banniti dicuntur.* Et mox: *Simili modo et ſecularia iudicia quaerere ſolent, ſcil. banniti comitum* etc.

BAPTISMVS (k) a verbi βαπτίζω ſignificatione notat vel immerſionem, intinctionem, ſiue totius ſiue partis; vel etiam aſperſionem. GREG. NAZIANZENVS (l), Pſeudo ATHANASIVS (m) et DAMASCENVS (n) octo baptiſmatum genera recenſent. *Primum* eſt vniuerſalis diluuii ad exſcindendum peccatum. TERTVLLIANVS *baptiſmum mundi* vocat (o). *Secundum* eſt Moſis, quod per mare et nubem: nubes enim ſymbolum fuit ſpiritus, mare vero, aquae (p). De hoc baptiſmo loquitur apoſtolus (q). *Tertium* eſt legale, quod Hebraei habebant: omnis enim impurus lauabatur aqua. Ad hunc ſpectant leuiticae lotiones. *Quartum* eſt Ioannis, quod ſecundum eosdem eſt introductorium et ad poenitentiam ducens baptiſatos, vt in Chriſtum crederent. De hoc infra pluribus. *Quintum*, a Chriſto inſtitutum, quo baptizat aqua et ſpiritu. Hoc vocatur a patribus *baptiſma adoptionis* (r), nec non *incorruptionis et regenerationis* (s). *Sextum*, per lacrymas, vere laborioſum. *Septimum* eſt martyrii et ſanguinis. Rationem huius appellationis addit CHRY-

i) *lib.* 1. *art.* 2. §. 2. *ſqq. art.* 3. §. 2. k) Vid. G. I. VOSSIVS *diſpp. de baptiſmo.* SVICERVS *theſ. eccl. Tom.* 1. *p.* 622. *ſqq.* l) *orat.* 39. *p.* 634. m) *quaeſt.* 103. *de parabolis ſcripturae tom.* 2. *p.* 426. *ſq.* n) *orthodox. fid. lib.* 4. *cap.* 10. *p.* 297. o) *libr. de baptiſm. c.* p) add. GREG. NYSS. *de bapt. Chriſt. tom.* 3. *p.* 375. BASIL. M. *de Spir. S. cap.* 14. CYPRIANVS *lib.* 4. *epiſt.* 6. *ad Magnum.* q) 1 Cor. 10, 2. r) CHRYSOST. *hom.* 23. in acta. CLEMENS ALEX. *Paedag. l.* 1. *c.* 6. *p.* 93. s) THEODORET. *Θεραπευτ. ſerm.* 8.

Digitized by Google

CHRYSOSTOMVS (t): *Ne miremini, quod baptiſmum vocauerim martyrium: etenim etiam hic ſpiritus copioſe adeſt et peccata tolluntur, et anima mirabiliter purgatur. Et quemadmodum qui baptizantur, aquis, ita qui martyrii coronam conſequuntur, proprio lauantur ſanguine.* Hoc ſenſu vox βαπτισμα ſumitur de Chriſto (u). *Octauum,* quod et vltimum, non ſalutare, ſed adurens, et ſine fine atque aeternum peccantes puniens.

I. CAVSA EFFICIENS baptiſmi *principalis* eſt Chriſtus, non excluſo Patre et Spiritu S., in quorum nomine, atque ſic auctoritate eſt baptizandum. *Miniſterialis* vero ſunt ordinarie eccleſiae miniſtri: vt apoſtoli et horum ſucceſſores. Iuxta conſuetudinem eccleſiae antiquae ius baptizandi habebant *ſoli epiſcopi et presbyteri*, licet hi id habuerint ex autoritate epiſcopi. Dicit id TERTVLLIANVS (x): *Dandi baptiſmi habet ius ſummus ſacerdos, qui eſt epiſcopus. Dehinc presbyteri et diaconi; non tamen ſine epiſcopi autoritate, propter eccleſiae honorem: quo ſaluo, ſalua pax eſt.* Eidem conſentit AMBROSIVS (y): *Audiſti lectionem. Succinctus eſt ſacerdos. Licet enim presbyteri fecerint; tamen exordium miniſterii a ſummo eſt ſacerdote.* Item HIERONYMVS in dialogo aduerſus Luciferianos: *Inde venit, vt ſine epiſcopi iuſſione neque presbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi.* Et BALSAMON ad canonem XLIX. apoſtolorum ſcribit: *Ideo autem epiſcoporum et presbyterorum tantum meminit canon, quia alicui alii non licet baptizare.* Quod ergo ſpeciatim *diaconos* concernit, ſciendum eſt, quod illi interdum tantum vocati fuerint tum ad menſae ſacrae miniſterium, tum ad eccleſiae quaeſturam, ſiue eleemoſynarum collectionem et pauperum curam, et his non competebat baptizandi facultas. Quidam vero etiam ad hoc fuerunt vocati, vt opitularentur paſtoribus in miniſterio verbi; et his interdum munus illud fuit conceſſum. EPIPHANIVS haereſi LXXIX. quae eſt Collyridianorum, vbi cum dixiſſet, nulli feminae, ne diaconiſſis quidem, baptizare licere; addit, ne ipſis quidem diaconis hoc conceſſum,

t) *homil.* 75. *tom.* 5. u) Matth. 20, 22. Marc. 10, 38. Luc. 12, 50. add. CHRYSOST. *hom.* 33. *tom.* 5. THEOPHYLACT. *in cap.* 20. *Matth.* et *cap.* 10. *Marc.* x) *cap.* 17. y) *de ſacrament. lib.* 3. *c.* 1.

L

ſum, ſed ſolis epiſcopis et presbyteris: *Nam neque diaconis in eccleſia concreditum eſt, vt aliquod myſterium celebrent, ſed ſolum, vt adminiſtrent, dum celebratur.* Et CLEMENS romanus (z): *Sed neque reliquos clericos baptizare permittimus: veluti lectores, cantores, oſtiarios, miniſtros; ſed ſolos epiſcopos et presbyteros, miniſtrantibus illis diaconis. Qui hoc auſi fuerint, Coritarum ſupplicium patientur.* His ergo diaconis ad miniſterium epiſcoporum et presbyterorum vocatis munus baptizandi ab epiſcopis quandoque fuit conceſſum. Praeterea in caſu neceſſitatis ius baptizandi habebant diaconi. THEODORETVS (a): *Abſente presbytero, et vrgente neceſſitate, neceſſe habet etiam diaconus, ei, qui indiget, conferre baptiſmum.* CHRYSOSTOMVS homilia LXI (b). *Si neceſſitas adſit, et infans non baptizatus reperiatur, qui morti vicinus eſt, diacono baptizare licet.*

Laicis etiam fuit ius baptizandi conceſſum, ſed in ſolo neceſſitatis caſu. Id TERTVLLIANVS iterum aſſeruit (c): *Alioquin etiam laicis ius eſt. Quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari poteſt; niſi epiſcopi iam, aut presbyteri, aut diaconi vocantur, dicentes: Domini ſermo non debet abscondi ab vllo. Proinde et baptiſmus aeque Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt; ſed quanto magis laicis diſciplina verecundiae et modeſtiae incumbit, cum ea maioribus competat, ne ſibi adſumant dicatum epiſcopis officium epiſcopatus. Aemulatio ſchismatum mater eſt. Omnia licere, dixit ſanctiſſimus apoſtolus, ſed non omnia expedire. Sufficiat ſcilicet, in neceſſitatibus, vt vtaris: ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonae conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum viget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit praeſtare, quod libere potuit.* Eo ergo in caſu, vbi non eſt copia presbyteri, omnibus laicis, dummodo ſint baptizati, permittit baptizare. Concilium etiam Illiberitanum idem pene concedit canone XXXVIII. (d): *Peregre nauigantes, aut ſi eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem (qui lauacrum ſuum*

z) *Conſtitut. lib. 3. c. 11.* a) *quaeſt. 1. in 2. paralip. p.* 389. b) *tom. 7. pag. 423.* c) *libr. de baptiſmo cap. 17.* d) ad hunc canonem prouocauit WALAFRIDVS STRABO *lib. de diu. off. cap. 26.*

Digitized by Google

ſuum integrum habet, nec ſit bigamus,) baptizare in neceſſitate, ita vt, ſi ſuperuixerit, ad epiſcopum eum perducat, vt per manus impoſitionem perfici poſſit. Patres hi in homine fideli exigunt baptiſma integrum, intellige ratione materiae et formae. Cur vero bigamos excludant, non ſatis apparet, niſi quod forte bigamiae, quam auerſabantur quidam maxime, repagulum opponerent. HIERONYMVS dialogo aduerſus Luciferianos: *Si neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere laicis baptizare. Vt enim accipit quis, ita et dare poteſt.* AVGVSTINVS, quamuis videatur non vsque adeo certus fuiſſe, quid fieri conueniat, in vulgatiorem tamen ſententiam magis inclinat tomo VII. contra epiſtolam Parmeniani (e): *Si laicus aliqua ſacramenta* (ſermo eſt de baptiſmo) *pereunti dederit, neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe, addidicit: neſcio, an pie quisquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris vſurpatio eſt; ſi autem neceſſitas vrgeat, aut nullum, aut veniale, delictum eſt.* GELASIVS epiſtola ad vniuerſos epiſcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam conſtitutos ſimiliter neceſſitatis caſum excipit: *Absque epiſcopo vel presbytero baptizare non praeſumat diaconus; niſi praedictis fortaſſe officiis longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellat: quod et laicis chriſtianis facere plerumque conceditur.* ISIDORVS (f): *Vnde conſtat, baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe traditum, cuiusque myſterium nec ipſis diaconibus explere eſt licitum absque epiſcopis vel presbyteris; niſi illis abſentibus, vltima languoris cogat neceſſitas: quod et laicis fidelibus plerumque permittitur; ne quisquam ſine remedio ſalutari de ſeculo euocetur* (g). Duo illi id reſtringunt ad τὸ *plerumque*, atque adeo non ſemper; niſi forte minus curate loquentes idem tamen ſenſerint. Praeterea etiam NICEPHORI *Homologetae* canon L. huc eſt referendus: *Infantes non baptizatos, ſi quis talis reperiatur abſente epiſcopo, baptizari oportet. Si etiam proprius pater baptizet, vel qualiscunque tandem homo, dummodo ſit chriſtianus, non eſt peccatum.* Et canone XXXIX: *In caſu neceſſitatis etiam ſimplex monachus baptizat.* Cum his tamen non videtur conſen-

e) *lib. 2. cap. 13.* f) *de off. eccleſ. lib. 2. cap. 24.* g) citat haec GRATIANVS *can. In neceſſitate. de Conſecr. diſt. 4.*

Digitized by Google

ſentire BASILIVS, qui in *epiſtola ad Amphilochium* (h) ait, omnes ab haereticis baptizatos eſſe rebaptizandos, veterumque hoc fuiſſe iudicium, baptiſmum eorum non maioris eſſe faciendum, quam ſi quis baptizatus foret a laicis: *Idcirco eos, velut a laicis baptizatos, cum ad eccleſiam venirent, iuſſere vero eccleſiae baptiſmo repurgari.* Haec ipſa verba indicare videntur, quod baptiſmum laicorum minime pro vero agnouerit (i). Fortaſſe autem non omnem baptiſmum a laico fideli collatum, praecipue in caſu neceſſitatis, reiicit BASILIVS, ſed illum duntaxat, qui nulla cogente neceſſitate fuit datus. Vt vero hic, iudice Auguſtino, eſt alieni muneris vſurpatio, ſic haereticorum baptiſma erit eiusdem conditionis: quoniam ſecundum veterum Doctorum, in controuerſia de rebaptizatione ab haereticis baptizatorum, ſententiam, haeretici non habent eccleſiam, nec baptiſmum: ſi ergo nihilominus eum conferunt, erit iſte alieni muneris vſurpatio, aeque ac ille laicorum, ſi extra neceſſitatem baptizant. Eſt tamen alius adhuc caſus circa laicos, qui ſecundum veteris eccleſiae diſciplinam in poenitentiae gradibus conſtituti erant, an hi quoque baptiſmum conferre potuerint petentibus. Legitur talis caſus, Auguſtino ad Fortunatum tributus, ſiue verus ſiue fictus (k): *Nam cum illa hiſtoria narratur, omnes, qui audiunt, prope ad lacrymas mouet. Dum in naui quadam fidelis nullus eſſet, praeter vnum poenitentem, coepit imminere naufragium. Erat ibi quidam non immemor ſalutis ſuae, et ſacramenti vehementiſſimus flagitator; nec erat aliquis, qui dare poſſet, niſi poenitens ille. Acceperat enim, ſed pro peccato, de quo agebat poenitentiam, amiſerat ſanctitatem, non amiſerat ſacramentum. Nam ſi hoc amittunt peccantes, cum reconciliantur poſt poenitentiam, quare non iterum baptizantur? dedit ergo quod acceperat: et ne periculoſe vitam finiret, non reconciliatus, petiit ab eo ipſo, quem baptizauerat, vt eum reconciliaret, et factum eſt, naufragium euaſerunt. Cognitum habes, quod fecerunt. Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, vt conſiliis eorum illo periculo damnum crederet*

h) *can.* 1. *pag.* 759. i) Idem iudicat DION. PETAVIVS in *animadu. in Epiphan. pag.* 341. k) *de conſecrat. diſt.* 4. *c. Sanctum.*

deret affuiſſe. Motus enim animus religioſus et ſupplex ab homine exegit ſacramentum, a Deo ipſe impetrauit ſanctitatem. Quod ſi forte hoc, quod narraui de his, qui naufragio imminente periclitabantur, non vult aliquis credere, (non enim hoc ſcripturarum diuinarum auctoritas, ſed incerto autore fama commendat) non repugnabo; ſed interrogabo, ſi tale quid contingat, quid futurum eſt? Non enim poteſt quisquam dicere relinquendum, qui morte imminente baptizari deſiderat. Quem baptizatum a poenitente quisquis non credit contigiſſe, oportet, vt credat, poſſe contingere.

Mulierum quoque baptiſmum reſpexere veteris eccleſiae Doctores, quorum teſtimonia ſequentibus ſeculis diuerſimode, pro partium hypotheſibus, fuere explicata. Primo loco iterum audiendus eſt TERTVLLIANVS (l): *Petulantia autem mulierum*, (Quinctillae et Priſcillae) *quae vſurpauit docere, vtique non etiam tingendi ius ſibi pariet; niſi ſi quae noua beſtia euenerit ſimilis priſtinae: vt quemadmodum illa baptiſmum auferebat, ita aliqua per ſe eum conferat. Quod ſi, quae Pauli perperam ſcripta legunt, exemplum Theclae ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt: ſciant, in Aſia presbyterum, qui eam ſcripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, conuictum atque confeſſum, id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe. Quam enim fidei proximum videretur, vt is docendi et tingendi daret feminae poteſtatem, qui ne diſcere quidem conſtanter mulieri permiſit.* Si locum hunc vna cum ſcopo Tertulliani conſidero, agit ille ex profeſſo de petulantia mulierum, quae ordinarie munus docendi et tingendi ſibi vindicabant, in eccleſia minime tolerandum. Id quod colligimus ex more Pepuzianorum, de quibus EPIPHANIVS (m): *Pepuziani ---- tantum dantes mulieribus principatum, vt ſacerdotio apud eos honorentur.* Idem (n): *Apud eos mulieres ad epiſcopatum et presbyterium promouentur.* MARCION quoque *permiſit mulieribus licentiam baptizandi* (o). Inde manifeſto apparet, ſermonem eſſe de ordinario munere, quod alias viris competit. Recte ergo

l) *lib. de baptiſmo cap.* 17. m) *haer.* 27. n) *haer.* 49. *p.* 182. o) ibid. *haer.* 42. *p.* 136. BALSAMON *ad can.* 95. *Trullan. p.* 484.

Digitized by Google

go iterum TERTVLLIANVS dixit (p): *Non permittitur mulieri in eccleſia loqui; ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officii ſortem, ſibi vindicare.* Reſpicit locum Pauli, vbi mulieri praecipitur in eccleſia tacere, id eſt, non docere: quo iure autem hoc ordinarium munus in eccleſia illi interdicitur, eodem modo etiam reliqua cum hoc connexa non conceduntur. Per virile munus, quod a ſacerdotali officio diſtinguitur, intelligi posſunt aliae actiones, e. g. publice praelegere ſcripturam ſacram, cantorem agere atque alia in conuentu eccleſiaſtico ordinare: a quibus omnino etiam mulieres excluduntur. Eodem ſenſu accipienda eſſe puto, quae ille alibi habet (q): *Ipſae mulieres haereticae, quam procaces! quae audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan et tingere.* In opere conſtitutionum apoſtolicarum, quod Clementi romano tribuitur, habetur haec conſtitutio: *Non oportet mulieres baptizare: hoc enim impium et a doctrina Chriſti alienum.* Pro hac ſententia ſtabilienda multa ibidem afferuntur argumenta. EPIPHANIVS quoque de Collyridianis loquens, ait (r): *Sed neque baptiſma dare concreditum eſt*, ſc. B. virgini. *Alioqui potuiſſet Chriſtus ab ipſa baptizari potius, quam a Ioanne* (s). Idcirco inquit paullo poſt: *Eccleſiaſticus ordo nec presbyteras, nec ſacrificulas ordinauit.* Ex his quoque conſtat, illa intelligenda eſſe de munere ordinario. Addo tandem concilium Carthaginenſe IV. cuius canon C. ita ſe habet: *Mulier baptizare non praeſumat.* Quamuis vero per conſequentiam ex locis ſupra adductis baptiſmus mulierum colligi posſit, id tamen fatendum erit, nullibi patres tam clare et diſtincte de tali baptiſmo in caſu neceſſitatis loqui, vt fecere de baptiſmo laicorum. Sequentibus temporibus expreſſe coeperunt ſcribere, dicta illa et leges non debere abſolute excipi, ſed cum exceptione caſus neceſſitatis. Hinc WALAFRIDVS STRABO canonem Carthaginenſem ante citatum ita interpretatur (t): *Victor etiam XV. romanorum pontifex conſtituit;*

p) *lib. de veland. virgin. cap.* 9. q) *lib. de praeſcript. cap.* 41. r) *haer.* 79. *pag.* 447. s) Eadem leguntur *Conſtit. apoſt. lib.* 3. *cap.* 9. *pag.* 895. t) *lib. de diu. off. cap.* 26.

Digitized by Google

ſtituit, vt neceſſitate faciente, liceat, vbi inuentum fuiſſet, ſiue in flumine, ſiue in mari, ſiue in fontibus, chriſtianae credulitatis confeſſione clarificata, quicunque ex gentilitate veniens, baptizaretur. In hoc tamen et ſimilibus, non tribuitur quibuscunque baptizandi indiſcreta licentia, cum concilio Carthaginenſi mulieres probibeantur baptizare; ſed demonſtratur per hoc, vbi ineuitabilis neceſſitas poſcit, melius baptizari vbicunque, et a quocunque, in nomine Trinitatis, quam periclitantem ſine remedio deperire. Inde forte factum, vt a iunioribus (u) canoni illi haec verba fuerint adiuncta: *niſi neceſſitate cogente.* Tandem concilium Florentinum in decreto ſuper vnione Armenorum ita ſtatuit: *Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare. In caſu autem neceſſitatis non ſolum ſacerdos vel diaconus, ſed etiam laicus et mulier, imo ettiam paganus et haereticus baptizare poteſt, dummodo formam ſeruet eccleſiae, et facere intendat, quod facit eccleſia.* Et ita res quoque habet in eccleſia orientali, referente METROPHANE CRITOPVLO (x): *Neceſſitate autem vrgente, ſtatim poſt natiuitatem baptizatur, quod genitum eſt; et, ſi presbyter non adſit, obſtetrix id facit, verba illa diuina ſupra citata pronuncians, et ſi infans conualuerit, baptiſmus hic ei ſufficit.*

Puerorum fidelium baptiſmus, aliis pueris collatus, a ſcriptoribus eccleſiaſticis notatus legitur, praecipue Athanaſii pueri. RVFINVS eccleſiae Aquileienſis presbyter huius rei mentionem primus fecit in hiſtoria eccleſiaſtica (y): *Verum*, inquit, *non mihi absque ordine videtur, pauca de huius viri* (Athanaſii) *origine ſupra repetere, et cuius a puero inſtitutionis fuerit, ſicuti ab his, qui cum ipſo vitam duxerant, accepimus, memorare. Tempore, quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander epiſcopus agebat, cum poſt expleta ſolennia, conuenturos ad conuiuium ſuum clericos expectaret, in loco mari vicino videt eminus puerorum ſupra oram maris ludum imitantium, vt fieri ſolet, epiſcopum, atque ea, quae in eccleſia geri mos eſt;*

u) LOMBARDVS *lib.* 4. *ſentent.* et GRATIANVS *de conſecr. diſt.* III. *c. Mulier.* x) in *confeſſ. eccleſ. orient. cap.* 7. *p.* 87. y) *lib.* 10. *c.* 14.

Digitized by Google

eſt; ſed cum intentius diutine pueros inſpectaret, videt, ab his geri quaedam etiam ſecretiora et myſtica. Perturbatur illico, vocari ad ſe clericos iubet, atque eis, quid eminus ipſe videret, oſtendit. Tum abire eos, et comprehenſos ad ſe perducere omnes pueros imperat. Cumque adeſſent, quis eis ludus, et quid egiſſent, vel quomodo? percunctatur. Illi, vt talis habet aetas, pauidi, negare primo, deinde rem geſtam per ordinem pandunt, et baptizatos a ſe eſſe quosdam catechumenos confitentur per Athanaſium, qui ludi illius puerilis epiſcopus fuerat ſimulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve reſponderint? ſimul et ab eo, qui interrogauerat. Vbi videt, ſecundum religionis noſtrae ritum cuncta conſtare, collocutus cum concilio clericorum, ſtatuiſſe traditur, illis, quibus integris interrogationibus aqua fuerat infuſa, iterari baptiſmum non debere, ſed adimplere ea, quae a ſacerdotibus mos eſt. Athanaſium vero atque eos, quos ludus ille vel presbyteros habere viſus fuerat, vel miniſtros, conuocatis parentibus, ſub Dei obteſtatione eccleſiae tradit nutriendos. Paruo autem tempore cum a notario integre et a grammatico ſufficienter Athanaſius fuiſſet inſtructus, continuo, tanquam fidele Domini commendatum, a parentibus reſtituitur ſacerdoti, ac veluti Samuel quidam in templo Domini enutritur, et ab eo pergente ad patres in ſenectute bona, ad portandum poſt ſe Ephod ſacerdotale eligitur. Ex Rufino proxime ſua habent SOCRATES (z), SOZOMENVS (a), quos dein ſequuntur alii, WALAFRIDVS STRABO (b), autores vitae Athanaſianae (c), SIMEON METAPHRASTES (d), PETRVS DAMIANI (e), NICEPHORVS CALLISTVS (f), etc. Totam hanc relationem Rufini in peculiari diſſertatione, cuius titulus eſt: *Puer Athanaſius baptizans* (g), pluribus examinaui. Redit res omnis eo, quod iudicio optimorum criticorum Rufinus admodum credulus et in fabulas incertosque plebeculae rumores propenſus fuerit, ipſe prae-

z) *H. E. lib.* 1. *c.* 15. *p.* 44. *ſq.* a) *H. E. lib.* 2. *c.* 17. *p.* 466. *ſq.* b) de *diu. off. c.* 26. c) qui habentur *Tom.* 2. *opp.* ATHANASII *pag.* 519. et 570. d) in *vita Athanaſii.* e) in *libro,* qui appellatur *Gratiſſimus, cap.* 30. f) *H. E. lib.* 8. *c.* 44. *p.* 430. g) Helmſt. ann. 1701.

praeterea fateatur in praefatione hiſtoriae ſuae, ſe partem ex maiorum traditionibus habuiſſe; et integro pene ſeculo a facto Athanaſii abfuerit. Ante Rufinum nullus ſcriptorum Athanaſio coaeuus vel proximus de eo aliquid habet, ne GREGORIVS quidem *Nazianzenus*, qui laudes Athanaſii prolixe enarrauit (h). Dein Athanaſii aetas, prout illa communiter aſſignatur, facto ſatis reſpondere non videtur: Porro aliud ſuadere videtur diſciplina arcani, quae hoc tempore, vt alibi, ſic in eccleſia Alexandrina etiam obtinuit. Imo ſi tale quid feciſſet Athanaſius contra conſtitutiones eccleſiaſticas, aduerſarii eius id minime tacuiſſent. Tandem talis baptiſmus neque ex ſe neque ex conſtitutionibus eccleſiaſticis valorem habuiſſet. Addo de tali mimico, ioculari et puerili baptiſmo AVGVSTINI iudicium (i): *Vbi autem neque ſocietas vlla eſſet ita credentium; neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet; ſed totum ludicre et mimice et ioculariter ageretur: vtrum approbandus eſſet baptiſmus, qui ſic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum, concordi oratione et impenſis ſupplici deuotione gemititibus, implorandum eſſe cenſerem.*

Ab *infidelibus* (pagano vel Iudaeo) collatus baptiſmus quondam in controuerſiam venit. AVGVSTINVS de illis haeſit (k): *Et haec quidem alia quaeſtio eſt: vtrum et ab his, qui nunquam fuerunt chriſtiani, poſſit baptiſmus dari? Nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti concilii, quantum tantae rei ſufficit. De iis vero, qui ab eccleſiae vnitate ſeparati ſunt, nulla iam quaeſtio eſt.* Sed GRATIANVS quorundam deciſiones collegit, et quidem primo Iſidori (l): *Romanus pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, ſed ſpiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi; licet paganus ſit, qui baptizat.* Dein Nicolai pontificis, ad conſulta Bulgarorum reſpondentis (m): *A quodam Iudaeo (neſcitis, vtrum chriſtiano, an pagano) multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, et quid de his ſit agendum*

h) *orat.* 21. *p.* 373. *ſq.* i) *libr.* 7. *de baptiſmo contra Donatiſtas, cap.* 53. *p.* 105. *G.* k) *contra epiſtol. Parmen. lib.* 2. *c.* 13. l) *de conſecrat. diſt.* 4. *c. Romanus.* conf. *Cauſ.* 2. *quaeſt.* 1. 59. m) *de conſecr. diſt.* 4. *c. A quodam.* vbi nota, quosdam velle, nomen *Iudaei* hoc loco non eſſe religionis, ſed mercaturae.

dum conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine ſanctae Trinitatis, vel tantum in Chriſti nomine, ſicut in actibus apoſtolorum legimus, baptizati ſunt, vnum quippe et idem eſt, vt ſanctus Ambroſius exponit; conſtat, eos non eſſe denuo baptizandos.

II. *Materia* baptiſmi eſt aqua ex mandato Chriſti, in quo verbum *baptizare* abſolute poſitum immerſionem in aquam vel aſperſionem aquae denotat: accedit praxis totius eccleſiae a temporibus apoſtolorum ad noſtra vsque tempora, iuxta quam ſola aqua fuit adhibita. GREGORIVS *Nyſſenus* (n): *Ad Deum preces, et gratiae coeleſtis inuocatio, et aqua, et fides ſunt ea, per quae perficitur myſterium regenerationis.* AVGVSTINVS (o): *Tolle aquam, non eſt baptiſmus.* Vera autem et naturalis aqua deſideratur, vndecunque petita, ſiue ex flumine, ſiue ex fonte, vel aliunde. TERTVLLIANVS (p): *Nemo dicat: numquid ipſis enim aquis tingimur, quae tunc in primordio fuerunt? non vtique ipſis, niſi ex ea parte, qua genus quidem vnum, ſpecies vero complures. Quod autem generi adtributum eſt, etiam in ſpecie redundat. Ideoque nulla diſtinctio eſt, mari quis, an ſtagno, flumine, an fonte, lacu, an alueo diluatur; nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit. Niſi et ille ſpado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus ſalutis aut minus retulit.* Ab hac inſtitutione diuina receſſerunt haeretici, et hos inter nominatim Marci ſectatores quidam (q), *qui adducere quidem ad aquam ſuperuacuum eſſe dixerunt, admiſcentes autem oleum et aquam in vnum, cum profanis dictionibus, ſimilibus, quae ſupra praediximus, mittunt ſuper eorum caput, qui ſacrantur: et hoc eſſe redemtionem volunt; vngunt autem et ipſi opobalſamo.* Seleuciani et Hermiani *baptiſmum in aqua non accipiebant*, teſte AVGVSTINO (r), qui tamen cauſam non exprimit. Ea vero eſt, quod Ioannes baptiſta, ſuum et Chriſti baptiſma comparans, diuerſam faciat materiam amborum: ſui quidem aquam, ſed Chriſti, ignem, vt patet ex PHILASTRIO (s): *Seleucus et Hermius, haeretici, animas hominum de igne et ſpi-*

n) *orat. catechet. cap.* 33. o) *tract.* 15. *in Ioann.* p) *libr. de baptiſmo cap.* 4. *p.* 277. q) ap. IRENAEVM *adu. haer. lib.* I. *cap.* 18. *p.* 100. r) *haer.* 59. *p.* 299. s) *de haeret.*

ſpiritu exiſtimantes, iſto Baptiſmo non vtuntur, propter verbum hoc, quod dixit Ioannes baptiſta: ipſe vos baptizabit in ſpiritu et igne. Huc quoque ſpectant Manichaei, de quibus iterum AVGVSTINVS (t): *Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibebant ſalutis afferre, nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putabant*, quod crederent, aquae creatorem eſſe malum daemonem.

In caſu autem neceſſitatis ſequentibus temporibus quaeſitum fuit, an loco aquae naturalis purae ac mundae, alia quaevis aqua occurrens adhiberi poſſit? Quae mens fuerit quorundam doctorum ſcholaſticorum in hoc negotio, expreſſit GVIDO *de monte Rocherii* in manuali (u): *In lixiuio*, inquit, *ſi aqua non poſſet inueniri, poſſet fieri baptiſmus; cum lixiuium nihil aliud ſit, quam aqua colata per cineres; et propter eandem rationem dicunt aliqui doctores, quod in vrina propter defectum aquae poſſet baptizari; quod non credo verum: quia vrina non eſt aqua, ſed humor reſolutus a cibis comeſtis. Et idem dico de ſaliua. Sed nonne in brodio carnium poſſet fieri baptiſmus, vbi aqua non poſſet inueniri? dicendum eſt, quod aut tanta reſolutio carnium eſt facta in brodio illo, quod deſiuit ſpecies aquae eſſe, et eſt alia ſpecies de nouo generata: et tum non poteſt fieri baptiſmus; aut non eſt ibi tanta reſolutio carnium facta: et tunc fieri poteſt, et in tali brodio baptizari. Et idem dico de luto, ſcilicet ſi aqua exprimatur ex illo, in aqua illa expreſſa poſſet fieri baptiſmus.* Porro quaeſtio mota fuit, an aqua deficiente, liceat, vino, lacte aut ſimili liquore baptizare? De vino inter Stephani II. papae reſponſa (x), quae cum in Francia eſſet, in Cariſiaco villa, Brittaniaco monaſterio, dedit ad varia conſulta, de quibus fuerat interrogatus, anno Chriſti DCCLIV. in ordine vndecimum ita ſe habet: De presbytero, qui, cum deeſſet aqua, periclitantem infantem vino baptizauit: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inueniebat, omnino periclitantem infantem baptizauit, nulla ei exinde adſcribitur culpa. Infantes ſic permaneant in ipſo baptiſmo. Nam ſi aqua adfuit, praeſens ille presby-*

t) *loc. cit. haer.* 46. *p.* 225. u) *cap.* 2. *de baptiſmi materia.*
x) a SIRMONDO primum ex vetere exemplari in lucem edita: habentur ea quoque in *diſſertatione* HARDVINI ſtatim citanda.

Digitized by Google

presbyter excommunicetur et poenitentiae ſubmittatur: quia contra canonum ſententiam agere praeſumſit. Circa hoc reſponſum aliqui deſudarunt, quorum pars putat, credibile eſſe, Stephanum ita reſpondiſſe, habuiſſeque eius rei cauſam; pars altera vero iudicat, canonem laborare mendo et lectionem ita eſſe reſtituendam hoc modo: *Nulla ei culpa adſcribitur, ſi infantes in eo baptiſmo permaneant.* Sed neutra ſententia *Io. Harduino S. I.* placet (y), qui oſtendere vult, e nouemdecim capitulis ſiue reſponſis, quae Stephano adſcribuntur, decem omnino ſuppoſititia eſſe, et ea inter vndecimum, quod adduximus. Armenis quoque hic error tribuitur, *quod varie baptizant, quidam in aqua, quidam in vino, quidam in lacte*, referente THOMA WALDO (z). De BEZA praeterea conſtat, quod in epiſtola ad Thomam Tillium ſcripſerit: *Deſit etiam aqua, et tamen baptiſmus alicuius differri cum aedificatione non poſſit, nec debeat; ego certe quovis alio liquore, non minus rite quam aqua, baptizarim. Nec aliter de his rebus ipſi etiam ſuperſtitioſiſſimi ſcholaſtici ſcriptores cenſuerunt.* Quae mens ſit quorundam ſcholaſticorum, ex antecedentibus patebit; ipſam vero Bezae ſententiam RIVETVS ſcribit eſſe priuatam (a), atque eſſe eam intelligendum de liquore, qui ad maculas corporis eluendas aptus ſit, non quo macularetur aſperſus, quod de atramento et ſimilibus intelligi nequit. Non repugno tamen, addit, vt haec problematica habeantur. Communior et verior ſententia eſt, tam irritum, ſi vinum aquae ſubſtituatur, baptiſmum fore, quam euchariſtiam haud rite peragi, ſi in vini locum aqua ſubrogetur.

Tandem in materia baptiſmi occupatus, tacere non poſſum *baptiſmum per arenam.* Huius meminerunt SOPHRONIVS ſophiſta, ſiue IO. MOSCHVS (b), CEDRENVS (c) et NICEPHORVS CALLISTVS (d). Cedreni tantum verba dabimus: *M. Antonini imperio, quidam Ebraeus per ſolitudinem iter cum Chriſtianis faciens, cum in grauem morbum delapſo iam vitae diſcrimen*

y) in *quaeſtione triplici de baptiſmo*, quarum media eſt de baptiſmo in vino, Pariſ. 1688. 4. z) *libr.* 2. *cap.* 114. ex GVIDONE Carmelita, *de erroribus Armeniorum.* a) in *catholico orthodoxo tom.* 2. *p.* 32. b) in *Prato ſpirituali cap.* 176. c) in *compend. hiſtor. p.* 206. d) *hiſt. eccl. lib.* 3. *c.* 37.

Digitized by Google

crimen impenderet, Chriſtianos per Dei nomen obteſtatus eſt, vt ſe baptizarent. Cum vero neque aqua ad manum eſſet, neque ſacerdos Chriſtianis, veſtibus hominem nudarunt, et ipſorum quidam manibus arenam hauſtam tertium eius capiti infudit, tertium dicens: baptizatur Theodorus in nomen Patris, et Filii et Spiritus S. Atque ille Ebraeus ſimul atque ita baptizatus eſt, confeſtim morbo ſuo prorſus eſt liberatus. Poſtquam Alexandriam peruenerunt, res ea Dionyſio papae ad diiudicandum expoſita eſt: is hominem denuo aqua baptizari iuſſit, atque eum, qui arena illum baptizauerat, diaconum, vt eo munere dignum, delegit. Neque hoc iniuria. Magnus enim Gregorius baptiſmorum genera ſic enumerat: Baptizauit Moſes aqua; atque ante nube et mari. Baptizauit et Ioannes, non iam iudaico more, neque ſola aqua, verum ad reſipiſcentiam. Baptizat et Ieſus, ſed ſpiritu: ea eſt perfectio. Noui et quartum baptiſmum, qui fit, cum ob veritatis confeſſionem ſanguis effunditur. Noui et quintum, per lacrymas. *Ergo quia nihil horum fuit, iuſte non eſt receptus.* Recte ita iudicauit epiſcopus Alexandrinus; licet Nicephorus id minus recte expreſſerit, ſcribens, eccleſiae Alexandrinae viſum fuiſſe, *aqua inſuper ad eum initiandum, iuxta eccleſiae traditionem, abluendum eſſe, vt ita, quod ſacro ei deeſſet, ſarciretur.* Ex his enim verbis centuriatores Magdeburgenſes (e) collegerunt, eccleſiae illius mentem fuiſſe, *baptizatum eſſe Iudaeum, ſi modo aqua denuo perfunderetur.* Vide noſtram diſſertationem de *baptiſmo per arenam.*

Vſus aquae baptiſmatis conſiſtebat in baptizandorum *immerſione* in eandem et *emerſione* ex illa, et poſtea *aſperſione.* Primis aliquot ſeculis, quae apoſtolicum aeuum proxime exceperunt, trina *demerſio* et *emerſio,* graecis ἀνάδυσις et κατάδυσις, obtinuit, eaque adumbrare voluerunt patres vel perſonarum trinitatem, vel mortem, ſepulturam et reſurrectionem Chriſti, vel mortificationem veteris noſtri hominis, et viuificationem noui; ſed ita vt interdum ex his vnum, quandoque duo vel plura coniungant. TERTVLLIANVS aduerſus Praxeam (f): *Nouiſſime mandauit, vt tingerent in Patrem, Filium et Spiritum ſanctum, non in vnum. Nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina,*

e) *cent. 2. cap. 6. p. 82.* f) *cap. 26.*

na, in perſonas ſingulas tingimur. Tingere vero alibi (g) explicat per mergitare. *Dehinc*, inquit, *ter mergitamur.* AMMONIVS (h): *Tres fiunt demerſiones et tres emerſiones, vt cognoſcamus, potentia Patris et Filii et Spiritus ſancti omnia peragi.* AVGVSTINVS in quarta homilia, prout citatur a GRATIANO (i): *Poſtquam vos credere promiſiſtis, tertio capita veſtra in ſacro fonte demerſimus: qui ordo baptiſmatis duplici myſterii ſignificatione celebratur. Recte enim tertio merſi eſtis, qui accepiſtis baptiſmum in nomine ſanctae Trinitatis. Recte tertio merſi eſtis, qui accepiſtis baptiſmum in nomine Ieſu Chriſti; qui etiam die tertia reſurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita demerſio typum dominicae exprimit ſepulturae, per quam Chriſto conſepulti eſtis in baptiſmo, et cum Chriſto reſurrexiſtis in fide: vt peccatis abſoluti in ſanctitate virtutum Chriſtum viuatis imitando.* Dein quidam patrum reſpiciunt mortem duntaxat et ſepulturam. BASILIVS M. de Spiritu S. (k): *Tribus demerſionibus, ac totidem inuocationibus magnum baptiſmatis myſterium peragitur, vt et mortis figura adumbretur, et per traditionem diuinae cognitionis animus illuminetur eorum, qui baptizantur.* THEOPHYLACTVS (l): *Qui baptiſmate abluitur, cum Chriſto ſepelitur, per trinam demerſionem trium dierum Domini ſepulturam ſignificans, et moriens, quod ad veterem et ad peccatum procliuem hominem attinet.* DAMASCENVS (m): *Typus mortis Chriſti eſt baptiſma: nam per tres immerſiones, tres dies ſepulturae Domini repraeſentat baptiſma.* Alii vero ſiſtunt et mortem et reſurrectionem. CHRYSOSTOMVS (n): *Baptizari et demergi, deinde ſurſum remeare et emergere, eſt ſymbolum deſcenſus ad inferos, et ex eo aſcenſus.* GREGORIVS Nyſſenus (o): *Aqua ter infuſa, ex ea rurſus aſcendentes, ſalutarem imitamur ſepulturam et reſurrectionem tempore triduano factam.* Concilium Toletanum IV. (p): *Nam*

g) *de corona militis, cap.* 3. *p.m.* 121. h) *caten. in cap.* 3. *Ioh.* add. DIONYSIVS *Areopag. eccleſ. hierarch. cap.* 2. *part.* 2. i) *de conſecr. diſt.* 4. *can.* 76. k) *cap.* 15. *tom.* 2. *p.* 177. l) *ad verſ.* 12. *cap.* 2. *ad Coloſſ. p.* 650. m) *orthod. fidei lib.* 4. *cap.* 10. *p.* 296. n) *hom.* 40. *in* 1. *ad Corinthios.* o) *orat. catechet. cap.* 35. *tom.* 3. *pag.* 99. item *de baptiſmo Chriſti tom.* 3. *p.* 372. p) *can.* 5.

Digitized by Google

Nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt, et rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. PHOTIVS apud Oecumenium (q): *Trina immerſio et emerſio in baptiſmo, mortem et reſurrectionem denotat.* Apud ATHANASIVM quaeſt. XCIV. de parabolis ſcripturae (r): *Immergere infantem in piſcina ter, et emergere, illud ſignificat mortem, et tertio die factam reſurrectionem Chriſti.* Porro veterem et nouum hominem intelligi poſſe per illas actiones, alibi (s) indicauit CHRYSOSTOMVS: *In aqua tanquam in ſepulchro quopiam, caput immergentibus nobis, vetus homo ſepelitur, ac demerſus totus inferius occultatur. Deinde nobis emergentibus, nouus inde exurgit.* In actis concilii Nicaeni I. (t): *Deſcendit quidem, qui baptizatur, peccatis obnoxius, aſcendit vero, a peccato liberatus.* Hic quoque audiendus eſt GREGORIVS Nazianzenus (u): *Cum Chriſto per baptiſmum ſepeliamur, vt et cum eo reſurgamus, cum eo deſcendamus, vt ſimul etiam extollamur, cum eo aſcendamus, vt ſimul quoque gloria afficiamur.* Iuniores ſcriptores alias rationes myſticas excogitarunt, vti ALBINVS, ſeu ALCVINVS FLACCVS de diuinis officiis (x): *Recte homo, qui tertio gradu peccati, id eſt, conſenſu, cecidit in mortem, tertio eleuatur, vt de fonte per gratiam reſurgat ad vitam.* Item HONORIVS in gemma animae (y): *Ter mergitur, quia anima tribus modis, ſcilicet cogitatione, locutione et opere moritur; et his tribus mortibus per fidem Trinitatis eripitur. Ter etiam ideo mergitur, quia omne peccatum tribus modis, ſcilicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu committitur. Ter quoque ideo mergitur, vt homo a naturalis, et a ſcriptae legis et euangelii praedicatione, ſaluatur.*

Vtrum vero haec conſuetudo demergendi et emergendi *traditione* ad nos peruenerit, an *dominico praecepto?* ne inter veteres

q) *in cap.* 6. *ad Romanos pag.* 291. add. *Conſtitut. apoſtol. lib.* 3. *cap.* 17. *p.* 900. THEOPHYLACTVS *ad verſ.* 1. *cap.* 3. *Coloſſ. p.* 658. item *ad verſ.* 2. *cap.* 10. *epiſt.* 1. *ad Corinthios p.* 240. DIONYSIVS *Areop. loc. cit. cap.* 1. *part.* 2. *pag.* 217. GERMANVS *Conſtantinopolitanus hiſt. eccl. p.* 146. r) *tom.* 2. *pag.* 422. s) *in cap.* 3. *Ioh. ad verſ.* 5. t) *part.* 2. *pag.* 173. u) *orat.* 40. *pag.* 642. x) *cap. de ſabbatho ſancti paſchae.* y) *lib.* 3. *cap.* 111.

Digitized by Google

teres quidem ſatis conuenit. BASILIVS M. libro de Spiritu S. (z) eam ex traditione non ſcripta deducit: *Ter vero immergi hominem, vnde? reliqua item, quae fiunt in baptiſmo: velut, renuntiare ſatanae, et eius angelis, ex qua ſcriptura habemus? nonne ex minime publicata et arcana traditione hac?* HIERONYMVS dialogo aduerſus Luciferianos: *An neſcis etiam eccleſiarum hunc eſſe morem, vt baptizatis poſtea manus imponatur, et ita inuocetur Spiritus S.? Exigis, vbi ſcriptum ſit? in actibus apoſtolorum. Etiamſi ſcripturae autoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus, inſtar praecepti obtineret: nam et multa, quae per traditionem in eccleſia obſeruantur, autoritatem ſibi ſcriptae legis vſurpauerunt: velut in lauacro ter caput mergitare* etc. Ad eandem etiam refert SOZOMENVS (a): poſtquam enim docuiſſet, Eunomium ſimplam introduxiſſe immerſionem, ſtatim ſubiicit, eum hac ratione *auſum eſſe adulterare traditionem, inde ab apoſtolis hucusque apud omnes obſeruatam.* Alii tamen trinam iſtam immerſionem ad dominicum referebant praeceptum: vt conditores canonum, qui apoſtolis tribuuntur: canon enim XLIX. ſic habet: *Si quis epiſcopus, aut presbyter, in vna initiatione non tres immerſiones, ſed vnam duntaxat, quae in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate, ſed, profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* Hoc ſolum vult canon, (vt graeci interpretes, Zonaras et Balſamon, recte haec verba ceperunt,) exinde quod apoſtolus dicat, baptizari nos in mortem Chriſti, quae vnica eſt, immerſionis numerum peti non debere; ſed potius ex formula baptiſmi, qua tres deitatis perſonae exprimuntur. Nec alia mens eſt CHRYSOSTOMI homilia XVII. quae eſt de fide (b): *Omnibus myſteriis velut ſignum imponens Dominus, in tribus merſionibus corporis vnum baptiſma diſcipulis ſuis tradidit, dicens:* euntes docete etc. Item PELAGIVS papa apud Gratianum (c): *Multi*, inquit, *ſunt, qui in nomine ſolummodo Chriſti, vna etiam immerſione, ſe aſſerunt baptizare. Euangelicum vero praeceptum, ipſo Domino ac ſaluatore*

z) *cap. 27. pag. 211.* a) *hiſt. eccl. lib. 6. cap. 26. p. 83.* b) *tom. 7.* c) *de conſecr. diſt. 4.*

Digitized by Google

uatore noſtro Ieſu tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam immerſione, ſanctum baptiſma vnicuique tribuere, dicente Domino diſcipulis ſuis: Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii et Spiritus S. Hiſpaniae tamen epiſcopi circa annum DC. ſemel immergebant, teſte GREGORIO M. epiſtola ad Leandrum, epiſcopum Hiſpalenſem (d): *De trina merſione baptiſmatis nil reſponderi verius poteſt, quam quod ipſi ſenſiſtis; quod in vna fide nil officit ſanctae eccleſiae conſuetudo diuerſa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanae ſepulturae ſacramenta ſignamus, vt dum tertio infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis forte etiam pro ſummae Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizando ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus perſonis vna ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate vel ter, vel ſemel, immergere: quando et in tribus merſionibus perſonarum trinitas, et in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc hucusque ab haereticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo: ne dum merſiones numerant, diuinitatem diuidant; dumque quod faciebant, faciunt, ſe morem veſtrum viciſſe glorientur.* Sententia Gregorii ea eſt ſententia: etſi in eccleſia romana trina fiat immerſio, ad repraeſentandam triduanam Chriſti ſepulturam, et fortaſſe etiam Trinitatem exprimendam; tamen Hiſpanos rectius facturos, ſi ſemel immergendi conſuetudinem reſeruent. Nam cum Ariani apud eos ter immergant, vt oſtendant, Filium et Spiritum S. non eſſe eiusdem eſſentiae, omnino fore, vt ſi et ipſi ter mergere occipiant, in iſtorum conceſſiſſe ſententiam videantur. Hoc Gregorii iudicium tempore Honorii papae ſecutum eſt concilium Toletanum IV. his verbis (e): *De baptiſmi ſacramento, propter quod in Hiſpaniis quidam ſacerdotes trinam, quidam ſimplicem merſionem faciunt, a nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur.* Paulo poſt citantur ſuperiora Gregorii verba, et his ſubiungunt ad mentem illius: ſimplicem tenendam eſſe ba-

d) *Regiſtri lib.* 1. *indict.* 9. *c.* 41.

e) *Can.* 5. iuxta vulgatam edit. ſed in edit. Garſiae *can.* 6.

baptiſmi merſionem. Quamuis vero Gregorii et Toletani concilii ſententiam non auſimus improbare, tamen tanti ponderis apud nos eſſe non debet, vt idcirco ſimplam merſionem in eccleſias, quae cum Arianis confli͏ctantur, inducendam putemus. Id quod iam vidit WALAFRIDVS STRABO (f): *Quae ſingularis immerſio*, inquit, *quamuis tum ita Hiſpanis complacuit, dicentibus, trinam merſionem ideo vitandam, quia haeretici quidam disſimiles in Trinitate ſubſtantias dogmatizare auſi ſunt, ad conſubſtantialitatem S. Trinitatis negandam; tamen antiquior vſus praeualuit, et ratio ſupra dicta. Si enim omnia deſerimus, quae haeretici in ſuam peruerſitatem traxerunt, nihil nobis reſtabit: cum illi in ipſo Deo errantes, omnia, quae ad eius cultum pertinere viſa ſunt, ſuis erroribus quaſi propria applicarint.* Recte haec omnino ſe habent. Si enim propter ter immergentes haereticos, ſimpla immerſio eſſet introducenda, etiam ob ſemel immergentes, trina immerſio neceſſaria erit. Simplici autem immerſione vtebatur Eunomius, qui peius etiam de Filii deitate, quam Arius, ſentiebat. De eo ſic THEODORETVS (g): *Idem ſancti etiam baptiſmatis legem, olim a Domino et apoſtolis traditam, euertit, et contrariam aperte ſanxit, non oportere dicens ter illum immergere, qui baptizatur, nec inuocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem.* Canon VII. concilii Conſtantinopolitani: *Eunomianos, qui vna immerſione baptizantur* etc. Idem asſerunt SOZOMENVS (h) et PHILOSTORGIVS (i). Notauit vero NICEPHORVS (k), ex multorum ſententia atque opinione hanc vnicam merſionem non ipſi Eunomio, verum diſcipulis eius adſcribi. Verba eius ſunt: *Quod diuinus etiam baptiſmus ita per adulterinum vſum deprauatus eſt, vt non in Trinitatem, ſed ſemel in mortem Chriſti merſio fiat; non Eunomio, ſed diſcipulis eius Theophronio et Eupſychio, multorum opinione atque ſermone, aſcribitur.* Quisquis autem ſimplae merſionis autor fuerit, eam adhibentes ab eccleſia damnati. Canon XLIX. vel iuxta alios L. apoſtolorum: *Si quis epiſcopus, vel presbyter non tria vnius myſterii bapti-*

f) *libr. de reb. eccl. cap.* 26. g) *haeret. fab. lib.* 4. *cap.* 3. *p.* 236. h) *l. c. lib.* 6. *cap.* 26. *pag.* 83. i) *hiſt. eccl. lib.* 10. *t.* 4. *p.* 136. k) *hiſt. eccl. lib.* 12. *cap.* 30. *pag.* 284.

Digitized by Google

baptiſmata perſecerit; ſed vnum baptiſmum, qui datur in mortem Domini, deponatur. Eundem canonem repetit IOANNES Antiochenus (l), idemque docet ARSENIVS (m), et ARISTINVS, qui adductum canonem apoſtolicum, quem ille XLVI. facit, ita contraxit: *Qui non tribus initiat merſionibus, ſed vna in Domini mortem, quod Dominus non dixit, ſacerdotio mouendus eſt.* Idem decernit canon VII. Conſtantinopolitanus, ad quem BALSAMON (n): *Nota ex praeſenti canone, quod omnes, qui in vnam demerſionem baptizantur, rurſus baptizantur.*

III. *Formula baptizandi* deducitur ex verbis inſtitutionis: *Ite et docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, Filii et Spiritus.* Ita TERTVLLIANVS (a): *Lex tingendi impoſita eſt et forma praeſcripta: ite, docete* etc. Et AVGVSTINVS (p): *Certa ſunt verba euangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari baptiſmus.* Formula, qua Occidentis eccleſiae vti ſolent, huiusmodi eſt: *Ego te baptizo in nomine* (vel nomen) *Patris, Filii et Spiritus ſancti.* Continet ea cauſam baptiſmi efficientem tum principalem, quae Trinitas eſt: tum inſtrumentalem, quae eſt miniſter. Orientales cauſam inſtrumentalem, quae per pronomen *ego* ſignificatur, omittunt, et hac formula hodierno adhuc die vtuntur (q): *Baptizatur ſeruus Dei N. in nomen Patris, amen: et Filii, amen: et Spiritus ſancti, amen.* Illos vere baptizare, etiam Ferrarienſe ſeu Florentinum concilium agnouit. Cur vero cauſam miniſterialem praetereant, iſta a Thoma Aquinate, Alphonſo Caſtrenſi et aliis, cauſa adfertur: quia, initio naſcentis eccleſiae, alii aliis eo ſe nomine praeferrent, quod a praeſtantiori miniſtro baptizati forent. Atque hoc probant ex Pauli prima epiſtola ad Corinthios (r), vbi quorundam voces adducuntur: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Chriſti.* Iſti malo obuiam ſe vtcunque ituros putabant orientales eccleſiae, (in quibus euangelium primo praedicatum

l) in *collect. canon. tit.* 36. m) in *ſynopſi canon. can.* 35 n) *pag.* 314. o) *de baptiſm. cap.* 13. p) *lib.* 6. *de baptiſm c.* 25. add. WALAFR. STRABO *de diu. off. cap.* 26. q) *Euchol. Graecor.* in *ordine ſancti baptiſmatis,* et METROPHAN. CRITOPVLVS in *confeſſ. eccl. orient. cap.* 7. *pag.* 86. r) *cap.* 1. *verſ.* 11. *ſqq.*

Digitized by Google

catum fuit) ſi, tertia vtentes perſona, ſe miniſtros tantum baptiſmi eſſe, ea formula ostenderent, quam adduximus. Cur vero *in nomen Patris et Filii et Spiritus ſancti* baptizemur, et quid illud denotet, ita explicat GREGORIVS Nyſſenus (s). Poſtquam adduxiſſet locum Matth. XXVIII, 19. interrogat: *Quomodo in nomen Patris? quia principium eſt omnium rerum. Qua ratione in Filium? quoniam conditor creaturae eſt. Quomodo in Spiritum ſanctum? quoniam vim omnia perfecta reddendi habet. Submittimus igitur nos Patri, vt ſanctificemur: ſubmittimus item nos Filio, vt hoc ipſum fiat: ſubmittimus nos Spiritui quoque ſancto, vt id efficiamur, quod ille eſt ac dicitur. Non eſt differentia ſanctificationis, quaſi Patre amplius, Filio minus, et minus quam vterque Spiritu ſancto ſanctificante.* Ergo in tres perſonas Trinitatis baptizamur, vt eas aequalis eſſentiae eſſe confiteamur. Eandem rationem inculcat EPIPHANIVS (t): *Baptizate in nomen Patris et Filii et Spiritus ſancti, in dominicam appellationem Trinitatis, ſanctum et regium ſigillum: vt oſtendat, ex ipſo nomine nullam eſſe mutationem vnius illius vnitatis.* Haec ipſa eſt ratio, cur orthodoxi contra πνευματομάχους, pro deitate Spiritus S. frequenter afferant formulam baptiſmi, qua in Spiritum ſanctum etiam baptizamur, adeoque eo ipſo, eum verum eſſe Deum fatemur (u). Sed de baptiſmo *in ſolo Chriſti nomine* peracto, non facta mentione Patris et Spiritus ſancti, olim fuit quaeſitum, nec nunc ceſſant quaeſtiones: an quis hac ratione baptizari poſſit, et quo ſenſu illa formula accipi debeat? praecipue cum apoſtoli nusquam legantur aliter baptizaſſe, quam *in Ieſu Chriſti nomine* (x). Idem quidam volunt AMBROSIVM indigitare in ſequentibus verbis (y): *Sicut qui baptizatur in Chriſto, benedicitur in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti: quia vnum nomen, poteſtas vna. ----- Denique et Aethiops, eunuchus Candacis reginae, baptizatus in Chriſto, plenum myſterium conſecutus eſt. ----- Cum enim dicitur, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, per vnitatem nominis impletum myſterium eſt. ------- Si Chriſtum dicas,*

s) *orat. in baptiſmum Chriſti, tom.* 3. *p.* 372. t) *haereſ.* 20. *p.* 27. u) vid. GREG. NAZ. *orat.* 24. *p.* 431. LEONTIVS *de ſectis act.* 4. *pag.* 446. x) Act. 2, 38. c. 8, 16. c. 10, 48. c. 19, 5. add. Rom. 6, 3. Gal. 3, 27. y) *lib.* 1. *de Spiritu S. cap.* 3.

Digitized by Google

eas, et Deum Patrem, a quo vnctus eſt Filius, et ipſum, qui vnctus eſt, Filium, et Spiritum, quo vnctus eſt, deſignaſti. Secutus is eſt, notante VOSSIO (z), BASILIVM, cuius haec ſunt verba (a): *Chriſti appellatio, totius deitatis eſt confeſſio: declarat enim Deum, qui vnxit: et Filium, qui vnctus eſt: et Spiritum ſanctum, qui eſt vnctio.* Sed Baſilium idem velle cum Ambroſio, ex loco illo probari non poſſe, ostendit SVICERVS (b), potius contrarium conſtare: cum ipſum capitis argumentum ſit, *aduerſus eos, qui dicunt, ſufficere baptiſma tantum in nomine Domini.* In ipſo autem capite reſpondet Baſilius ad loca apoſtoli ſupra citata, et dicit, ibidem quidem ſolius Chriſti nomen poni, ſed totam Trinitatem intelligi. Hanc asſertionem confirmat verbis iam allatis. Deinceps dicit, *videri apoſtolum etiam ſolius Spiritus S. in baptiſmo mentionem feciſſe* (c). *At non ideo quis dixerit, perfectum eſſe baptiſma, in quo ſolum Spiritus nomen inuocatum eſt. Oportet enim inuiolabilem manere traditionem* (id eſt mandatum Chriſti Matth. 28, 19.) *quae in viuifica gratia data eſt.* Tandem concludit: *Quemadmodum enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum ſanctum, ita etiam baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti.* Huic Baſilii ſententiae ſubſcribit THEODORETVS epiſtola CXLVI. (d), quae inſcripta eſt *Ioanni oeconomo.* THEOPHYLACTVS in cap. XXIV. Lucae: *Quomodo baptiſma in nomine ſolius Chriſti fieri intelligimus, praeſertim cum alias doceamur illud adminiſtrare in nomen Patris et Filii et Spiritus ſancti?* Ex duplici reſponſione, prima haec eſt: *Quando dicimus, baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri, ſed quod Chriſti baptiſma, quo Chriſtus baptizatus eſt, ſpirituale ſit, non iudaicum; neque quale Ioannis in poenitentiam tantum, ſed communionem Spiritus ſancti, et in remiſſionem peccatorum conferat: vt ipſe nobis ostendit, cum baptizaretur in Iordane, monſtrato in columbae ſpecie Spiritu ſancto.* Poſt alteram reſponſionem affert ſupra allatam Baſilii expoſitionem. Omnes ergo illi volunt, in baptiſmo retinendam eſſe formulam ab ipſo Chriſto praeſcriptam.

z) *loc. cit. theſ.* 5. a) *de Spiritu S. c.* 12. *tom.* 2. *pag.* 169.
b) *Theſ. eccl. tom.* 1. *pag.* 635. c) 1 Cor. 12, 13. et Actor. 1, 5.
d) *tom.* 3. *pag.* 1038.

Digitized by Google

ptam. Hinc EVLOGIVS in bibliotheca Photii (e) recte ſcribit: *In Chriſtum Ieſum baptizari ſignificat, ſecundum praeceptum et traditionem Ieſu Chriſti baptizari, hoc eſt, in Patrem et Filium et Spiritum ſanctum.* Vnum adhuc reſtat, quod Nicolaus I. pontifex ad conſulta Bulgarorum reſpondit (f): *Hi profecto, ſi in nomine ſanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in actis apoſtolorum legimus, baptizati ſunt, (vnum quippe idemque eſt, vt ſanctus exponit Ambroſius,) conſtat, eos non denuo eſſe baptizandos.* Haec verba communiter autores ita explicarunt, quaſi pontifex baptiſmum, in nomine Chriſti tantum peractum, probaſſet. Sed HARDVINVS S. I. in diſſertatione *de baptiſmo in nomine Chriſti* ex profeſſo id egit, vt ostenderet, nec loca ſcripturae, nec Nicolaum, nec alios Doctores id velle, quod in ſolo nomine Chriſti baptiſmus conferri poſſit vel debeat; ſed baptizatos in nomine Ieſu intelligi eos, qui baptizati ſunt, poſtquam inuocarunt et confeſſi ſunt nomen Domini Ieſu.

Alias *formulas* adhibebant heterodoxi et haeretici. 1) *Eunomiani*, teſte EPIPHANIO (g): *Baptizabant ad ſe accedentes, in nomen Dei increati, et in nomen Filii creati, et in nomen Spiritus ſanctificatiui, et a creato Filio creati.* Paulo aliter de iis GREGORIVS Nyſſenus (h). Eunomius docuit, *non in patrem et Filium et Spiritum ſanctum fieri baptiſmum, ſed in opificem et creatorem.* Alii tradunt, Eunomium docuiſſe, *baptizandum non eſſe in Trinitatem, ſed in mortem Chriſti* (i). Hinc cum Chriſtus ſemel fuerit mortuus, idem voluit, *vna immerſione in mortem Chriſti baptizandum eſſe:* de quo ſupra. 2) *Marcitae*, a Marco quodam praeſtigiatore ſic dicti, inter baptizandum his vtebantur verbis: *In nomine ignoti patris vniuerſorum, in veritate matre omnium, in Ieſum, qui deſcendit, in vnione et redemtione, et communione virtutum* (k). 3) *Elceſaei*, ab *Elceſai* quodam, haereſis ſuae autore, ſic appellati, *vſi ſunt baptiſmatibus in elemen-*

e) *cod.* 280. *p.* 1608. *ad pag.* 1604. f) *de conſecr. diſt.* 4. *can. A quodam.* g) *haer. Anomaeorum* 76. *pag.* 419. h) *orat.* II. *contra Eunomium tom.* 2. *p.* 706. i) SOCRATES *H. E. lib.* 5. *cap.* 24. *pag.* 252. k) ita refert THEODORETVS *haer. fab. lib.* I. *cap.* 9. *pag.* 201. et ante illum IRENAEVS *lib.* I. *cap.* 18. et ex eo EPIPHANIVS *haer.* 34. et EVSEBIVS *H. E. lib.* 4. *cap.* 11.

Digitized by Google

elementorum confeſſione, vt narrat THEODORETVS (l). 4) *Menander* impie aſſeruit, *eos ſeruari, qui in nomen eius baptizarentur* (m). 5) Fuere, qui non baptizarunt *iuxta Domini ordinationem, in Patrem, Filium et Spiritum ſanctum, ſed in tres principii expertes, vel in tres filios, vel in tres paracletos:* atque hos canon XLVIII. apoſtolicus καθαιρέσει puniendos ſtatuit. 6) THEOPHYLACTVS (n) interrogat: *vbi foetulentae linguae baptizantium in Montanum, et Priſcillam et Maximillam.* 7) De *Demetrio*, epiſcopo Ariano, legitur apud THEODORVM (o): *Baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto: quibus pronuntiatis aqua in piſcina euanuit.* Ad baptiſmi formulam, ab *Arianis* vſurpatam, in genere quod attinet, eruditis aliquot viris, teſte VOSSIO (p), perſuaſum eſt, eos ex impio dogmate ſuo formulae baptiſmi quaedam adieciſſe. Prouocant illi ad ATHANASIVM (q) ſcribentem, Arianos baptiſmum conferre *in creatorem et creaturam:* et HIERONYMVM aduerſus Luciferianos, qui dicit, *eos baptizare in Patre ſolo vero Deo, et in Ieſu Chriſto ſaluatore creatura, et in Spiritu ſancto vtriusque ſeruo.* Sed, iudice eodem Voſſio, non aſſecuti ſunt patrum horum mentem. Nam ſi hoc vellent, haereticos iſtos eiusmodi formula vſos eſſe, quorſum attinebat, Athanaſium mox ostendere, nihil referre, ſi Ariani Patris, Filii et Spiritus ſancti nomina retineant: cum aliter ea, quam eccleſia, intelligant? vel quo pacto Hieronymus ibidem eo pugnaret argumento, quod Luciferiani non minus, quam catholici, reciperent baptizatos ab Arianis? aut qua fronte Hilarium, vrbis diaconum, exagitaret, quod dogmate de rebaptizandis, qui ab Arianis venirent, orbem, alioqui periturum, ſeruare ſibi videbatur: vnde *Deucalion orbis* ab Hieronymo ibidem appellatur? Quare illud ſolum patres iſti volunt: cum verba intelligi oporteat ex animo dicentis; vtut Patrem, Filium et Spiritum ſanctum nominent Ariani; tamen id tantundem eſſe, ac ſi baptizare ſe dicant in nomen creaturae: quippe qui Chriſtum habeant pro mera creatura. Nec eſt, quod quis vrgeat, etiam catholicos interdum quaedam adieciſſe formulae,

l) *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 7. *p.* 222. m) THEODORETVS *l. c. lib.* 1. *c.* 2. n) in *cap.* 24. *Lucae.* o) in *eclogis ex hiſt. eccl. lib.* 2. *p.* 353. p) *diſp.* 2. *de bapt. theſ.* 5. q) *orat.* 3. *contra Arianos.*

Digitized by Google

eaque vſos eſſe ſequenti: *Baptizo te in nomine Patris vniuerſorum, et Domini Dei, ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti et Spiritus ſancti:* quam colligunt ex verbis IVSTINI martyris (r): *Nam in nomine rerum cunctarum parentis et Domini Dei, et ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti et Spiritus ſancti, in aqua tum lauantur.* IVSTINO enim hoc ſolum propoſitum fuit, baptiſmi formulam παραφράζειν, propter gentiles, chriſtianae religionis ignaros. Praeterea a catholicis, ſi quae fuere adiecta, ipſa tamen formulae ſententia reſeruatur: quod ab Arianis factum non eſt.

Ad heterodoxos vero vel haereticos referri non debet is, qui inſcitia ſermonis romani ruſtice ac barbare formulam pronuntiat. Lapſus eſt in hoc BONIFACIVS, quem vulgo Germanorum apoſtolum vocant; ſed errorem eius caſtigauit ZACHARIAS papa, cuius haec ad eum verba ſunt (s): *Virgilius et Sidonius, religioſi viri apud Boiariorum prouinciam degentes, ſuis nos literis viſitarunt, per quas intimauerunt, quod tua reuerenda fraternitas eis iniungeret, chriſtianos denuo baptizare. Quod audientes, nimis ſumus conturbati, et in admirationem quandam incidimus, ſi habet, vt dictum eſt. Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem prouincia ſacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, neſciens, latini eloquii infringens linguam, diceret: baptizo te in nomine Patria, et Filia et Spiritus ſancta: ac per hoc tua reuerenda fraternitas conſiderauit rebaptizare. Sed, ſanctiſſime frater, ſi ille qui baptizauit, non errorem aut haereſin introducens, ſed pro ſola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam, vt ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet: non poſſumus conſentire, vt denuo baptizetur. Quia, quod tua bene compertum habet ſancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab haereticis in nomine Patris, et Filii et Spiritus ſancti, nullo modo rebaptizari debeat, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari debeat.*

IV. *Obiectum* baptiſmi, ſiue baptizandi etiam ſunt conſiderandi. In horum numerum non poſſunt referri: 1) *inanimata,* in

s) *apolog.* 2. *pro chriſtianis, pag.* 94. s) BONIFACII *epiſt.* 134. adde *de conſecr. diſt.* 4. *can. Retulerunt.* AVENTINVS *lib.* 3. *annal. Boior. p.* 220.

Digitized by Google

in quae quadrant AMBROSII verba (t): *Iudaeus vrceos baptizat et calices: quaſi inſenſibilia vel culpam poſſint accipere, vel gratiam.* Haec inter ſunt *campanae*, quae iam ante annos nongentos a quibusdam leguntur baptizatae. Carolus M. enim in capitulari voluit (u), *vt clocas non baptizent.* Seculo autem decimo Ioannes XIII. pontifex ipſo factô conſuetudinem iſtam reduxit, dum Lateranenſi campanae nomen ſuum impoſuit (x). Cuiusmodi ritu haec campanae ſeu tinctio, ſeu conſecratio hodie ſoleat peragi, docebit pontificale romanum (y). Sed de his infra in voce *Campana.* 2) *nec mortui.* Cataphryges, vt PHILASTRIVS ſcribit, *mortuos baptizabant* (z). Hos damnat codex canonum eccleſiae Africanae (a): *Placuit, vt corporibus defunctorum euchariſtia non detur: ſcriptum eſt enim: accipite et edite; cadauera autem nec accipere poſſunt, nec edere. Et ne iam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignauia.* Vbi in graeca tralatione eſt ἄγνοια: vt adeo patres pro *ignauia* ſcripſerint *ignorantia.* In tomis conciliorum neutrum legitur, ſed pro eo eſt *infirmitas.* Sic enim habent extrema verba canonis VI. Carthaginenſis III. ſecundum editionem Binnianam: *Cauendum eſt, ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat, cum euchariſtiam mortuis non dari animaduerterit* (b). Ad Cataphryges hos alludit *Nazianzenus,* quando ſenes baptiſmum differentes ita alloquitur (c): *Senectuti committe purgationem. Quid in effoeta ſenectute atque extremo vitae ſpiritu iuuenilis aetatis vitia pertimeſcis? an tu etiam expectas, dum mortuus abluaris, non iam miſericordiam tui magis, quam odium mouens.* 3) *nec viui pro mortuis.* Hunc morem EPIPHANIVS apud Cerinthianos fuiſſe in vſu docet, his verbis (d): *Ex traditione res quaedam ad nos deuenit, quod quidam apud ipſos de vita deceſſerunt, morte praeuenti ante baptiſma, alii vero pro ipſis in nomen ipſorum baptizentur, ne,*

 vbi

t) *lib. de iis, qui initiantur myſteriis cap.* 4. u) *cap.* 3. *ann.* 789. *pag.* 244. x) BARONIVS *ad ann.* 968. *num.* 63. y) *pag.* 346. *ſqq.* z) *libr. de haer. in catalogo haereſ. quae ſub apoſtolis extiterunt cap.* 2. a) *can.* 18. b) Meminit huius canonis WALAFRIDVS STRABO *lib. de reb. eccl. cap.* 26. et PHOTIVS *Nomocan. tit.* 4. *cap.* 6. c) *orat.* 40. quae eſt *in ſacrum baptiſma.* d) *haer.* 28. *pag.* 54.

Digitized by Google

ne, vbi reſurrexerint, illi in reſurrectione pœnas dent, eo quod non acceperint baptiſma. Id ipſum etiam Marcionitae poſtea factitarunt: ſic enim de iis CHRYSOSTOMVS (e): *Poſtquam catechumenus quiſpiam apud eos exceſſerit, ſub lecto mortui abſcondito aliquo, qui vixit, accedunt ad mortuum, et alloquuntur, et rogant, num velit accipere baptiſma? Deinde illo nihil reſpondente, qui inferne abſconditus eſt, pro illo dicit, ſe velle baptizari: et ſic eum baptizant pro eo, qui exceſſit.* Eadem ex Chryſoſtomo referunt THEOPHYLACTVS (f) et HARMENOPVLVS (g). Tangit eam quoque conſuetudinem TERTVLLIANVS libro de reſurrectione (h), vbi baptiſma huiusmodi vicarium appellat. *Si*, inquit, *et baptizantur quidam pro mortuis: videbimus, an ratione. Certe illa praeſumtione hoc eos inſtituiſſe contendit, qua alii etiam carni vicarium baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis, quae niſi corporalis, non alias ſic baptiſmate corporali obligaretur.* Eosdem Marcionitas intelligunt ZONARAS & BALSAMON ad canonem XVIII. concilii Carthaginenſis, quando dicunt, quosdam, propter male intellectum apoſtoli locum, *alios pro mortuis baptizaſſe.* Sed de loco illo apoſtoli infra agetur. 4) *nec adulti, in religione chriſtiana prius non inſtituti.* Ita vult canon II. concilii Nicaeni: *Homines e gentili vita nuper accedentes ad fidem, et exiguo tempore inſtitutos, nec ſtatim baptizandos, nec ad epiſcopatum vel presbyterium promouendos eſſe.* Hunc canonem ZONARAS hoc modo exponit (i): *Hi patres definiunt, eum, qui ad fidem acceſſerit, non ſtatim eſſe baptizandum, niſi prius ſufficienter fuerit inſtitutus.* Conſtitutio III. tit. III. Nouell. ſancit, *ne confeſtim Samaritani ad ſanctum baptiſma recipiantur; ſed qui bonam doctrinam percipere posſunt, per biennium in fide inſtituantur, atque tum demum baptizentur* (k). 5) *nec furioſi et a daemone correpti.* TIMOTHEVS Alexandrinus reſponſione ad quaeſt. II. apud Balſamonem (l): *Si catechumenus a daemone corripiatur, et voluerit ipſe vel ſui, vt ſanctum baptiſma acci-*

e) *hom. 40. in 1 Cor. pag. 513. ſq.* f) *in 1. ad Corinth. cap. 15. p. 302.* g) *de ſectis pag. 564.* h) *cap. 48.* add. *lib. 5. adu. Marcionem cap. 10.* i) *pag. 49.* k) conf. PHOTII *Nomocan. tit. 4. cap. 4. et 7.* l) *pag. 1060.*

accipiat, debetne accipere, annon, et maxime ſi morti ſit vicinus? Reſp. *Si is, qui a daemone corripitur, non fuerit ab immundo ſpiritu mundatus, non poteſt ſanctum baptiſmum accipere, ſed in exitu e vita baptizatur.* Idem reſponſione ad interrogationem V. (m): *De catechumeno infirmo, ſi emotae factus ſit mentis, ſtatuit, eum tum demum baptiſmum accipere, ſi ab immundo ſpiritu non tentetur.*

Genuinum vero *obiectum* ſunt 1) *adulti*, ſed prius in fide chriſtiana inſtituti, iuxta praeſcriptum Chriſti (n) et apoſtolorum praxin (o). 2) *quidam haeretici*, ad eccleſiam catholicam accedentes, vt Marcionitae, Montaniſtae, Sabelliani, Samoſateniani, Manichaei et ſimiles, de quibus infra in voce *haereticus.* 3) *infantes, de quorum baptiſmo dubitatur.* Ita ſtatuit can. LXXII. eccleſiae Africanae: *Item placuit de infantibus, quoties non inueniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe, ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per aetatem de traditis ſibi ſacramentis idonei reſpondere, absque vllo ſcrupulo eos eſſe baptizandos.* Eandem conſtitutionem repetit concilium in Trullo, canone LXXXIV. Synodica LVCAE patriarchae Conſtantinopolitani capite XII. itidem ſtatuit, *tales debere baptizari, quod neſciant, an in infantia fuerint baptizati, nec vlli inueniantur, qui affirment.* Conſentit etiam LEO I. in epiſtolis ad Ruſticum romanum Narbonenſem (p). 4) *omnes in eccleſia infantes.* Videtur quidem TERTVLLIANVS eorum ſententiae fauere, infantes non ſtatim eſſe baptizandos, ita ſcribens (q): *Itaque pro cuiusque perſonae conditione, ac diſpoſitione, etiam aetate, cunctatio baptiſmi vtilior eſt: praecipue tamen circa paruulos. Quid enim neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe, ſponſores etiam periculo ingeri? qui et ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas posſunt, et prouentu malae indolis falli. Ait quidem Dominus:* nolite illos prohibere ad me venire. *Veniant ergo, dum adoleſcunt: veniant, dum diſcunt,*

m) *pag.* 1061. n) Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. ſq. o) Act. 8, 12. 13. 38. c. 9, 17. c. 10, 44. c. 16, 14. 15. 34. c. 18, 8. p) in *cod. canon. eccleſiae rom. cap.* 28. Idem LEO *epiſt.* 37. *ad Leonem Rauennatem.* GREGOR. M. *lib.* 3. *epiſt.* 4. *ad Bonifacium,* et exinde *can. Paruulos diſt.* 6. *ſect.* 4. q) *lib. de baptiſmo cap.* 18.

Digitized by Google

ſcunt, dum, qui veniant, docentur: fiant Chriſtiani, dum Chriſtum noſſe potuerunt. Quid feſtinat innocens aetas ad remiſſionem peccatorum? cautius agetur in ſecularibus, vt cui ſubſtantia terrena non creditur, diuina credatur. Norint petere ſalutem, vt petenti dediſſe videaris. Sed ex ipſis his verbis apparet, infantes tum temporis fuiſſe baptiſmo oblatos; alioquin enim non hunc morem reprehenderet. Non aliud ergo voluit, quam neceſſitatem baptiſmi negare extra periculum mortis: hoc quippe volunt illa verba, *quid enim neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe* etc. Idem cum illo ſenſit GREGORIVS Nazianzenus (r): *Ac proinde omni cura et ſtudio nobis eſt prouidendum, ne communi hac gratia careamus. Sint ſane haec, dixerit aliquis, quantum ad eos attinet, qui baptiſmum requirunt: quid autem de iis dices, qui adhuc tenera aetate ſunt, nec aut damnum aut gratiam ſentiunt? an eos quoque baptizabimus? ita prorſus, ſi quod periculum vrgeat. Praeſtat enim, absque ſenſu ſanctificari, quam ſine ſigillo et initiatione abscedere. Atque huius rei ratio nobis eſt circumciſio, die octaua peragi ſolita: quae baptiſmi figuram quodammodo gerebat, atque iis, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur. Eodem quoque modo poſtium vnctio, quae rebus ſenſu carentibus adhibita, primogenitis ſalutem afferebat. De reliquis ita cenſeo, vt, triennio expectato, aut aliquanto breuiori, vel longiori, temporis ſpatio, (nam tum et myſtici quiddam audire et reſpondere poſſunt: ac, ſi minus plene et exacte intelligunt, imbuuntur tamen et informantur,) ita demum per magni baptiſmi ſacramentum et animos et corpora ſanctificent.* Non igitur et hic paruulorum baptiſmum negat, quem, ſi periculum vitae ingruat, etiam praecipit, ſed ſolum non inutiliter in quartum annum differri poſſe arbitratur. Quae ſingularis vnius alteriusque doctoris, vel ſaltem perpaucorum, et in Graecia magis, quam Occidente, non vero communis antiquae eccleſiae ſententia fuit. Clariora dabimus de communi eccleſiae conſuetudine ex doctoribus graecis. IRENAEVS ait (s): *Omnem aetatem* (Dominus) *ſanctificat per illam, quae ad ipſam erat, ſimilitudinem:* omnes, *inquam*, omnes *venit per ſemetipſum ſalua-*

r) *orat.* 40. quae eſt *in ſanctum baptiſma.* s) *lib.* 2. n. 39.

ſaluare: omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes et paruulos et pueros, *et iuuenes et ſeniores. Ideo per omnem venit aetatem: et infantibus infans factus, ſanctificans infantes; in paruulis paruulus, ſanctificans hanc ipſam habentes aetatem.* Vbi per renaſcentiam baptiſmus deſignatur, vſitatata veteribus loquendi formula. ORIGENES quoque audiendus eſt (t): *Eccleſia traditionem ab apoſtolis ſuscepit, etiam paruulis dare baptiſmum. Sciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt diuinorum; quia eſſent in omnibus genuinae ſordes peccati, quae per aquam, et ſpiritum, ablui deberent: propter quas etiam corpus ipſum corpus peccati appellatur.* ISIDORVS Peluſiota in epiſtola (u) ad Herminum comitem, qui per literas ex eo quaeſiuerat, quid ſit cauſae, *cur infantes, cum peccatis careant, baptizentur?* eius rei neceſſitatem ostendit. CHRYSOSTOMVS monet (x), μικρὰ παιδία non eſſe lugenda, ſi moriantur, quia baptiſmum acceperint. *Quid in puello damnare poſſes? cur eum luges? quid recens baptizatum?* THEODOTVS Antiochenus (y): *Ob quam reſurrectionem, vt eam conſequamur, et nos et infantes baptizamur.* OLYMPIODORVS (z): *Baptizantur infantes ad eluendas ſordes, quas ex Adami transgreſſione contraxerunt.* CYRILLVS Alexandrinus (a): *Quando recens natus infans adducitur, vt vel inſtitutionis vnctionem accipiat, vel etiam vt ſacro baptiſmate initietur, qui eum adducit, pro eo reſpondet Amen.* Idem colligitur ex quaeſtione ſecunda ad Antiochum apud ATHANASIVM (b), vbi interrogatur: *Vnde cognoſcit homo, ſeſe omnino baptizatum eſſe, et Spiritum ſanctum accepiſſe, qui adhuc infans erat, cum baptiſmum acciperet?* Ex ſuperabundanti addimus CLEMENTEM romanum in conſtitutionibus apoſtolicis (c), et DIONYSIVM Areopagitam, qui infantes baptizandos eſſe, fuſe docet (d). Cum Graecis conſentiunt *Latini*, et inter hos CYPRIANVS (e): *Quod ad cauſam infantum perti-*

t) *lib.* 5. *ad Rom. cap.* 6. et *in Leuit. lib.* 8. *homil.* 8. *in Lucam hom.* 14. u) *lib.* 3. *epiſt.* 195. *p.* 560. *ſq.* x) *hom.* 21. *in Acta.* y) in *biblioth.* PHOTII *cod.* 177. *pag.* 397. z) in *catena in cap.* 9. *Iob. pag.* 274. a) in *cap.* 11. *Ioh. in catena pag.* 285. b) *tom.* 2. *pag.* 332. c) *lib.* 6. *cap.* 15. *pag.* 952. d) *de eccleſ. hierarch. cap.* 7. *ſect.* 11. *pag.* 360. *ſq.* e) *epiſt. ad Fidium lib.* 3. *epiſt.* 8.

Digitized by Google

pertinet, vniuerſi (in concilio LXVI. epiſcoporum) *iudicauimus, nulli hominum nato miſericordiam Dei et gratiam denegandam.* Mox ait: *Eſſe apud omnes, ſiue infantes, ſiue maiores natu, vnam diuini muneris aequalitatem.* Et poſt aliqua: *Nam Deus vt perſonam non accipit, ſic nec aetatem, cum ſe omnibus ad coeleſtis gratiae conſecutionem, aequalitate librata, praebeat parem.* Et poſt aliquam multa: *Si etiam grauiſſimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſa peccatorum datur, et a baptiſmo, atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, niſi quod, ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima natiuitate contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittantur non propria, ſed aliena peccata. Et idcirco, frater chariſſime, haec fuit in concilio noſtra ſententia, a baptiſmo, atque a gratia Dei, qui omnibus miſericors, et benignus, et pius eſt, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa vniuerſos obſeruandum ſit, atque retinendum; tum magis circa infantes ipſos, et recens natos, obſeruandum putamus: qui hoc ipſo de ope noſtra, ac de diuina miſericordia, plus merentur, quod in primo ſtatim natiuitatis ſuae ortu plorantes, ac flentes, nihil aliud faciunt, quam deprecari.* Meminit huius epiſtolae etiam AVGVSTINVS (f). Ac debet iudicium hoc Cypriani eo maioris fieri, quia idem concilio LXVI. epiſcoporum decretum fuit. Imo ne aduerſarii quidem id negare auſi erant; ſed tantum dubitabant, (vt Auguſtini verbis vtar) *vtrum regenerationis lauacrum ante diem tradi debeat octauum.* Nec clare minus paruulorum baptiſmum adſtruit AMBROSIVS (g): *Nec ſenex proſelytus, nec infans vernaculus, excipitur: quia omnis aetas peccato obnoxia, et ideo omnis aetas ſacramento idonea.* Et poſt aliqua: *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua praeuentum neceſſitate.* Idem ſtatuerunt integra *concilia.* Sic canon ſecundus concilii Carthaginenſis, quod vulgo Mileuitanum vocant, et quod contra Pelagium et Celeſtium fuit con-

f) *epiſt.* 28. *ad Hieronymum*, et *lib.* 4. *contra duas epiſt. Pelagii cap.* 8. g) *de Abraham patriarcha lib.* 2. *c.* 11.

Digitized by Google

congregatum: *Quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, anathema ſit* (h). ARSENIVS monachus in ſynopſi canonum (i): *Oportere etiam paruulos infantes in remiſſionem peccatorum baptizari.* Imo quidam volunt, etiam illos infantes eſſe baptizandos, quorum parentes tum demum a gentiliſmo ad chriſtianiſmum accedunt, poſtquam illi fuiſſent nati. Conſtitut. III. tit. III. Nouell. in Photii nomocan. tit. IV. cap. IV. de Samaritanorum infantibus decernit: *Omnino autem pueros, etiam absque hac obſeruatione,* (quae adultos Samaritanos per biennium in fide vult inſtituendos) *ſacro baptiſmate dignos eſſe habendos.* BALSAMON (a): *Paganorum liberi, qui minoris aetatis ſunt, absque dilatione baptizantur.*

V. De *fine* et *effectibus* baptiſmi doctores eccleſiae veteris generalia habent ſequentia. GREGORIVS *Nyſſenus* (l): *Poenae remiſſionem, vinculorum ſolutionem, cum Deo coniunctionem, fiduciam ingenuam et aditum liberum, loco ſeruilis humilitatis parem cum angelis honoris conditionem,* ſc. baptiſmus largitur. Per *baptiſmum ſimus reges, ſacerdotes et prophetae,* vt CHRYSOSTOMVS docet (m). BASILIVS M.: *Baptiſmus eſt captiuorum liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, regeneratio animae, amictus ſplendens, ſigillum, quod nulla fraude adulterari poteſt, vehiculum ad coelum, regni coeleſtis conciliatio, adoptionis gratia.* THEODORETVS (n): *Eſt arrha futurorum bonorum, et typus futurae reſurrectionis, et dominicae paſſionis communicatio, et dominicae reſurrectionis participatio, et veſtis ſalutis, et tunica laetitiae et ſtola ſplendida, vel potius lux ipſa.* Speciatim primo loco aſſignatur inter fines et effectus (o) *regeneratio*, praeeuntibus Chriſti verbis apud Ioannem (p): *niſi quis renatus fuerit ex aqua et ſpiritu* etc. quibus conformia docuit vniuerſa antiqui-

h) hunc canonem refert PHOTIVS in *biblioth. cod.* 53. *pag.* 44. i) *can.* 36. *pag.* 756. *biblioth. iuris canon.* k) in *collect. conſtitut. eccleſ. ex lib. I. cod. Iuſtin. tit.* 11. *ſect.* 10. *biblioth. iuris can. pag.* 1298. l) *orat. in baptiſm. Chriſti tom.* 3. *p.* 368. m) *hom.* 3. *in* 2. *Cor. pag.* 566. n) in *epit. diu. decret. cap.* 18. *pag.* 292. o) VOSS. *de bapt. diſſ.* 4. p) cap. 3, 5.

Digitized by Google

tiquitas. IVSTINVS martyr baptiſmum appellat ὕδωρ τῆς ζωῆς (q). IRENAEVS τὸ βάπτισμα τῆς εἰς Θεὸν ἀναγεννήσεως (r). THEOPHILVS ad Autolycum (s): *Et hinc notum ſit mortalibus, fore, vt poenitentiam apprehendant, et peccatorum remiſſionem nanciſcantur per aquam et regenerationis lauacrum, quotquot accedunt ad lauacrum et regenerantur, accipientes benedictionem a Deo.* TERTVLLIANVS (t): *Nos piſciculi, ſecundum* ἰχθὺν *noſtrum Ieſum Chriſtum, in aqua naſcimur.* ΙΧΘΥΣ ſunt literae initiales et ſignificant Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς, σωτήρ: ex quibus formabant gentiles ἰχθὺς, id eſt, *piſcis*; quaſi Chriſtus eſſet piſcis, chriſtiani piſciculi. Hoc licet in contumeliam diceretur, lubentes tamen faſſi ſunt chriſtiani. Sumus, inquiebant, piſciculi: quia, vt piſciculi naſcuntur in aqua, ſic nos aqua et ſpiritu renaſcimur. Sed illuſtre inprimis eſt illud B. CYPRIANI (u): *Ergo cum in tenebris, atque in nocte coeca iacerem, cumque in ſalo iactantis ſeculi nutabundus ac dubius, veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitae meae neſcius, veritatis ac lucis alienus: difficile prorſus, ac durum, pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuo poſſet, atque in nouam vitam lauacro aquae ſalutaris animatus, quod prius fuerat, deponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret.* CYRILLO *Hieroſolymitano* inter elogia caetera vocatur παλιγγενεσία ψυχῆς *animae regeneratio.* OPTATVS *Mileuitanus* aduerſus Parmenianum (x): *In ſacramentis Trinitati occurrit fides credentium, et profeſſio, quae apud acta conficitur angelorum; vbi miſcentur coeleſtia et ſpiritualia ſemina, vt ſancto germine noua poſſit renaſcentium indoles procreari: vt dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit ſeculo, renaſcatur ſpiritualiter Deo. Sic fit hominum pater Deus: ſancta fit mater eccleſia.* LEO M. (y): *Aqua baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem Spiritu S. replente fontem, qui repleuit et virginem.* PROSPER item epiſtola ad Demetriadem: *Dum homo exterior abluitur, mutatur interior, et fit noua creatura de veteri: vaſa irae in vaſa miſericordiae*

q) *dial. cum Tryphone pag.* 1078. r) *lib.* 1. *cap.* 18. s) *libr.* 2. t) *de baptiſmo cap.* 1. u) *lib.* 1. *epiſt.* 2. *ad Donatum.* x) *lib.* 2. y) *Serm.* 4. *in ſolenni natiu.*

Digitized by Google

cordiae transferuntur, et in corpus Chriſti conuertitur caro peccati (z). Cum regeneratione coniungitur *adoptio.* Vnde CYRILLVS *Hieroſol.* (a) nos non ob alia modo, *verum et propter adoptionem conſequi baptiſmum.* Coniungit eam et PROSPER loco citato: *De impiis iuſti, de captiuis liberi, de filiis hominum fiunt filii Dei.* Fuſius idem deducit BEDA (b): *Peccator in fontem deſcendit, purificatus aſcendit: deſcendit filius mortis, aſcendit filius reſurrectionis: deſcendit filius praeuaricationis, aſcendit filius reconciliationis: deſcendit filius irae, aſcendit filius miſericordiae: deſcendit filius diaboli, ſed aſcendit filius Dei.* Cum adoptione ſimiliter coniuncta eſt *receptio in foedus gratiae,* et *inſitio in eccleſiam,* quae eſt corpus Chriſti. Hinc ratione illius CYRILLVS *Hieroſolymitanus* (c) ſcribit: *Aqua ſane mundat corpus, ſpiritus autem* (σφραγίζει) *ſignat animam.* Pſeudodionyſius (d) baptiſmum appellat *ſigillum pactionis diuinae;* et OECVMENIVS (e) ἐπερώτημα exponit *arrhabonem, pignus, et demonſtrationem.* Baptiſmo vero nos inſeri eccleſiae, praeter PAVLVM (f) docet AVGVSTINVS (g), qui eum vocat *eccleſiae ianuam.* Et alibi (h): *Portam gratiae et primum introitum ſanctorum ad aeternam Dei et eccleſiae conſuetudinem.* Eleganter etiam BERNARDVS (i) eundem nominat *ſacramentum initiationis et intrantium chriſtianiſmum inueſtitura.* Foedus autem illud gratiae complectitur *remiſſionem peccatorum omnium.* Vnde baptiſmus TERTVLLIANO (k) dicitur *lauacrum compendiatum,* vel *compendiarium.* ORIGENES (l): *Annon ita credimus, quia omne genus peccati, cum ad ſalutare lauacrum venimus, aufertur.* CYRILLVS ſupra citatus (m): *Vt enim plaga accepta in corpore, etiamſi curata ſit, cicatrix tamen manet: ſic et peccatum vulnerat corpus et animam, et manent ſigna cicatricum in omnibus. Tolluntur autem*

z) confer plures alios, qui omni aeuo ſimilia ſcripſerunt. a) *catech.* 2. b) *in Ioann. lib.* 1. *cap.* 3. c) *catech.* 3. d) *hierarch. eccleſ. cap.* 3. e) *in* 1. *Petr.* 3, 21. f) 1 Cor. 12, 13. g) *lib.* 1. *de peccat. mer. et remiſſione cap.* 27. h) *lib.* 2. *de catech. rud. cap.* 1. i) *ſerm. de coetu.* k) *lib.* 4. *adu. Marcion. cap.* 9. l) *hom.* 15. *in Ioſ.* m) *catech.* 18.

Digitized by Google

tem tantum ab iis, qui lauacrum baptiſmi accipiunt. AMBROSIVS (n): *In baptiſmo eſt remiſſio omnium peccatorum;* et alibi (o): *In baptiſmo peccata donari, non eſt ambiguum.* THEODORETO (p) eſt *aqua, quae expiat peccata, et animas purgat.* GREGORIO *Nyſſeno* (q) audit baptiſmus, *ablutio peccatorum, remiſſio delictorum.* CAESARIVS, ſiue alius ſub nomine EVSEBII *Emiſſeni* (r): *Ecce, quicquid inquinatum ſempiternus ignis excoquere et expiare vix poſſet, ſubito ſacro fonte ſubmerſum eſt, et de aeternis debitis breuiſſimo lauacri compendio cum indulgentiſſimo creditore tranſactum eſt.* GREGORIVS M. (s): *Qui dicit, peccata in baptiſmo non funditus dimitti, dicat, in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos.* Accedit et alterum bonum *ſanctificatio* ſeu *renouatio noſtri.* Eo reſpicit BASILIVS (t): *Cum duo fines in baptiſmo propoſiti ſint: abolere ſcilicet corpus peccati, vt non amplius morti fructum ferat; et viuere ſpiritu, fructumque habere in ſanctificatione: aqua quidem mortis imaginem exhibet, velut in ſepulchro corpus recipiens; ſpiritus autem viuificans vim immittit, a morte peccati ad vitam ab initio animas noſtras renouans. Hoc igitur eſt ex ſupernis natum eſſe, ex aqua et ſpiritu: nimirum dum mortificatio noſtra perficitur in aqua et vitam noſtram operatur ſpiritus.* Et alibi (u): *Quemadmodum, qui crucifigitur, eſtque mortis ſubiectus condemnationi, ab illis disiungitur, cum quibus aliquando vitae commercium habuit, ſublimior iam illis, qui in terra adhuc repunt, factus: ita et qui cum Chriſto per baptiſma crucifigitur, ab omnibus in vniuerſum, qui ſecundum hoc ſeculum viuunt, abalienatus eſt, ſublata iam mente ad coeleſtem conuerſationem exaltatus.* Ambroſius ſiue HILARIVS diaconus (x): *Baptiſmus mors peccati eſt, vt alia ſequatur natiuitas; quae corporis manente compagine, hominem mente innouat, ſepulta omnium malorum actuum vetuſtate.* CHRYSOSTOMVS oratione de baptiſmate Chriſti, vbi tale Iudaici ac Chriſtia-

n) *lib.* 1. *de poen. cap.* 7. o) *lib.* 3. *de S.S. cap.* 19. p) *in cap.* 32. *Eſaiae.* q) *orat. in baptiſmum Chriſti tom.* 3. *pag.* 368. r) *ſerm. fer.* 6. s) *lib.* 9. *epiſt.* 39. t) *lib. de Spirit. S. cap.* 16. u) *lib.* 1. *de baptiſm. cap.* 3. x) *in cap.* 6. *ad Roman.*

Digitized by Google

Chriſtiani baptiſmi ponit diſcrimen: *Itaque iudaica illa quidem expiatio nequaquam a peccatis liberabat, ſed a corporis ſordibus tantum; noſtra vero talis non eſt, ſed multo maior, ac multa plena gratia: nam et a peccatis liberat et animam abſtergit et ſpiritus gratiam largitur.* Idem in Ioannem (y): *Quemadmodum ignis, ſi metallorum terram attigerit, eam quam primum aurum reddit: ſic, et longe magis, pro luteis aureos eos baptiſma facit, quos abluerit, cum Spiritus S. tanquam ignis, illa ipſa hora animos noſtros ingrediatur, et terrena abſumta ſimilitudine, coeleſtem illam nouam et claram, tanquam ex fornace fulgentem, referat.* Hieronymvs aduerſus Luciferianos: *In Patre et Filio et Spiritu S. baptizatus homo templum Domini fit, et veteri aede deſtructa, nouum Trinitatis delubrum aedificatur.* Tandem baptiſmi effectus eſt *ſalus*, ſeu vita aeterna (z). Hinc inſignis illa gradatio apud clementem *Alexandrinum* (a): *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* Tertvllianvs (b): *Felix ſacramentum aquae noſtrae: quia ablutis delictis priſtinae coecitatis in vitam aeternam liberamur.* Cyrillvs *Hieroſolymitanus* (c): *Qui itaque in aquam deſcenſurus es, non aquae ſimplici mentem adhibe, ſed Spiritus ſancti virtute ſalutem ſuſcipe: nam ſine vtriſque ad perfectionem deduci non poteris. Non ego ſum, qui dico; ſed Dominus Ieſus Chriſtus, ille, qui eius rei poteſtatem habet: Niſi quis, inquit, renaſcatur deſuper, et addit: ex aqua et ſpiritu, non poterit intrare in regnum Dei. Neque ſi quis baptizetur abſque ſpiritu, perfectam habet gratiam: neque ſignis etiam bene compoſitis, probisque ſit moribus, non recipiat autem ſignaculum per aquam, intrabit in regnum coelorum. Audax eſt hic ſermo, ſed non meus. Ieſus enim eſt, qui hanc tulit ſententiam. Cuius rei ex ſacra ſcriptura accipe demonſtrationem.* Idem deinde probat Cornelii exemplo. Optato *Mileuitano* baptiſma dicitur *coeleſtis regni comparatio* (d). Basilio (e): *vehiculum ad coelum, regni*

y) *cap.* 1. *hom.* 10. z) Marc. 16, 16. Ioh. 3, 5. Tit. 3, 5. 1 Petr. 3, 21. a) *lib.* 1. *paedag. cap.* 6. b) *lib.* 1. *de baptiſm. c.* 1. c) *catech.* 3. d) *lib.* 5. *adu. Parmeniam.* e) *hom.* 13. *ſiue exhort. ad baptiſm.*

Digitized by Google

coeleſtis conciliator. Quae ipſa etiam verba reperies apud CYRILLVM Hieroſolymitanum in praefatione catecheſeos. Sed et GREGORIVS *Nazianzenus* (f) illud appellat *vehiculum ad Deum,* et mox: *clauem regni coelorum.* Similiter CHROMATIVS (g): *Renatis in baptiſmo coelorum regna patent, quae nobis Filius Dei, in corpore ad coelum adſcendens, primus aperuit.* AVGVSTINVS (h): *Eſt ſacramentum nouae vitae, ac ſalutis aeternae.* THEODORETVS (i): *Sic baptiſmus dicitur aqua viua: non quod aqua baptiſmatis naturam habeat diuerſam; ſed quoniam per aquam illam diuina gratia vitam donat aeternam.*

VI. *Circumſtantiae* baptiſmi ſunt 1) *loci*, qui erat *flumen, fons* etc. Ioannes baptizabat in Iordane, et Chriſtus ipſe ibidem ab illo baptizabatur (k); nec in Iordane ſolum, ſed etiam in Aenon prope Salem (l). Eunuchus Candaces in via, cum ad aquam veniſſet, baptizatus eſt (m). Lydia ſimiliter cum domeſticis in flumine baptiſmum ſuscepit (n). Eundem morem ſubinnuere videtur IVSTINVS M. quando ſacra Chriſtianorum deſcripſit (o): *Deinde* (poſtquam prius informati ieiunauerant cum orationibus) *eo adducuntur a nobis, vbi aqua eſt; atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur.* Non ergo fixus tunc fuit locus. Sed vbi ſe offerebat aqua fluuialis vel alia ad hunc actum commoda, ibi baptiſmus peragebatur. Diſtinctius TERTVLLIANVS rem aſſerit (p): *Ideoque nulla diſtinctio eſt, mari quis, an ſtagno, flumine, an fonte, lacu, an alueo diluatur, nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit.* Confirmant id quoque exempla eorum, qui in Iordane baptizari voluerunt, vt Conſtantinus M. referente EVSEBIO (q), et plures alii, eodem indicante in libro de locis hebraicis ab Hieronymo tranſlato. Serua-

f) *orat.* 40. *quae eſt in S. baptiſma.* g) *in Matth. cap.* 5. h) *lib.* 2. *contra Creſcon. Grammat. cap.* 13. i) *quaeſt.* 26. *in Geneſin. pag.* 26. conf. GREGOR. NYSSEN. *in baptiſm. tom.* 3. *pag.* 369. BASILIVS M. *de Spiritu S. cap.* 15. *p.* 178. k) Matth. 3, 5. 6. 13. Marc. 1, 5. 9. Luc. 3, 3. 21. l) Ioh. 3, 23. m) Act. 8, 36. ſqq. n) Act. 16, 13. ſq. o) *apolog.* 2. *p. m.* 93. *E.* p) *lib. de baptiſmo cap.* 4. q) *de vita Conſtant. lib.* 4. *cap.* 62. *p. m.* 557.

Digitized by Google

Seruatus quoque videtur mos ille ſequentibus in ſeculis, quoties per orbem nouae plantabantur eccleſiae. BEDA ſcribit (r), vt Paulinus in fluuio Gleni, item fluuio Sualua, baptizarit, atque addit: *Nondum enim oratoria, vel baptiſteria, in ipſo exordio naſcentis ibi eccleſiae poterant aedificari* (s). Praeterea, quando ab initio fidelibus integrum non erat adire flumina, *in domibus* baptiſmus illis fuit collatus, vel per aſperſionem vel immerſionem, prout locus ferebat. Ita Paulum baptizatum putamus Damaſci, et carceris cuſtodem (u), non in carcere, vbi erant Paulus et Silas, et poſtea ex illo educebantur, ſed vel in domus area vel horto, vbi copia aquae dabatur. Ex hoc loco demum fuere recepti in domum. Speciatim quidam baptizabantur *in lecto*, inde *clinici* dicti, de quibus infra. Imo *in carcere* quoque catechumenis confeſſoribus et martyrio deſtinatis hoc ſacramentum fuiſſe collatum legimus. Sic Baſilides, vnus ex apparitoribus, ſubito ad fidem chriſtianam conuerſus, et ob id in vincula coniectus, ſignaculo Domini, id eſt baptiſmo, accepto, poſtridie Chriſtum glorioſe confeſſus, capite truncatus eſt, vt EVSEBIVS refert (x). Conſtat idem ex martyrologiis. Ita ADO III. Kal. Ianuarii de S. Sabino epiſcopo: *Videntes autem illi, qui in cuſtodia erant, miſerunt ſe ad pedes eius, et baptizati ſunt eo die numero vndecim.* Tempore perſecutionum in locis ſubterraneis epiſcopos et presbyteros baptizaſſe, facile ostendi poterit ex eo, quod Chriſtiani reliqua ſacra ibidem peregerint. Cum vero eccleſiae chriſtianae res in melius ſurgerent, baptiſteria fuere aedificata tum extra vrbem, tum prope eccleſiam, tum in porticu eccleſiae, demum in ipſa eccleſia, de quibus infra in voce *baptiſterii* pluribus agetur. Ex eo autem aeuo, quo baptiſteria in eccleſiis fuere condita, conſuetudinis ſatis rigidae fuit praeſente populo in illis baptiſmum adminiſtrare. Nam SOCRATES (y) Hebraeum quendam, qui ex graui diutinoque morbo iacebat morti proximus, ad baptiſterium, quod in eccleſia erat, ba-

r) *hiſt. Angl. lib.* 2. *cap.* 14. s) conf. WALAFR. STRABO *de reb. eccl. c.* 26. HONORIVS in *gemma animae lib.* 3. *cap.* 106. adde, quae congeſſit IOSEPH. VICECOMES *lib.* I. *de antiq. bapt. rit. c.* 4. *p.* 13. *ſq.* t) Act. 9, 19. u) *ibid.* 16, 33. *ſq.* x) *hiſt. eccleſ. lib.* 6. *cap.* 5. *p.* 208. y) *hiſt. eccl. lib.* 7. *cap.* 4. *p.* 341.

Digitized by Google

baptiſmi cauſa delatum eſſe, docet his verbis: Atticus *igitur cum primis fidei rudimentis hominem inſtituiſſet, ſpemque in Chriſtum ei annuntiaſſet, eum in lecto iacentem ad baptiſterium deferri iuſſit.* Et AMPHILOCHIVS in *vita S. Baſilii* refert (z), ipſum, cum Hebraeum medicum Chriſti regno vindicaturus eſſet, quamuis morti iam eſſe vicinus videretur, in eccleſiam perrexiſſe: *Surgensque, greſſu contendit ad eccleſiam, et ſub omnium praeſentia, eum fidei ſacramento tinxit, et domum eius totam: vocauitque nomen eius Ioannem.* Idem colliges ex IOANNIS CHRYSOSTOMI *epiſtola ad Innocentium papam*, quae in *vita eius* a PALLADIO ſcripta inſerta eſt, vbi, ob tumultum excitatum, mulieres baptizandae ex eccleſia nudae fugiebant. Ex innumeris veterum locis idem conſtare poterit. Hinc patres in conciliis decreuerunt, illos, qui in priuatis domibus, neglecta eccleſia, baptiſmum adminiſtrabant propria auctoritate, non eſſe in ſocietate eccleſiaſtica ferendos. Ita in concilio Conſtantinopolitano quinto libellus, quem monachi actione quarta Mennae patriarchae obtulerunt, ait: *Eos, qui per domum baptizant, eiice foras.* Et apertiſſimus eſt canon LIX. ſynodi Conſtantinopolitanae ſextae, ſub Iuſtiniano iuniore celebratae: *In aede oratoria, quae eſt intra domum, baptiſmus nequaquam peragatur; ſed, qui ab omnibus ſordibus aliena illuminatione digni habendi ſunt, ad catholicas accedant eccleſias, atque ibi munere perfruantur. Si quis autem, quae a nobis conſtituta ſunt, non ſeruare conuictus fuerit, ſiquidem ſit clericus, deponatur; ſin autem laicus, ſegregetur.* Interea tamen licentia ab epiſcopo clericis interdum fuit data, in aede oratoria baptiſmum conferendi, vt ex eiusdem concilii canone XXXI. colligimus: *Clericos, qui in aedibus oratoriis, intra domum exiſtentibus, miniſtrant, hoc illius loci epiſcopi ſententia facere debere, decernimus.* Quod vero verbum λειτεργεῖν, *miniſtrare*, etiam de baptiſmo intelligendum ſit, docet BALSAMON ad hunc canonem (a): *A congregatione disiunctionem*, vel potius *illegitimam congregationem exiſtimat eſſe canon, ſi quis in domo oratoria, praeter antiſtitis ſententiam, S. coenam celebret, vel baptizet.* Ibidem quidem adducit Balſamon ex IV. nouella imperatoris Leonis hanc

z) *pag. m.* 223. a) *pag.* 392.

hanc conſtitutionem: *Statuimus ergo, non ſolum vniuscuiusque catholicae ſacerdotes, ſed etiam ſacerdotes vniuscuiusque domus, habere poteſtatem in omnibus aedibus coenam celebrandi, et baptiſmum adminiſtrandi omnibus, quoscunque vocare voluerit, qui vnicuique domui praeeſt.* Et ex XV. nouella: *Statuimus ergo, ſicut de ſacrificiis, ita etiam de ſalutari baptiſmate, vt id liceat valentibus peragere in omni piorum oratorio.* Recte tamen addit BALSAMON, id cum epiſcopi venia faciendum eſſe. Praeterea etiam proſpectum fuit infirmis, de quibus concilium Triburienſe canone XII.: *Si valida infirmitate occupati, et deſperati, ad eccleſiam prouehi non poſſint, loco mundo perſpecto, baptiſma celebretur, et procuratione presbyteri caute obſeruetur, et collocetur.* Alias olim ne principibus quidem, vel regibus, extra eccleſiam baptizari licebat: quemadmodum de Theodoſio iuniore conſtat ex MARCI Gazenſis epiſtola (b), et de Ingomiro, Clodouei regis filio, ipſoque Clodoueo, cognoſcere eſt ex HINCMARO, Remenſi archiepiſcopo, de vita S. Remigii. Sed haec conſuetudo deinceps immutata eſt, datumque honoris et priuilegii loco, vt principibus et regibus ſuos filios domi baptizare, fas eſſet, quod et a Clemente V. conceſſum fuit (c): *Praeſenti prohibemus edicto, ne quis de caetero in aulis vel cameris, aut aliis priuatis domibus, ſed duntaxat in eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi regum vel principum, quibus valeat hoc in caſu deferri, liberi extiterint) audeat baptizare.* Idem decretum concilii Colonienſis canone XV: *Statuimus, neminem alibi, quam in eccleſia, quocunque loco natus ſit, debere baptizari, exceptis regum filiis.*

VII. Praeter locum baptiſmi etiam 2) circumſtantia *temporis* conſideranda venit: vbi primo *de hominis aetate* erit dicendum, dein *de anni tempore*, quo baptiſmus eſt conferendus. Ratione *prioris* quidam negarunt, baptiſmum infantibus ante *diem octauum* dandum eſſe: quia baptiſmus in circumciſionis locum ſucceſſit. Ea fuit opinio Fidi epiſcopi, qui, vt refert CYPRIANVS in epiſtola ad eum (d), dixit, *infantes intra ſecundum*

b) apud BARONIVM *tom. 6. annal. ad ann. 601.* c) *tit. 15. de baptiſmo et eius effect.* d) *quae eſt. 59. p. 134.*

dum vel tertium diem, quo nati ſunt, conſtitutos, baptizari non oportere, et conſiderandam eſſe legem circumciſionis antiquae etc. Aduerſus hunc Fidum et huius ſectatores ſub Cypriano ſynodus africana habita eſt epiſcoporum LXVI. quorum epiſtola ſynodalis ea ipſa, cuius modo meminimus. In ea inter alia dicit ſynodus: *Longe aliud in concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim, quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit; ſed vniuerſi potius iudicauimus, nulli hominum nato miſericordiam Dei et gratiam eſſe denegandam* etc. Eadem ex Cypriano refert AVGVSTINVS *epiſt. XXVIII. ad Hieronymum; Euchologium* quoque *Graecorum* ſequentia habet (e): *Scire oportet, infantem recens natum, ſiquidem infirmus vbera ſugat, et mortis periculum immineat, non debere expectare, vt mali quidam ſentiunt, ſextum vel octauum diem, et tum demum baptizari; verum ea ipſa hora, qua in lucem eſt editus, abluendus tantum, et ſtatim baptizandus eſt, ne ſine baptiſmo moriatur.* Moſcouitae *quadrageſimum diem* putant exſpectandum eſſe, niſi vitae immineat periculum, vt ſcribit SIGISMVNDVS Lib. Baro DE HERBERSTEIN (f). Etiam Chriſtiani in Cranganore Indiae inuenti, eundem morem obſeruant, teſte OSORIO (g). Baptiſmo ſuſcipiendo peraptum GREGORIVS *Nazianzenus* (h) putauit *annum circiter tertium* in ſequentibus verbis: *De reliquis* (nimirum, vbi nulla adeſt cauſa baptiſmi poſt natiuitatem ſuſcipiendi) *ita cenſeo, vt triennio expectato, aut aliquanto breuiori vel longiori temporis ſpatio, quando et myſtici quiddam audire, et reſpondere poſſunt, etſi non plene intelligunt, imbuuntur tamen et informantur: ita demum per magni baptiſmi ſacramentum et animos et corpora ſanctificent.* TERTVLLIANVS (i) etiam in paruulis vtiliorem iudicat *cunctationem*, licet tempus non determinet, amplius tamen ſpatium, quam GREGORIVS, requirere videatur, ita ſcribens: *Itaque pro cuiusque perſonae conditione ac diſpoſitione, etiam aetate cunctatio baptiſmi vtilior eſt: praecipue tamen circa paruulos. Quid enim neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe, ſponſores etiam periculo ingeri? qui et ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, et prouentu malae indolis falli. Ait quidem Domi-*

e) *pag.* 90. f) *de rebus Moſcou. cap. de baptiſmo.* g) *lib.* 3. *de geſtis Emanuelis fol.* 108. h) *orat.* 40. *pag.* 658. i) *de baptiſmo. cap.* 18.

Digitized by Google

minus: Nolite illos prohibere ad me venire. *Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dum, quo veniant, docentur, fiant Chriſtiani, quum Chriſtum noſſe potuerint: quid feſtinat innocens aetas ad remiſſionem peccatorum? cautius agetur in ſecularibus, vt cui ſubſtantia terrena non creditur, diuina credatur: norint petere ſalutem, vt petenti dediſſe videaris.* Dein idem, quid circa innuptos ſit obſeruandum praeſcribit (k): *Non minore de cauſa innupti quoque procraſtinandi, in quibus tentatio praeparata eſt tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant, aut continentiae corroborentur. Si qui pondus intelligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quam dilationem: fides integra ſecura eſt de ſalute.* Id vero, quod Tertullianus vel ad adoleſcentiam, vel ad certos caſus voluit reſtrictum, hoc poſtea alii, conſilio illo abuſi, extenderunt ſub diuerſis praetextibus *ad aetatem prouectiorem*, imo plane ad *vltima vitae tempora:* de quibus ſtatim agetur in proximo articulo de *baptiſmi dilatione* et infra in voce *clinicus.*

Ad *anni tempus* (l) pergimus, quo baptiſmus conferri ſueuit. Ab initio eccleſiae certum tempus baptiſmo non fuit conſtitutum, cum ſaepe ex improuiſo quorundam fuerit facta conuerſio et ad aquam baptiſmalem deductio. Teſtantur id exempla in apoſtolorum actis conſignata, ad quae etiam prouocauit AMBROSIVS (m): *Poſtquam omnibus locis eccleſiae ſunt conſtitutae, et officia ordinata, aliter compoſita res eſt, quam coeperat: primum enim omnes docebant, et omnes baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus fuiſſet occaſio: nec enim Philippus tempus quaeſiuit, aut diem, quo eunuchum baptizaret, neque ieiunium interpoſuit; neque Paulus et Silas tempus diſtulerunt, quo optionem carceris baptizarent cum omnibus eius; neque Petrus diaconos habuit, aut diem quaeſiuit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizauit.* Nec apud IVSTINVM M. ſupra citatum obſeruauimus, certo tempori ab eccleſia baptiſmum

N 5 fuiſſe

k) *ibidem.* l) IOSEPHI VICECOMITIS *obſeru. eccl. de antiquis baptiſmi ritibus lib. I. cap.* 18. *ſeqq.* VOSSII *l. c. diſp.* 16. §. 3. *ſeqq. p.* 196. *ſeqq.* IO. LAVNOII *de priſcis et ſolenn. baptiſmi temporibus. p.* 165. *ſqq.* DALLAEVS *de cultib. lat. relig. lib.* I. *c.* 3. *p.* 15. *ſqq.* m) *cap.* 4. *in epiſt. ad Epheſ.*

Digitized by Google

fuiſſe alligatum. Quod etiam TERTVLLIANVS agnoſcit (n): *Ceterum omnis dies Domini. Omnis hora, omne tempus habile baptiſmo. Si de ſolennitate intereſt, de gratia nihil refert.* Interea idem docet (o), ſolennem baptiſmum duobus diebus, paſchae ſcilicet et pentecoſtes, fuiſſe miniſtratum: *Diem baptiſmo ſolenniorem paſcha praeſtat, cum et paſſio Domini, in quam tingimur, adimpleta eſt.----Exinde pentecoſte ordinandis lauacris latiſſimum ſpatium eſt, quo et Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, et gratia dedicata.* Quod vero huc vsque libertatis fuit, id poſtea ſeculo quarto et deinceps ab epiſcopis romanis mandatum fuit eccleſiis occidentalibus, non aliis diebus ſolennem baptiſmum conferendum eſſe, quam illis duobus. SIRICIVS enim papa, qui Romae anno CCCLXXXIV. ſedere coepit, vehementer eos arguit, qui aliis diebus feſtis baptizare ſolebant, ſequentem in modum ſcribens (p): *Sequitur de diuerſis baptizandorum temporibus, prout vnicuique libitum fuerit, improbabilis et emendanda confuſio, quae a noſtris conſacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione autoritatis alicuius, ſed ſola temeritate praeſumitur, vt paſſim ac libere natalitiis Chriſti, ſeu apparitionis, nec non et apoſtolorum, ſeu martyrum feſtiuitatibus innumerae plebes baptiſmi ſacramentum conſequantur: cum hoc ſibi priuilegium, et apud nos, et apud omnes eccleſias dominicum ſpecialiter cum pentecoſte ſua paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi conuenit ſacramenta.* LEO I. anno CCCCXLVII. Siculos, qui praeter duo illa feſta, Epiphaniae inſuper diem ſolennis baptiſmatis celebrationi tribuebant, grauiter ac facunde reprehendit (q): *Cum ergo----innotuerit, vos in eo, quod inter ſacramenta eccleſiae principale eſt, ab apoſtolicae inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, ita vt baptiſmi ſacramentum numeroſius in die Epiphaniae, quam in paſchali tempore celebretur,* etc. Deinde (r): *Additur ſane huic obſeruantiae* (paſchali) *etiam pentecoſtes ex aduentu Spiritus ſancti conſecrata ſolennitas, quae de paſchalis feſti pendet articulo. Et cum ad alios dies alia*

n) *de baptiſm. c.* 19. adde PAMELIVM in *notis ad hoc caput pag.* 291. *ſqq.* o) ibid. p) *epiſt.* 1. *ad Himmer. Taracon. cap.* 2. in *biblioth. iuris canonici, pag.* 190. q) *epiſt.* 4. *cap.* 1. r) *ibid. cap.* 3. adde *cap.* 5.

Digitized by Google

alia feſta pertineant, haec ſemper ad eum diem, qui reſurrectione Domini eſt inſignis, occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiae manum, vt hi, quos a die paſchae aut moleſtia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas intercluſit inuitos, aut quibuslibet neceſſitatibus impeditos, deſiderii ſui effectum dono Spiritus ſancti conſequantur. Denique idem (s): *Ita enim ad has duas feſtiuitates connexas atque ſibimet cognatas incolumium et in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus: vt in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc verae ſalutis ſingulare remedium cuiquam denegemus.* Idem alibi ſcribit ad vniuerſos epiſcopos per Campaniam, Samnium et Picenum conſtitutos, ſe comperiſſe, *ita eſſe apoſtolicae traditionis oblitos, et ſtudio ſui erroris intentos, vt praeter Paſchae feſtum, cui ſolo Pentecoſtes ſolennitas comparatur, audeant ſibimet non aliqua humanae infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſola indiſciplinati arbitrii libertate ius baptiſmatis vindicare, et in natalibus martyrum, quorum finis aliter honorandus eſt, quam dies dominicae paſſionis, regenerationis myſteria celebrare*, etc. His duobus pontificibus iungatur ex eodem ſeculo quinto GELASIVS in epiſtola, quae vulgo ad epiſcopos Lucaniae inſcribitur, capite X. ſequentem in modum ſcribens: *Baptizandi ſibi quiſpiam paſſim quocunque tempore, nullam credat ineſſe fiduciam, praeter paſchale feſtum et pentecoſten, venerabile ſacramentum, excepto duntaxat grauiſſimi languoris incurſu*, etc. Manſiſſe hanc Romanis ad ann. DCCXXIII. mentem et legem, docent haec Gregorii II. ad Thuringorum clerum et plebem, cui Bonifacius praeerat, verba (u): *Sacroſancti autem baptiſmi ſacramentum non niſi in paſchali feſtiuitate et pentecoſte nouerit eſſe praebendum, exceptis iis, quibus mortis vrgente periculo, ne in aeternum pereant, talibus oportet remediis ſubuenire.* WALAFRIDVS STRABO libro de rebus eccleſiaſticis prouocat ad decreta illorum pontificum (x): *Tempora autem baptizandi legitima, paſcha et pentecoſte praefiguntur: ſecundum decreta Siricii, Leonis vel Gelaſii, epiſcoporum.* BVRCHARDVS etiam Wormatienſis epiſcopus, qui ad ann. MXX. claruit, hanc romanae

s) *ibid. cap. 6.* t) *epiſt. 80.* u) *epiſt. 4.* x) *cap. 26.*

Digitized by Google

manae eccleſiae diſciplinam refert et ſequendam proponit diuerſis in locis (y). IVO, qui ad ann. MC. et GRATIANVS, qui ad ann. MCXL. floruit, Burchardum ſequuntur et decreta eadem deſcribunt. In Gallicana etiam eccleſia olim pro ſolenniori baptiſmo paſcha et pentecoſte deputabantur. Teſtis eſt GREGORIVS *Turonenſis*, quando narrat (z), quendam ex Iudaeis *ad ſanctum paſcha, vt baptizaretur, expetiiſſe:* dein vero omnem eorum multitudinem, *nocte ſancta pentecoſtes vigiliis celebratis*, baptiſmum flagitaſſe. Theodoricus Chilperici filius in die paſchatis fuit baptizatus (a), et Childebertus in pentecoſte (b). Poſt GREGORII M. aetatem in Gallia et aliis plerisque in locis, ſolis paſchatis et pentecoſtes temporibus, ſolennius baptiſma fuit addictum, quoad viguit haec baptizandi conſuetudo. Conſtat id ex capitulis Caroli M. et Ludouici Pii: *Vt baptiſmus non fiat, niſi ſtatutis temporibus, id eſt, paſcha et pentecoſte, niſi infirmitas interceſſerit* (c). Et haec diſciplina in concilio Meldenſi generatim ſancitur (d). Imo Carolus M. decreta Leonis in auctoritatem vindicat in epiſtola ad magiſtrum Albinum: *Quod vero non liceat praeter hodie* (paſcha) *et pentecoſten generaliter baptiſmum celebrari, ſanctus Leo papa ſatis denegat, niſi forte infirmitas interſuerit* (e). Eadem praeſcripſit HERARDVS archiepiſcopus Turonenſis, qui ad annum DCCCLVIII. vixit (f). In Auguſtana dioeceſi ſermo ſynodalis habitus eſt anno MIX. vbi ex inſtitutionibus, vt creditur, S. Vdalrici ſtatuitur: *Vt nullus baptizare praeſumat, niſi in vigilia paſchae et pentecoſtes, niſi propter periculum mortis.* Ad annum MCCXXXVII. fuerunt in Anglia, qui hanc in paſchate et pentecoſte baptizandi conſuetudinem peruerſis rationibus appeterent; eos autem concilium Londinenſe, ſub Ottone legato habitum, correxit his verbis: *Ad baptiſmum ſolenniter celebrandum duo tempora, ſcilicet ſabbatum ante reſurrectionem Domini, et ſabbatum ante pentecoſten, ſunt a ſanctis canonibus propter myſterium deputata; ſed quidam,*

y) *lib.* 4. *decretorum capp.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. z) *lib.* 5. *hiſt. Franc. cap.* 11. a) Idem. *ibid. lib.* 6. *cap.* 27. *lib.* 10. *cap.* 15. b) ib. *lib.* 8. *cap.* 4. add. FORTVNATVM *libr.* 3. *carm.* 7. *lib.* 5. *carm.* 4. c) *lib.* 5. *num.* 155. *lib.* 6. *num.* 178. d) *canone* 48. e) adde *concilium Triburienſe, anno DCCCXCV. habitum, can.* 12. f) in *capitulis num.* 31.

quidam, vt audiuimus, in partibus iſtis diabolica fraude decepti, periculum ſuſpicantur, ſi praefatis diebus pueri baptizentur, quod arbitrari vel vtrumque metuere, ſanae fidei penitus aduerſatur.

Quamuis autem aliquando in occidentalibus eccleſiis res ita ſe habuerit, non tamen vbique nec omni tempore conſuetudo illa fuit obſeruata, dum vel plura vel pauciora ſolennia baptiſmi tempora in diuerſis locis obtinuiſſe notantur. Sic in *Africana* eccleſia ad paſcha et pentecoſten acceſſit Epiphaniorum dies, vt teſtatur circa annum CCCCLXXXIIII. VICTOR epiſcopus Vticenſis, quando refert de coeco quodam, cui in vrbe Carthaginenſi viſus fuit reſtitutus (g): *Hic* (coecus ille, nomine Felix) *viſitatur a Domino, praediciturque ei nocte per viſum: dies enim epiphaniorum illuceſcebat: Surge, vade ad ſeruum meum Eugenium epiſcopum, et dices ei, quia ego te ad illum direxi, et illa hora, qua benedicit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos et aperientur et videbis lumen* (h). *Siculos* idem quoque ad ann. CCCCXLVII. factitaſſe, patet ex Leonis ad ipſos data epiſtola, a nobis ſupra citata; ſine dubio, ex veteri maiorum ſuorum vſu ac more, quem tamen ille reiecit. Prohibitam fuiſſe hanc conſuetudinem, etiam memorat WALAFRIDVS STRABO (i): *Alii quoque in Epiphania Domini baptizare voluerunt, quia eo tempore Dominum noſtrum traditur baptizatum: quod et ipſum ab aliis prohibetur.* De interdicto hoc die etiam apud PETRVM *Bleſenſem* legas pene initio ſermonis XIII (k): *Fuerunt haeretici, qui dicerent, ſuper illum locum,* et Ieſu baptizato et orante, *Ieſum oraſſe, vt hi tum acciperent Spiritum ſanctum, qui eadem die baptizarentur, quo et Chriſtus, vt eodem die ieiunarent. Sed abſit hoc a patre miſericordiarum, vt clementia eius alicui certo tempori alligetur, ad faciendam miſericordiam in filios adoptionis. Ad quod retundendum, inſtituit eccleſia, ſubſecutiuo tempore eſſe ieiunandum: et vt haereſin illam vehementius extirparet, ſub anathemate*

g) *libr. 2. de perſec. Vandal.* h) qui hoc die apud Aegyptios fuit baptizatus, is et in natali Domini et in epiphaniis recte dici poteſt: quia hi duo dies apud illos non ſunt diuerſi, ſed vno die celebrantur. LAVNOIVS *l. c. p. m.* 216. i) *loc. cit. cap.* 26. k) *p.* 343. *edit. Mogunt.* 1600.

Digitized by Google

mate interdixit, ne aliquis die Epiphaniarum baptizet, ſi articulus neceſſitatis non intercidat. Apud *Hiſpanos* olim praeter paſcha et pentecoſten natalis dies Domini baptiſmo fuit conſecratus. Docet hoc WALAFRIDVS loco ante citato, ex concilio Gerundenſi, anno DXVII. celebrato, ita ſcribens: *Quamuis in concilio Gerundenſi natalis Domini et paſcha ponantur.* Hac ratione ſine dubio in antiquis huius concilii exemplaribus legit Walafridus, quae nos hodie in recentioribus collectionibus non inuenire poſſumus. Vix autem nobis perſuadere poſſumus, iudice VOSSIO (l), virum, tantopere in eccleſiaſtica antiquitate verſatum, id fuiſſe ſcripturum, niſi illud in concilio eo inueniſſet. Locum ergo habet in his talibus monitum LAVNOII (m): *Antiquos collectores in conciliorum canonibus ea ſaepe reſecare et immutare, quae vel obſoleta et inutilia iudicant, vel ab aeui ſui moribus aliena. Hoc autem qui animaduertere negligunt, ex conciliis id ſaepe probant, cuius oppoſitum concilia ipſa decreuerunt.* Etiam *Gallos* baptizaſſe in Chriſti natali, docet Clodouaei regis Francorum baptiſma, de quo ALCIMVS AVITVS epiſcopus Viennenſis (n): *Siquidem et occiduis partibus in rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat. Cuius ſplendorem congrue redemtoris noſtri natiuitas inchoauit, vt conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex vnda vos pareat, quo natum redemptioni ſuae coeli dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt natalis Domini, ſit et veſtri, quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo.* Morem hunc iam a Conſtantii temporibus in Galliis fuiſſe, colligunt autores (o) ex loco GREGORII *Turonenſis*, vbi de Marcellino Ebredunenſis eccleſiae epiſcopo ſcribit (p): *Hic feciſſe dicitur lauacrum ad baptizandum, in quo in natali Domini et dominicae coenae aqua dicitur diuinitus exoriri: de quo etiam ad aliud lauacrum, in quo priſca conſuetudo baptizari inſtituit, aqua defertur.* Imo iidem Galli praeter natalem et paſcha, Ioannis quoque baptiſtae feſtum pro ſolenni baptiſmi tempore habuerunt, teſte eodem GREGORIO (q): *Poſthaec rex* (Guntchramnus) *Pariſios venit et coram omnibus loqui coepit, dicens:*

l) *loc. cit. p. m.* 202. m) *loc. cit. cap.* 9. *p.* 184. et 219. n) *epiſt.* 41. *ad Clodoueum regem.* o) MENARD. *not. in lib. ſacrament. Greg. pag.* 160. LAVNOIVS *loc. cit. p.* 180. et 217. p) *de gloria confeſſ. cap.* 69. q) *hiſt. lib.* 8. *cap.* 9.

dicens: germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquiſſe, cuius nutritores matre deprecante petierunt, vt eum de ſancto lauacro in dominici natalis ſolennitate deberem excipere, et non venerunt. Rogauerunt deinceps, vt ad ſanctum paſcha baptizaretur, ſed nec tunc allatus eſt infans. Deprecati autem ſunt tertio, vt ad feſtiuitatem ſancti Ioannis exhiberetur, ſed nec tunc venit. Hos autem dies ita numerat, quaſi de more in gallicana eccleſia tunc recepti fuiſſent. Hoc vero illius eſſe videtur proprium, quod natalem Ioannis baptiſtae baptiſmo ſolenni deſignauerint. Sed id taceri nequit, quod in gallicanis quibusdam eccleſiis ſolennius baptiſma videatur vnico paſchati reſeruatum. Sic enim ſtatuit Antiſiodorenſe concilium (r): *Non licet absque paſchae ſolennitate vllo tempore baptizare, niſi illos, quibus mors vicina eſt, quos grabatarios dicunt.* Huic iungi poteſt concilium Matiſconenſe (s), quod conqueritur de Chriſtianis non obſeruantibus legitimum diem baptiſmi, et pene per ſingulos dies, ac natales martyrum filios ſuos baptizantibus, ita vt vix duo vel tres reperiantur in ſancto paſchate, qui per aquam et ſpiritum regenerentur. Hanc vero conſuetudinem poſthac prohibitam voluit. Habuerunt et *Angli* diem natalem Domini pro ſolenni tempore, vt teſtatur GREGORIVS M. de conuerſione Anglorum, per Auguſtinum epiſcopum facta, loquens (t): *In ſolennitate dominicae natiuitatis plusquam decem mille Angli ab eodem nunciati ſunt fratre et coëpiſcopo noſtro baptizati.* Diem vero epiphaniorum *Hiberni* praeter conſueta feſta adhibuerunt, vt id conſtat ex decreto ſynodi ſecundae S. Patritii (u): *Octauo die catechumeni, ſicut poſtea in ſolennitatibus Domini baptizantur, id eſt, in paſcha, pentecoſte et epiphania.* Fuit etiam locus in *Germania*, vbi poſt aetatem Caroli M. ſolennius baptiſma traditum eſt in theophaniis. Cui rei fidem faciunt annales Francorum Fuldenſes ad annum DCCCXLV. *Hludowicus XIV. ex ducibus Boemanorum cum hominibus ſuis Chriſtianam religionem deſiderantibus ſuscepit, et in octauis theophaniae baptizari iuſſit.* Imo, quod magis mireris, in ipſa *Italia* ritus hic in theophania baptizandi non modo ad annum MCCCCXIV. perſeuerauit, ſed etiam *Rauennatenſis* concilii decreto firmatus fuit

r) *canone* 18. s) *can.* 3. t) *lib.* 7. *indict.* 1. *epiſt.* 30.
u) *cap.* 19.

Digitized by Google

fuit (x): *Et ne quis ea poſſit deinceps ignorare, mandamus, quod quilibet rector, ſeu ſacerdos ſuum populum debeat et teneatur ter ſaltem in anno inſtruere in praedictis, videlicet in octaua epiphaniae, in ſabbato ſanctae paſchae, et in ſabbato pentecoſtes.* At haec fuere tempora, in quibus, vt apparet, Rauennatenſis eccleſia ſolenniorem baptiſmum agebat. Denique ex Siricii et Leonis epiſtolis, ſupra memoratis, nec non ex Matiſconenſi concilio didicimus, fuiſſe etiam quosdam, *qui pene per ſingulos dies ac natales martyrum filios ſuos baptizarunt.* Ipſa quoque diſciplina romana, pluribus in locis ſtabilita, a Lombardi et Belethi temporibus, id eſt, ab anno MCLXX. nullius vel concilii vel papae decreto, ſed ſcholaſticorum rationibus (y), apud hos citius, apud alios ſerius, paulatim labefactari coepta, poſtremo plane abrogata fuit: vt nunc nihil eius ſuperſit apud Latinos, praeter quasdam reliquias, a LAVNOIO notatas (z). Sunt autem hae ſequentes: 1) quod aqua, quae ſingulis anni diebus ſacramento inſeruit, in paſchate tantum et pentecoſte conſecratur. 2) quod romana eccleſia his temporibus quosdam ſibi comparat catechumenos, quos veteri ritu baptizat. 3) quod haec et caeterae eccleſiae officium idem, quod olim perſeuerante diſciplina illa celebrarint de nocte, nunc de die celebrant; etiamſi magna pars illius nocti, non diei reſpondeat, vt ex benedictione cerei conſtat. Interea negandum non eſt, aliquos mutationi illi interdum repugnaſſe: vt concilium Londinenſe ſub Ottone legato pontificis ann. MCCXXXVII (a), Rauennatenſe anno MCCCXIV (b), Colonienſe ann. MDXLIX (c), et Laudunenſis eccleſia ſimile quid in paſchate etiamnum cuſtodit.

Ex Occidente ſi progredimur in Orientem, et ibi in eccleſiis paſchatos et pentecoſtes feſta ſolenniori baptiſmo fuerunt deputata. Teſtem huius rei habemus HIERONYMVM, qui diu in Oriente multumque vixit. Sic autem ille ſcribit ad Pammachium (d): *Nos ſcindimus eccleſiam, qui ante paucos menſes circa dies pentecoſtes, cum obſcurato ſole omnis mundus iam iamque venturum iudicem formidaret, quadraginta diuerſae aetatis et ſexus*

x) *cap.* 14. y) THOMAS *part.* 3. *quaeſt.* 68. *art.* 3. z) *loc. cit. p.* 238. a) MATTH. PARIS. *ad hunc annum pag.* 303. *c.* b) *loco ſupra cit.* c) *cap.* 14. d) *epiſt.* 61. *ad Pammach. aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani, cap.* 14.

Digitized by Google

ſexus presbyteris tuis obtulimus baptizandos? Et certe quinque presbyteri erant in monaſterio, qui ſuo iure poterant baptizare, ſed noluerunt quicquam contra ſtomachum tuum facere, ne et haec tibi de fide reticendi daretur occaſio. An non tu potius ſcindis eccleſiam, qui praecepiſti Bethleem presbyteris tuis, ne competentibus noſtris in paſcha baptiſmum traderent, quos nos Diospolim ad confeſſorem et epiſcopum miſimus Dionyſium baptizandos? Haec baptiſmi tempora ſic memorat Hieronymus, vt ex primaeua traditione manare iudicetur. De pentecoſte ita ſcribit CHRYSOSTOMVS (e): *Nolite timere! ostendam, in nobis eſſe nunc quoque Spiritum ſanctum: qua tandem ratione? Nam ſi non eſſet in nobis Spiritus ſanctus, quomodo iſti, qui hac ſacra nocte baptizati ſunt, a peccatis liberari potuiſſent?* Praeter paſcha vero et pentecoſten epiphania apud Graecos iure baptiſmatis donata fuiſſe, legimus apud GREGORIVM *Nazianzenum* (f): *Tempus regenerationis eſt, enaſcamur deſuper: tempus reſtaurationis, primum Adam deponamus: Chriſtus illuminatur, ſimul fulgeamus: Chriſtus baptizatur, deſcendamus cum eo, et vna cum eo aſcendamus.* Deinde idem alibi (g): *Excuſas te, excuſationes in peccatis ostendis? diem luminum expecto, paſcha mihi carius eſt, ad pentecoſten vsque praeſtolabor, cum Chriſto mihi melius eſt illuminari.* Hac ratione per tria ſolennia feſta, quaſi per totum anni circulum, ſuas olim habebant excuſationes de dilatione baptiſmi. Qui porro conſiderabit aquae conſecrationem, magno apparatu in epiphaniis apud Graecos peractam, ad collatum eo die baptiſmum ſpectat: atque hoc ſenſu explicandum eſſe Chryſoſtomum in oratione de baptiſmo Chriſti. Huc pertinet, quod refert IO. MOSCHVS (h): *Somba vicus quidam eſt ad radices montis, in quo ſita eſt Coënnenſium ciuitas: in eo baptiſterium eſt, quod in ſanctis epiphaniis ſudat, qui ſudor per tres horas continuis incrementis augetur, et poſt baptiſma peractum decreſcere incipit, et tribus aliis horis ſenſim deficit.* De hac in theophaniis baptizandi conſuetudine loquitur THEOPHANES in chronico: *Herulorum rex Graetis cum ſubdito*

e) *ſermone* 36. f) *orat.* 39. *in luminaria.* g) *orat.* 40. *in ſanctum baptiſma.* h) *prati ſpiritualis cap.* 214.

dito ſibi populo Conſtantinopolim aduenit, vt fieret Chriſtianus, ab imperatore expetiit, Iuſtinianus vero collato eidem in theophaniis baptiſmo ſuſcepit eum e fonte, et ſimul cum eo proceres ſenatoresque ſunt baptizati. Idem recenſet PAVLVS *Diaconus* (i). Peculiare tamen fuit illud, quod SOCRATES de ſingulari Theſſalorum more in dando baptiſmate ſcriptum reliquit (k). *Aliam praeterea conſuetudinem in Theſſalia eſſe cognoui, vt diebus feſti paſchatis duntaxat baptizent: ob quam cauſam omnes, exceptis admodum paucis, absque baptiſmate moriuntur.* Simile quid ſupra notauimus in Gallia factum. Sed quicquid de eo ſit, eccleſia orientalis ſuum adhuc morem ſeruabat, cum DVRANDVS Mimatenſis edidit rationale diuinorum officiorum, et ſcripſit (l): *Graeci ea die* (epiphaniorum) *baptizant;* et iterum (m): *Graeci vero baptiſmum celebrare ſolent in epiphania, pro eo quod tunc fuit Dominus baptizatus* (n). Hodierni autem Graeci non amplius definitum tempus habent, vt id patet ex confeſſione METROPHANIS CRITOPVLI (o): *Definitum diem, quando baptizandi ſunt infantes, non habemus: nam quidam eos octauo die baptizant, quidam decimo; alii autem plus, alii minus. Cum autem neceſſitas vrget, ſtatim poſt natiuitatem baptizantur.*

Ceterum cum legimus apud antiquos, paſchate et pentecoſte baptizari ſolere, poſtea quaeſitum fuit, an in ſabbato duntaxat, id eſt, vigilia paſchatis et pentecoſtes fuerit collatus baptiſmus, an vero ſequentibus quoque per paſchalem hebdomadam diebus? Prius ſibi asſerendum ſumſit IOSEPHVS VICECOMES (p), fretus aliquot ſcriptorum locis. Scilicet IO. CHRYSOSTOMVS in epiſtola ad Innocentium papam, quae in eius vita, per Palladium ſcripta, inſerta eſt, arianae perſecutionis vim et acerbitatem referens, mulieres, quae paſchali ſabbato, vt baptizarentur, veſtes exuerant, nudas fugam arripuiſſe, ſcribit. PAVLINVS *Nolanus* in vita S. Ambroſii narrat, quod *ad eccleſiam maiorem ante lucanam horam, qua defunctus eſt, corpus eius* (Ambroſii) *portatum ſit, ibique eadem fuerit nocte, qua vigilaui-*

i) *lib.* 16. *hiſtor. ad ann. DXX.* k) *hiſt. eccl. lib.* 5. *cap.* 21. l) *lib.* 6. *cap.* 16. m) *ibid. cap.* 82. n) conf. GOAR. in *not. Euchol. p.* 467. §. 1. o) *cap.* 7. *pag.* 87. p) *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 24.

Digitized by Google

gilauimus in paſcha, quem plurimi infantes baptizati, cum a fonte venirent, viderunt. Hi ergo infantes, qui in nocte adfuerunt, in peruigilio paſchatis erant baptizati. Idem vult AVGVSTINVS, catechumenos diem recitandi ſymboli ſic docens (q): *Quicunque veſtrum non bene ſymbolum reddiderunt, habeant ſpatium, teneant: quia die ſabbathi, audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri eſtis, die ſabbati nouiſſimo, quo die baptizandi eſtis.* GREGORIVS M. Ianuario epiſcopo Caralit. ſignificat (r), Iudaeos grauiter queſtos eſſe, quod Petrus quidam, chriſtianae religioni nuper adſcriptus, *ſequenti die baptiſmatis ſui, hoc eſt, dominico, in ipſa feſtiuitate paſchali*, eorum ſynagogam occupauerit. Plura congeſſit ante laudatus Vicecomes. Poſterius autem, hebdomade integra baptizandi ius fuiſſe, RHENANVS in Tertullianum monuit (s). Huc SOCRATES reſpicit (t): ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα μόνον βαπτίζουσιν, *vt diebus feſti paſchatis tantum baptizent.* Satis etiam aperte VICTOR papa epiſt. I. ad Theophilum Alexandrinum: *A quarta decima vero luna primi menſis, vsque ad vigeſimum primum eiusdem menſis diem eadem celebretur feſtiuitas: eodem vero baptiſmus eſt celebrandus catholicus.* Et ſynodus quinta Conſtantinopolitana libell. monachor. ad Mennam patriarcham: *Nondum perfectis diebus his, quibus baptizabatur, poſtquam vidit perſpicue* etc. Tribunenſis ſynodus, anno DCCCXCV. habita, praecipit (u): *Vsque ad octauum diem regeneratio ſacra ab omni populo chriſtiano celebrabitur: quia reſurrectio Domini octo diebus colitur.* Haec quidem VICECOMES (x) ita vult explicare, vt octodialia pro aliquo eorum dierum, et numerum pluralem pro ſingulari poſitum eſſe intelligamus; ſed cur ab expreſſa littera, neceſſitate nulla vrgente, recedendum ſit, non video. Placet nobis potius G. I. VOSSII (y) de Vicecomitis ſententia iudicium, loca ſcil. ab eo producta euincere, in peruigilio paſchali et pentecoſtes tingi ſolere; attamen paſchali ipſa feſtiuitate, atque adeo tota iſta hebdomade, nusquam aut nunquam baptizari ſolere, minime demonſtrare.

q) *homil. 42. de commendatione orationis dominicae.* r) *lib. 7. epiſt. indict. 2. ep. 5.* s) *de bapt. cap.* 19. et *lib. de corona milit. cap.* 19. t) *hiſt. eccl. lib. 5. cap.* 21. NICEPH. *hiſt. eccl. libr.* 12. *cap.* 34. u) *cap.* 12. x) *loc. cit. p.* 154. y) *loc. cit. p. m.* 204.

ſtrare. Nempe in peruigilio paſchae tingere incipiebant: et hoc fuiſſe maxime ſolenne baptizandi tempus fatemur. Etiam illud damus, vt plurimum hoc peruigilio accepiſſe baptiſmum, quotquot eum petiiſſent; ſed haec non obſtant, quo minus in plerisque ſaltem eccleſiis, iis, qui peruigilii tempore baptizari non potuiſſent, aliquo ſequentium dierum baptiſmus daretur. Id enim factum fuiſſe, loca a nobis adducta probant.

De *hora* baptiſmi aliquid eſt addendum (z). Ea ab initio non definita, dein certis *nonae* finibus circumſcripta, poſtremo iterum libera et indifferens fuit. De primo et vltimo momento vti nullum eſt dubium, ita ſecundum conſtat ex *ordine romano*, de benedictione aquae ad albas deponendas: *Sabbato in vigiliis pentecoſtes omnes ieiunium faciant, et omne diuinum officium, vel ordinem, tam lectiones, quam et baptiſmum, ſicut in ſabbato ſancto vigiliarum paſchae. Tantum hora octaua ingrediuntur ad vigilias, vel miſſarum ſolennia, vt hora nona expleta, omnia conſummentur.* Clariora habemus huius rei teſtimonia tum apud ALBINVM FLACCVM (a), qui & cauſas ſimul duas adducit: *Hodie autem hora nona baptiſmus celebratur, ſicut in pentecoſte, ea de cauſa, quia angelus Domini venit ad Cornelium hora nona, annuncians ei, quod orationes eius aſcendiſſent in conſpectum Domini, qui mox miſit ad Petrum, et promeruit ſacramentum baptiſmi. Sed et hoc decentiſſimum eſt, vt qua author vitae emiſit ſpiritum, eadem hora nona eccleſia ſancta percipiat ſanctum baptiſma.* Tum apud AMALARIVM FORTVNATVM (b): *Igitur eo in tempore, circa primitiuam eccleſiam, hora nona baptiſmus celebratus eſt; vt et ipſa, et imitatrix eius, quae hodierna eſt, retineret in mente, quod in morte Chriſti, qui hora nona emiſit ſpiritum, oporteat eam baptizare. Hunc morem tenet nunc noſtra eccleſia in vigilia Pentecoſtes, quem praeſignauit Cornelius, qui vt mereretur accipere baptiſmum, hora nona erat orans, et ieiunans, in domo ſua.* Per horam nonam vero intelligitur hora veſperarum, et aeſtumanda eſt illa ex diuiſione diei in duodecim horas. Si vero legamus, nocte baptiſmum fuiſſe peractum, illa loca non tollunt, quo minus hora nona celebrationi baptiſmi decreta

creta

z) VICECOMES *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 24. *pag.* 154. *ſqq.* a) *de diuin. off. cap.* 19. *de ſabb. paſch.* b) *lib.* 4. *de eccl. off. cap.* 28.

Digitized by Google

creta eſſet. Nam fieri poterat, vt prae nimia baptizandorum multitudine, et inopia eorum, qui baptizarent, baptiſmus nona incoeptus, ad noctem vsque produceretur.

Cur vero *paſchate et pentecoſte* praecipue baptiſmus fuerit celebratus, ratio fuit deſumta a Chriſti morte et reſurrectione, nec non aduentu Spiritus ſancti. Proinde TERTVLLIANVS (c): *Diem baptiſmo ſolenniorem paſcha praeſtat: cum et paſſio Domini, in qua tingimur, adimpleta eſt, nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod, cum vltimum paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis diſcipulis ad praeparandum, Inuenietis, inquit, hominem aquam baiulantem: paſchae celebrandae locum de ſigno aquae oſtendit: exinde pentecoſte ordinandis lauacris latiſſimum ſpatium eſt, quo & Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, gratia Spiritus ſancti dedicata et ſpes aduentus Domini ſuboſtenſa.* LEO pontifex ad vniuerſos Siciliae epiſcopos (d) prolixe rationes huius conſuetudinis adducit, quas gloſſa in Gratianum (e) ad certa retulit capita: *Quaeſitum fuit a Leone, quare ſolennis baptiſmus celebretur tantum in paſcha et pentecoſte, et non in feſto Epiphaniae, quando Chriſtus fuit baptizatus? qui reſpondet, de paſcha triplicem rationem aſſignando. Vna eſt, quia plena poteſtas data eſt baptiſmo in morte Chriſti et reſurrectione. Alia eſt, quia in baptiſmo repraeſentatur mors Chriſti et reſurrectio. Tertia eſt, quia poſtquam Chriſtus reſurrexit, baptizandi formam diſcipulis tradidit, et gentes baptizare praecepit. De feſto autem pentecoſtes multiplex ratio aſſignatur: quia tunc Spiritus ſanctus in apoſtolos venit, ſicut illa die venit in baptizatos* (f). Repetit etiam Leonis rationes concilium Triburienſe (g). Porro vlterius quaeritur, cur eccleſiae plurimae *in ſabbato* potius, quam dominico die, tingerent? Rationem affert AMALARIVS FORTVNATVS (h): *Propter myſterium conſepulturae Chriſti, quae recolitur in ſabbato, baptizatur Chriſti corpus in ſabbato; vt poſt hanc ſepulturam in die dominica reſurgat. Initium enim reſurrectionis a dominica die debemus celebrare.*

 Sit

c) *lib. de bapt. c. 19.* d) *epiſt. 4. cap. 3.* e) *de conſecrat. diſt. 4. cap. 13.* f) add. WALAFRIDVS STRABO *lib. de reb. eccl. cap. 26.* RABAN. MAVRVS *lib. 2. de inſtitut. cleric. cap. 41.* g) *cap. 12.* h) *lib. 4. de off. eccl. cap. 29.*

Digitized by Google

Sit illa dominica dies initium noui hominis, qui reſurrexit a mortuis; et iterum ſepultura eius, quando anima tranſit in requiem ſine corpore in ſabbati die. Berno Augienſis (i): *Rectiſſime ſancti patres duo tantum legitima tempora ad baptizandum, ſi nulla neceſſitas interuenit, conſtituerunt, ſabbatum videlicet paſchae et ſabbatum pentecoſtes. Quae vtraque per octo dies celebrantur. Merito conſepeliuntur Chriſto baptizati in ſabbato, vt cum ipſo valeant reſurgere die dominico. Sicut enim ſabbatum requiem animarum, ſic dominicus dies, qui eſt primus et octauus, ſignificat reſurrectionem corporum.* Ivo Carnotenſis (k): *Vsque in ſabbatum paſchale baptiſmus eorum differtur, hoc attendente eccleſia: quia qui ad agonem in praeſenti vita vocantur, in ſpe futurae quietis baptizantur.* Honorivs (l): *Ideo in ſabbato baptizatur, quod requies dicitur; quia aeterna requies per baptiſmum requiritur.*

VIII. *Ceremoniae* baptiſmi adhuc ſunt conſiderandae, quarum quaedam baptiſmo fuerunt praemiſſae, aliae in ipſo actu adhibitae, et iterum aliae poſt baptiſmum peractum additae. Primis temporibus vt ſumma in omnibus ſacris erat rituum ſimplicitas, ſic etiam baptiſmus paucos habuit, qui tamen ſequentibus ſeculis nimium multiplicati leguntur. Per ſaturam eos, quotquot ex diuerſis aetatibus inuenire potui, nunc ſaltem dabimus, ſed ita, vt de ſingulis ſuo loco ex profeſſo agatur. *Ante baptiſmum* adultorum praemittebatur 1) *praeſentatio baptizandi per ſusceptores*, de quibus agetur infra in voce *ſusceptor*. 2) *relatio nominum*, tum baptizandi, tum ſusceptoris, *in tabulas*, de quibus in voce *diptycha*. 3) baptizandi *informatio* per diuerſas claſſes catechumenorum, de quibus in voce *catecheſis* et *catechumenus*. In claſſe *audientium*, debebat a) *abrenunciare* diabolo et pompis eius: vide ſupra *abrenunciatio*. b) dabatur illi *pallium:* vide *pallium*. c) ſequebatur *fidei profeſſio* et *promiſſio:* vide *fidei profeſſio*. d) *tactus oculorum, narium, aurium et linguae* ex ſputo digitis presbyterorum: vide *ſputum*. e) *adhibitio exorciſmi*, cum manus impoſitione: vide *exorciſmus*. f) *unctio olei:* vide *oleum*. g) *ſignum crucis:* vide *crux*. h) *ſalis in os* inſertio: vid. *ſal*.

i) *lib. de rebus ad miſſam pertinentibus cap.* 3. k) *ſerm. de ſacram. neoph.* l) in *Gemma animae lib.* 3. *cap.* 116.

Digitized by Google

ſal. In claſſe *competentium* a) iniungebatur *poenitentia* cum actibus: vide *poenitentia;* ſpectabant etiam ad praedictam poenitentiam, abstinentia ab vxore, et balneis, et requirebantur orationes, ieiunia, vigiliae etc. b) erat *ſymboli* traditio et recitatio: vid. *ſymbolum.* c) *capitis ablutio:* vid. *capitilauium.* d) *expoſitio* et recitatio *orationis dominicae:* vid. *oratio dominica.* e) *ablutio pedum:* vid. *pes.* In claſſe *electorum* fiebant *ſcrutinia* varia: vid. *ſcrutinium.* Conficiebantur autem ſcrutinia hiſce ceremoniis: vt primo *recitarentur nomina* ſingulorum baptizandorum; deinde ad *morum et fidei inquiſitionem* animum attendebant, ac etiam in iisdem fidei rudimenta quandoque explicabant. His peractis, diaconus imperabat *quinquies humi ſterni,* et totidem vicibus *ſurgere,* vt quinque Chriſti vulnera frequenti memoria recoleret; ſucceſſiue a ſuſceptore, vna cum acolytho *ſignum crucis* in fronte imprimebatur. Tandem ſequebatur *cineris conſecrati* a ſacerdote *aſperſio.*

In *adminiſtratione* baptiſmi ipſa 1) *eccleſia* periſtromatis *ornata, balſama* et odores incenſi et varii cerei et lychni accenſi fuerunt. 2) *pecunia* ſacerdotibus oblata. 3) *Litaniae* ante baptiſmum et in baptiſmo dicebantur. 4) nominum baptizandorum recitatio, et eorum ad epiſcopum manuductio. 5) *repetitio* omnium *ceremoniarum* die baptiſmi. 6) *Merſio trina,* et poſtea *aſperſio,* de qua ſupra, et quidem nudorum atque ieiunorum, ſeparatim virorum et mulierum. 7) *formula,* quae ſupra fuit adducta. 8) *preces* et *pſalmi* olim in baptiſmo recitati: vid. *pſalmus* et *preces.* 9) verſus orientem ſolem baptizandi conſuetudo.

Poſt baptiſmum 1) miniſter baptizatis *oſcula* figebat: vid. *oſculum.* 2) eorum *ſuſceptio* et per linteola *absterſio,* nec non adſtantium *congratulatio.* 3) *vnctio* chriſmatis per Latinos in vertice, per Graecos vero in diuerſis partibus: vid. *chriſma.* 4) *veſtis candidae* traditio: vid. *veſtis.* 5) *velamen ſacrum* in capite: vid. *velum.* 6) *calcei* dabantur: vid. *calceus.* et 7) decem *ſiliquae.* 8) *cerei* accenſi in manus: vid. *cereus.* 9) *pax* data a miniſtro: vid. *pax.* 10) *collocatio* baptizati *in loco ſublimi* ante ſacrarium. 11) *confirmatio* olim ſtatim poſt baptiſmum adultorum et infantium, poſtea in aliud tempus dilata: vid. *confirmatio.* 12) *benedictio.* 13) *miſſae officium.* 14) ſumtio *eucharistiae:* vid. *eucha-*

O 4 *riſtia.*

riſtia. 15) *coronae* impoſitio: vid. *corona.* 16) *lactis et mellis*, vel lactis et vini, datio: vid. *lac*, *mel* et *vinum.* 17) *concio* ſolennis cum *benedictione:* vid. *concio.* 18) *eleemoſynarum* distributio: vid. *eleemoſynae.* 19) *conuiuium* miniſtro et ſusceptoribus datum: vid. *conuiuium.* 20) eccleſiae *laetitia* propter baptizatos per octo dies feſtos. 21) *denunciatio numeri* baptizatorum in feſtis ſolennibus. 22) *abstinentia* baptizatorum a balneis, epulis lautioribus et vxore. 23) *datio cereae Agni imaginis:* vid. *agnus.* 24) *manſio* baptizati apud miniſtrum per aliquot dies. 25) *anniuerſarius* dies baptiſmi olim fuit celebratus: vid. *anniuerſarius.*

BAPTISMVS IOANNIS (m). Ita dicitur a cauſa miniſtra, Ioanne (n), qui eum adminiſtrauit. Quomodo ille a Chriſti baptiſmo differat, et cum eo conueniat, diuerſae ſunt patrum ſententiae. Ioannis baptiſmum vocarunt εἰσαγωγικὸν, *introductorium*, Chriſti vero τελειωτικὸν, *perfectionis* (o). Eorum quidam neque Ioannis, neque diſcipulorum Chriſti baptiſmum Spiritum ſanctum contuliſſe baptizatis voluerunt. CHRYSOSTOMVS (p): *Quod ſi vero quis ſciſcitetur, quid amplius diſcipulorum, quam Ioannis baptiſma continuerit, quandoquidem etiam ipſi baptizabant? reſpondemus: nihil. Vtrumque enim ſimiliter ſpiritus expers erat, et vnam eandemque baptizandi cauſam habebat, vt nimirum Chriſto adduceret baptizatos.* Item AMMONIVS (q): *Neque Ioannis, neque diſcipulorum baptiſmus Spiritum ſanctum conferebat; ſed ne ſigillatim obeundo, ſingulis ſeorſim Chriſtum praedicarent, baptiſmum conſtituerunt, vt ad eum confeſtim accurrentes turbas, ad Chriſtum adducerent.* Hinc porro quidam expreſſe asſeruerunt, baptiſmum Ioannis non remiſiſſe peccata, ſed tantum fuiſſe baptiſmum poenitentiae. Ita ſcriptor *de cardinalibus Chriſti operibus*, ſermone de baptiſmo Chriſti: *Praeparabat viam Domino Ioannes, lauando exterius corpora, vt praecederet exterius lauacrum ſecuturum baptiſma; in quo conferretur animarum ablutio et peccatorum remiſſio. Praeceſſit, quod erat ex parte, vt conſummatio ſequeretur.* AMBROSIVS

m) SVICER. *loc. cit. p.* 625. *ſqq.* VOSSIVS *diſp.* 8. *de baptiſmo pag.* 108. *ſqq.* n) Matth. 3, 11. Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Ioh. 1, 26. 33. o) BASIL. *homil.* 13. quae eſt *exhortatio ad baptiſm. pag.* 476. p) in *Catena in cap.* 3. *Ioh. ad verſ.* 23. *pag.* 103. q) *ibid. ad verſ.* 26. *pag.* 104.

Digitized by Google

SIVS (r): *Audiſtis hodie legi, quia Ioannes baptizabat in Aenon iuxta Salim. Aenon dicitur oculus ſuppliciorum. Salim ipſe aſcendens. Hoc habet interpretatio. Qui ergo baptizari elegit, ſupplicia praeuidet. Et ideo confugit ad baptiſmatis ſacramentum, vt peccatum omne deponat, ne obnoxius incipiat eſſe ſuppliciis. Et forte ſupplicia praeuidet, qui baptizatur baptiſmo poenitentiae; at vero ille gratiam ſpectat, qui baptizatur in Chriſto. Baptiſmus ergo Ioannis, oculus ſuppliciorum eſt; baptiſmus Chriſti, oculus gratiarum.* HIERONYMVS aduerſus Luciferianos: *Iſte ergo talis tantusque, Spiritum ſanctum non dedit, quem Cornelius centurio, antequam baptizaretur, accepit? Reſponde quaeſo, cur non dederit? Sed ignoras. Audi, quid ſcripturae doceant: Ioannis baptiſma non tam peccata dimiſit, quam baptiſma poenitentiae fuit in peccatorum remiſſionem, id eſt in futuram remiſſionem, quae eſſet poſtea per ſanctificationem ſubſequutura.* AVGVSTINVS (s): *Quapropter quanquam ita credam, baptizaſſe Ioannem in aqua poenitentiae, in remiſſionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata, re ipſa vero in Domini baptiſmo id fieret: ſicut reſurrectio, quae expectatur in finem, ſpe in nobis facta eſt; ſicut dicit idem apoſtolus: quia ſimul nos excitauit, et ſimul ſedere fecit in coeleſtibus.* Huc etiam tendunt, qui baptiſmum Ioannis praeſtantiorem fuiſſe baptiſmo Moſis, inferiorem tamen baptiſmo Chriſti asſerunt. CHRYSOSTOMVS (t): *Baptiſmus Ioannis iudaico quidem longe erat ſublimior, noſtro vero humilior; et erat veluti pons quidam inter vtrumque baptiſmum, ab illo ad hunc deducens.* GREGORIVS *Nazianzenus* (u): *Baptizauit etiam Ioannes, non quidem amplius more iudaico: non enim in aqua ſolum, ſed etiam ad poenitentiam; nondum tamen prorſus ſpiritualiter: nec enim addit, in ſpiritu. Baptizat quoque Ieſus: atque haec eſt perfectio.* Non deſunt tamen, qui in collatione baptiſmi Ioannis cum baptiſmo Moſis contrarium ſtatuunt. BASILIVS (x): *Ioannis autem baptiſma multis modis excelluit* (Moſis baptiſma). *Nullam enim prorſus faciebat peccatorum differentiam: nullum exigebat ſacrificiorum*

r) *in pſal.* 36. s) *tom.* 7. *de baptiſmo contr. Donat. lib.* 5. *cap.* 10. t) *hom.* 74. *tom.* 5. u) *orat.* 39. *p.* 634. x) *lib.* 1. *de baptiſmo, pag.* 647.

rum diſcrimen: purificationem ſtudioſe non efflagitabat, nec dies aut horas obſeruabat: nec vllam prorſus faciebat ad gratiam Dei et Chriſti ipſius perueniendi dilationem. Simul atque acceſſerat quis, et peccata ſua, quantacunque et qualiacunque fuiſſent, confeſſus fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur, et confeſtim peccatorum remiſſionem accipiebat. His fere gemina ſunt, quae in *Catena in cap. 3. Ioannis* (y) ex Ammonio leguntur: *Aqua luſtrationis, quae habebat cineres vitulae, inuoluntaria peccata purgabat, et a morticinii contactu emundabat; Ioannis autem baptiſmus vere poenitentibus etiam peccata voluntaria remittebat.* PRVDENTIVS de baptiſmo Ioannis ita canit (z):

Hortatur ille primus, et doctor nouae
Fuit ſalutis: nam ſacrato in flumine
Veterum piatas lauit errorum notas.
Sed tincta poſtquam membra defecauerat,
Coelo refulgens influebat ſpiritus.
Hoc ex lauacro, labe demta criminum,
Ibant renati; non ſecus, quam ſi rudis
Auri recocta vena pulcrum ſplendeat;
Micet metalli ſiue lux argentei,
Sudum polito praenitens purgamine.

Claudat diuerſa ſentientium agmen ſententia EVLOGII, quam refert PHOTIVS (a), baptiſmum Ioannis fuiſſe perfectum baptiſmum, antequam Chriſti baptiſmus fuiſſet inſtitutus. Dicebant enim quidam, *Petrus non perfecte baptizatus fuit: ſolo enim Ioannis baptiſmo erat baptizatus; Spiritum vero ſanctum nondum accepit: nam hunc poſt reſurrectionem, quinquaginta diebus elapſis, accepit.* His reſpondet Eulogius: *Etiam Ioannis baptiſmus tunc perfectus fuit; at poſtea vtentibus imperfectus eſt factus, poſtquam Saluator modum baptizandi ſuis tradens diſcipulis, dixit:* Profecti docete omnes gentes etc. Praecipuae rationes eius ſunt: *Quia illos diſcipulos, qui Ioannis acceperant baptiſmum, nullibi legitur rebaptizaſſe Ieſus. Quia Saluator eo baptizari non eſt dedignatus, oſtendit perfectum fuiſſe,* nempe baptiſmum Ioannis. Haec ex patrum ſcriptis adduxiſſe

y) *pag. 104. ſq.* z) *Cathemer. hymno 7.* a) *in biblioth. cod. 280.*

xiſſe ſufficiant. Plura qui de hac controuerſia deſiderat, Theologos dogmaticos et polemicos euoluere neceſſum habebit.

BAPTISMVS SVPER MORTVIS ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, primum memoratur ab apoſtolo Paulo (b), et a doctoribus antiquis et recentibus varie exponitur. Explicatio *prima* eſt eorum, qui locum hunc de antiquo ritu conferendi baptiſmum ſuper ſanctorum ſepulcris exponunt. Putant ſcilicet, verba apoſtoli per enallagen legenda, ac ſi ſcriptum eſſet: *Si omnino non reſurgunt mortui, quid baptizant ſuper mortuos?* vt paſſiuum pro actiuo, et ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, pro ὑπὲρ τοὺς νεκροὺς poſitum ſit: et id feciſſe in teſtimonium et argumentum fidei, quam de reſurrecturis illis concepiſſent, vt voluere LVTHERVS (c) et GEORGIVS MAIOR. BVLLINGERVS vero ex ceremonia deducit, qua omnes pene gentes ſuper mortua et ſepulta corpora baptizant, id eſt, tingunt, et aquam ſpargunt. Non quidem negamus, florente magis eccleſia, in locis, vbi martyres paſſi ſunt, baptiſteria fuiſſe condita, vt teſtantur PRVDENTIVS et ENNODIVS (e); ſed aeuo apoſtolico hunc morem obtinuiſſe, tacentibus ſcriptoribus coaeuis, repugnante ceremoniarum ſimplicitate, et mox quoque more occultandi myſteria, vix alicui perſuaderi poterit.

Secunda eſt illorum, qui hunc baptiſmum de *lotione ceremoniali V. T.* accipiunt, quam ſuper mortuis lege Moſaica praeceptam ſcimus; vt adeo ſenſus apoſtoli huc redeat: Noſtis, quod in V. T. Deus per Moſen inſtituerit, vt, quisquis mortuum tangeret, immundus eſſet, cogereturque tertio die baptizari; quin eundem ritum hodieque multi inter nos Chriſtianos, qui ex circumciſione conuerſi ſunt, ita obſeruant, vt adhuc ſuper mortuis baptizentur. Ritus vero ille ceremonialis, quare olim inſtitutus eſt? nonne propterea, vt eſſet aliquod teſtimonium reſurrectionis? Certe hunc in finem vſurpatur ab iis, qui ſuper mortuis bapti-

b) 1 Cor. 15, 29. euolue praeter commentatores GERHARDVM *tom. 8. LL. CC. de mort.* §. 68. TARNOVIVM *exerc. bibl. lib. p.* 645. FRANZIVM *orac.* 80. CALIXTVM *de immortal. et reſurr. cap. 6. th. 7. ſqq.* HILDEBRANDVM *de arte bene moriendi, cap.* 4. CHAMIER. *tom. 3. panſtr. lib. 26. cap.* 19. SCALIGERVM *epiſt.* 236. *ſq.* SVICERVM in *theſ. eccl. tom.* 1. *p.* 640. *ſqq.* SEB. SCHMIDIVM infra citandum. ITTIGIVM *de haereſ. ſect.* 1. *cap.* 5. c) *tom. 6. Ien. germ. fol.* 246. add. HVNNIVM *comment. ad h. l.* GERHARDVM *l. c.* VOSSIVM *diſſert. de reſurrect. th.* 18. d) *hymn.* 8. e) *epigramm.* 20.

baptizantur. Quod ſi vero, vt quidam inter vos contendunt, mortui non reſurgunt, fruſtraneus erit ille ritus et intolerabilis, fallit Deus, qui ritum eundem in commonefactionem reſurrectionis mortuorum inſtituit. Sententiam hanc ſuam fecit B. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, theologus Argentoratenſis, in peculiari ad Pauli locum diſſertatione (f), in cuius *membro primo*, variae de baptiſmo ſuper mortuis proponuntur ſententiae: in *ſecundo* variarum propoſitarum ſententiarum exhibetur examen: in *tertio* ſententia autoris ſiſtitur cum rationibus, quibus erudite oſtendit, ſingula textus verba ad illam optime quadrare.

Tertia eſt eorum, qui ad *lotionem ſepulchralem*, inter Chriſtianos aeque ac gentiles receptam, apoſtolum putant reſpexiſſe. Excogitauit hanc ſententiam BEZA, qui *baptizari ſuper mortuis* vult eſſe *lauari mortuos*, vel media ſignificatione *ablutione vti ſuper mortuis*. Verum quidem eſt, lotiones mortuorum vſitatas fuiſſe, tum Romanis, tum Graecis, et Chriſtianis quoque receptae, vt conſtat exemplo Tabithae (g), et ex Tertulliani apologetico (h); veriſimile tamen non ſit, apoſtolum a lotione ſepulchrali ad reſurrectionem argumentari et conſequentiam nectere adeo infirmam. Qui tamen inde concludere voluerunt reſurrectionem, illi baptiſmum defuncti, vel ablutionem ſynecdochice pro toto apparatu funebri poni putant, quaſi dicat apoſtolus: Si nulla ſit mortuorum reſurrectio, cui bono cadauera abluimus, vngimus, candide veſtimus, honorifice recondimus? Sed dure admodum hoc loco BEZA interpretatus τὸ βαπτιζόμενοι actiue, de actione transeunte in aliud ſubiectum, mortuos ſcilicet. Non parum etiam dure praepoſitio ὑπὲρ circumſcribit accuſatiuum patientis.

Quarta eſt illorum, qui *baptizari ſuper mortuos* interpretantur, *loco* et *vice mortuorum baptizari:* quod faciebant ſuperſtites illi, qui pro amicis ſine baptiſmo mortuis ſeſe curabant baptizandos (i). Hunc morem EPIPHANIVS (k) de Cerinthianis agens e traditione quadam commemorat, et fuiſſe in Aſia et Galatia inter ipſos in vſu docet, his verbis: *Ex traditione res quae-*

f) Habetur etiam in *faſciculo diſputationum theologicarum*, Cellis editarum 1694. 4. et eſt inter illas *octaua*. g) Act. 9, 37. h) *cap.* 42. i) non diſplicet haec opinio GROTIO *ad h. l.* CAMERONI *myr. p.* 229. LAVRENTIO in *Pauli* δυσν. *p.* 440. IVSTELLO *not. ad can.* 57. *E. V.* DANHAVER. *Chriſteid. p.* 446. k) *haer.* 38. *pag.* 54.

quaedam ad nos deuenit, quod quidam apud ipſos de vita deceſſerunt, morte praeuenti ante baptiſma, alii vero pro ipſis in nomen ipſorum baptizantur, ne, vbi reſurrexerint, illi in reſurrectione poenas dent, eo quod non acceperint baptiſma. Et hac de cauſa traditio, quae ad nos deuenit, eundem ſanctum apoſtolum dixiſſe ait: Si omnino mortui non reſurgunt, cur et baptizantur pro ipſis? Eandem conſuetudinem Marcionitis tribuit CHRYSOSTOMVS (l): *Marcionis morbo imbuti, quî ſibi hunc Pauli locum vſurpent, riſum ſatis ſcio vehementem vobis mouebo.----- Nam cum quis apud ipſos initiatus obit, vnum aliquem ſub mortui lectum recondunt, mortuum circumſtant, alloquuntur, rogant, velitne baptizari? Deinde cum nihil reſpondeat, is, qui ſubtus latet, pro illo reſpondet, baptizari velle: eum deinceps pro mortuo baptizant, ſic, quemadmodum in ſcena fieri ſolet, ludentes: adeo ſibi in ignauos homines Satan permittit. Hi cum accuſantur, hunc Pauli locum citant, etiam Paulum dixiſſe, ſcilicet, qui pro mortuis baptizantur.* Eadem ex Chryſoſtomo referunt THEOPHYLACTVS (m), et HARMENOPVLVS (n). Eosdem Marcionitas reſpicere videntur ZONARAS et BALSAMON ad canonem XVIII. concilii Carthaginenſis, quando dicunt, quosdam propter male intellectum apoſtoli locum, *alios pro mortuis baptizaſſe.* Id vero quibusdam (p) adhuc dubium eſt, an Marcionitis ex vero haec opinio a Chryſoſtomo fuerit tributa, cum Irenaeus, Epiphanius, Euſebius atque Theodoretus, qui Marcionis errores recenſent, tale quid taceant. Putat quidem CHAMIER (q), Tertullianum (r) Marcionitis hunc errorem tribuiſſe in ſequentibus verbis: *Si autem et baptizantur quidam pro mortuis, videbimus, an ratione? Certe illa praeſumtione hoc eos inſtituiſſe contendit, qua alii etiam carni vicarium baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis, quae niſi corporalis, non alias ſic baptiſmate corporali obligaretur.* Verum licet ibi Tertullianus baptiſmi pro mortuis meminerit, de Marcione tamen vel Marcionitis plane nulla fit mentio. Quapropter in ſubſidium vocant alium Tertulliani locum, qui ita ſe habet

l) *hom.* 40. *in* 1 *Cor.* 15. m) *in* 1 *Cor.* 15. n) *de ſectis cap.* 12. *pag.* 564. o) *pag. m.* 628. p) BENED. IVSTINIANVS *comment. ad epiſt. Paul.* q) *Panſtrat. cathol. tom.* 3. *lib.* 26. c. 19. *n.* 2. r) *lib. de reſurr. carnis cap.* 48.

Digitized by Google

bet (s): *Quid, ait* (apoſtolus), *facient, qui pro mortuis baptizantur, ſi mortui non reſurgunt? Viderit inſtitutio. Iſta, kalendae ſi forte Februariae, reſpondebunt illi pro mortuis petere. Noli ergò apoſtolum nouum ſtatim autorem aut confirmatorem eum denotare, vt tanto magis ſiſteret carnis reſurrectionem, quanto illi, qui fide reſurrectionis hoc facerent. Habemus illum alicubi vnius baptiſmi definitorem.* Sed nec in loco hoc vel Marcionis vel Marcionitarum mentionem fuiſſe factam deprehendimus. B. SEB. SCHMIDIVS (t) alium ex eodem autore (u) locum longe melius citari poſſe, nempe hunc: *Nega te nunc dementiſſimum, Marcion! Ecce legem tui quoque Dei impugnas: nuptias non coniungit, coniunctas non admittit, neminem tingit, niſi coelibem aut ſpadonem, morti aut repudio baptiſma ſeruat.* Ex vltimis his verbis colligit ille, quod Marcion docuerit, neminem coniugatum baptizandum eſſe, niſi prius matrimonium vel per mortem, vel per repudium ſolutum eſſet, atque ſic mortuos et eos, qui matrimonio renunciaſſent, baptizari conceſſerit. Cum vero illa verba etiam de ſuperſtite intelligi queant, quod B. ITTIGIO magis veriſimile videbatur (x): (ex loco TERTVLLIANI (y): *Non tingitur apud illum caro, niſi virgo, niſi vidua, niſi coelebs, niſi diuortio baptiſmum mercata;*) iterum error Marcioni ex illis tribui nequit. Imo, ſi cogitamus, Marcionem negaſſe reſurrectionem, non apparet, qua ratione baptiſmum vicarium adhibere potuerit. Interea CHRYSOSTOMVS Marcionitis illum expreſſe tribuit. AMBROSIVS, vel quisquis autor ſit *commentariorum in epiſtolas Paulinas*, qui ſub AMBROSII nomine extat, primus e catholicis locum hunc de baptiſmo vicario accepit: *Exemplum*, inquiens, *eorum ſubiicit, qui tam ſecuri erant de futura reſurrectione, vt etiam pro mortuis baptizarentur, ſi quem forte mors praeueniſſet, timentes, ne aut male, aut non reſurgeret, qui baptizatus non fuerat, viuus nomine mortui tingebatur.* Et WALAFRIDVS STRABO (z): *Primis praedicationis euangelicae temporibus tanti feruoris quidam in diuina credulitate referuntur fuiſſe, vt pro quibusdam chariſſimis, ante annun-*

s) *lib.* 5. *contr. Marcionem, cap.* 10. t) *loco* ſupra *citato pag.* 234. *ſq.* u) *lib.* 4. *contr. Marcion. cap.* 11. x) *diſſ. de haereſ. ſect.* 2. *cap.* 7. §. 17. y) *lib.* 1. *adu. Marcion. cap.* 29. z) *lib. de reb. eccl. cap.* 26.

Digitized by Google

annuntiationem veritatis, vel baptiſmi perceptionem, defunctis, baptizari ſtuderent. Quod apoſtolus Paulus ad adſtruendam reſurrectionis fidem commemorat. Quia niſi crederentur reſurrecturi, ſtultum erat pro eis, qui iam non exiſterent, laborare. De his hucusque adductis verborum apoſtoli per *vicarium baptiſmum* expoſitionibus ſequens eſt CHAMIERI iudicium (a): *Alienum eſt ab apoſtoli et ſinceritate et maieſtate: primum enim tam craſſum errorem nullo vnquam ſtigmate notare, non videtur dignum eo, cui euangelii veritas ſupra omnia curae fuit. Deinde, argumenta ad hominem vim habent tum demum, cum ſunt a perſuaſione eius, quocum diſputatio eſt: itaque alterutrum oporteret concedi, vel apud Corinthios hunc morem fuiſſe, quod eſt praeter omnem veriſimilitudinem, vel apoſtolum luſiſſe operam diſputando: quod quis credat, cui notus apoſtolus?* Prouocat poſtea idem ad Bellarmini et Salmeronis aſſenſum. Sed GEORGIVS CALIXTVS (b), recenſitis variis interpretationibus, omnino admodum veriſimile eſſe adſerit, ſi ſtatuamus, in ipſa eccleſia Corinthiaca hunc errorem viguiſſe: cum certum ſit, illam non admodum puram errorumve et vitiorum immunem eo tempore fuiſſe. Alii enim fouebant contentiones atque ſchiſmata (c): alii coram iudicibus infidelibus ſcandaloſe litigabant (d): alii libertate chriſtiana abutebantur (e), et ipſis quoque ſpiritualibus donis (f). In conuentibus ſacris profana ſympoſia coenae dominicae permiſcebant (g); et nonnulli eo prouecti ſunt vsque, vt fundamentum religionis, reſurrectionem, negarent (h). Quid itaque mirum, homines tot tantisque erroribus et abuſibus obnoxios, errorem etiam et abuſum circa baptiſmi adminiſtrationem inuehere, et qui ſacramentum euchariſtiae profanabant, baptiſmi quoque ſacramentum profanare? Hoc modo iudicat ſeruari ſimplicem et vſitatam vocabulorum acceptionem, quae quandocunque commode retineri poteſt, duris et intortis interpretationibus merito praefertur. Deinde communi omnium fere neotericorum ſiue exceptioni, ſiue obiectioni, quod nullo verbo tantum abuſum reprehendat apoſtolus, docte ſatis facit, quando ipſum ſermonem et loquentis ſiue ſcribentis geſtum, indignantis

a) *loco ſupra citato.* conf. VOSSIVM *de baptiſmo, diſſ.* 12. *theſ.* 2.
b) *de reſurr. cap.* 6. §. 15. *ſqq.* c) 1 *Cor.* 1. d) ib. *cap.* 5. e) ib. *cap.* 6. f) ib. *cap.* 8. g) ib. *cap.* 11. h) ib. *cap.* 15.

Digitized by Google

tis et reprehendentis eſſe oſtendit. Ipſa quoque vocabula huius verſiculi tale quid inferre videntur. Prouocat et hic ad conſenſum WOLFFGANGI MVSCVLI in commentariis, et *M. Antonium de Dominis* (i). Sed de hac explicatione ſatis.

Quinta eſt iſtorum, qui *ſuper mortuos baptizari* explicant, *pro mortuis baptizari*, id eſt, tanquam mortuos, et putant, dici eos, qui iam morituri baptiſmum ſuſcipiebant, quod faciebant *clinici*, qui tum demum baptizari volebant; cum morti iam eſſent vicini. De horum baptiſmo apoſtolum accepit EPIPHANIVS (k), qui poſtquam haereticum viui pro defuncto baptiſmum reiecerat, ita pergit: *Ceterum alii hoc dictum interpretantes dicunt, quod morti vicini, ſi fuerint in pietatis doctrina inſtructi, ob hanc ſpem ante obitum lauacro digni fiunt, oſtendentes, quod qui mortuus eſt, etiam reſurget, et ob id indiget remiſſione peccatorum per lauacrum.* Erit ergo ſecundum Epiphanium ſenſus apoſtoli talis: *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis?* id eſt, quibus baptiſmus confertur, cum pro mortuis potius, quam adhuc viuentibus habendi ſint, et certum ſit, non baptizari eos pro vllo commodo vitae humanae. Hunc vero ſenſum viri eruditi lubenter admitterent, ſi modo id ferret natura graeci ſermonis. Poſito autem, clinicos hoc loco intelligi poſſe, recte iudicauit IO. ANDR. BOSIVS (l), locum Pauli non debere accipi de iſtis, qui baptiſmum conſulto differebant, vt in lecto baptizarentur: cum nemo veterum ante Tertullianum de iis aliquid ſuggerat; ſed de illis, qui nulla culpa ſua, lecto affixi, demum fiebant Chriſtiani, aut inter catechumenos hactenus, in morbo deſiderabant baptiſmum.

Sexta eſt illorum, qui τὸ ὑπὲρ νεκρῶν exponunt pro reſpectu ad mortem, vel *ſtatu mortuorum* vel *cauſa mortis*, quaſi dicat, moribundum pro beato poſt mortem ſtatu baptizari, vt non animae tantum ſtatim, ſed et corpori aliquando bene ſit: quia corpori per baptiſmum ſpes ad vitam reſurgendi confertur. Erit ergo *baptizari pro ſtatu mortuorum*, fere idem ac *baptizari in ſpem reſurrectionis:* cum abſque ſpe reſurrectionis nullus foret pro mortuorum ſtatu baptiſmus. Et ad hanc claſſem refertur com-

i) *lib. 5. de rep. eccl. cap. 8. num. 58.* k) *haer. 28. p. 54.*
l) *exercit. hiſt. de Clinicis veteris eccleſiae, pag. 42. ſq.*

Digitized by Google

communiter CHRYSOSTOMVS, ita ſcribens (m): *Quando baptizaturi ſumus, iubentes dicere:* credo in reſurrectionem mortuorum, *et ſuper hac fide baptizamur; poſt confeſſionem iſtius quoque cum aliis factam, dimittimur demum in fontem ſacrorum illorum fluentorum. Hoc ergo in memoriam reuocans dicebat Paulus:* ſi non eſt reſurrectio, cur baptizaris pro mortuis? *id eſt corporibus. Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens reſurrectionem, nempe quod non maneat mortuum.* THEOPHYLACTVS, qui pro more Chryſoſtomum ſequitur, ad eundem apoſtoli locum ſcribit: *Omnes, qui baptizandi ſunt, ſymbolum fidei profitentur. In illo igitur, vna cum aliis, etiam hoc proponitur:* credo in reſurrectionem mortuorum. *Dicit igitur, quod qui crediderunt, futuram eſſe reſurrectionem mortuorum corporum, et qui baptizati ſunt in talem ſpem, quid facient, ſi fuerint decepti? Quid autem omnino baptizantur homines pro reſurrectione, id eſt, in expectationem reſurrectionis, ſi mortui non excitantur.* Idem vult ISIDORVS *Peluſiota* (n). Statuit enim, apoſtolum *comparare corporum naturam cum animae integritate*, et ſubiicit: *Haec enim finis expers eſt et immortalis: illud corruptioni ac mutationi ſubiectum. Pro corporibus igitur natura mortuis baptizamur, eam in ſtatum alienum mutari credentes. Atque horum verborum haec ſententia eſt: Omnino, inquit, ſi corpora noſtra non reſurgunt, cur ea, cum baptizamur, in ſtatum corruptionis ac interitus expertem mutari credimus.* Ex Latinis eo reſpexiſſe volunt TERTVLLIANVM (o): *Igitur*, inquit, *pro mortuis tingi, pro corporibus eſt tingi: mortuum enim corpus oſtendimus. Quid facient, qui pro corporibus baptizantur, ſi corpora non reſurgunt?* Chryſoſtomi ſententiam ſequuntur plures inter recentiores, et ex his etiam CONRADVS RITTERSHVSIVS (p) et IO. LVDOV. DE LA CERDA (q). Quamuis autem haec ſententia pia ſit, eam tamen vix cum ſcopo apoſtoli conuenire arbitrantur viri docti. Ea enim ſi mens apoſtoli eſſet, non de quibusdam tantum, ſed de omnibus, qui baptizantur, loqueretur.

Septima eſt eorum, qui *baptiſmo ſuper mortuis* alludi credunt ad veteres in baptiſmo ritus *immerſionis* ſubter aquam et redu-

m) *hom.* 40. *in* 1 *Cor.* 15. n) *lib.* 1. *epiſt.* 221. o) *lib.* 5. *ad Marcionem cap.* 10. p) *lib.* 8. *ſacr. lect. c.* 19. q) *aduerſ. ſacr. c.* 154. *num.* 38.

Digitized by Google

reductionis ab aqua, ad quos reſpexit Paulus in his verbis (r): *An ignoratis, quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius ſumus baptizati? Ergo ſumus cum illo per baptiſmum in mortem ſepulti, vt, quomodo Chriſtus a mortuis reſurrexit, ſic et nos in nouitate vitae ambulemus.* Idem vrget in h. l. commentator, qui ſub nomine S. Hieronymi circumfertur: *Quid prodeſt carnem catechumeni immergere, ſi caro non reſurgit?* Ad hanc claſſem plures (s) referunt THEODORETVM (t): *Qui, inquit* apoſtolus, *baptizatur, Domino conſepelitur, ut, cum mortis fuerit particeps, fiat etiam particeps reſurrectionis. Si autem corpus eſt mortuum, nec reſurgit, cur etiam baptizatur?* Sed haec interpretatio, qua *baptizari ſuper mortuis* eſt ita baptizari, vt mortuorum mors et reſurrectio repraeſentaretur, admodum dura videtur. Praeterea haec repraeſentatio pertinet ad omnes baptizatos, et qui baptizantur: cum tamen apoſtolus diſcrimen inſinuet inter baptizatos ſuper mortuis, et non baptizatos ſuper mortuis.

Octaua eſt illorum, qui *baptizari pro mortuis*, idem eſſe volunt ac baptizari, vt reddamur peccatis mortui, vel baptizari pro mortuis (ſcilicet operibus, hoc eſt generantibus mortem) abluendis. Eſt haec expoſitio trium veterum ſcriptorum, quorum commentarii in epiſtolas Pauli SEDVLIO, PRIMASIO et HAYMONI tribuuntur, itemque THOMAE AQVINATIS, NIC. LYRANI et aliorum. Sed in hac ſententia inuſitatum eſt, peccata per mortuos intelligi; nec apoſtolus de operibus, ſed de perſonis mortuis loquitur; et praeterea ambiguitas eſſet in eodem contextu: *ſi non reſurgunt mortui*, nempe homines: *qui baptizantur pro mortuis*, nempe peccatis?

Nona eſt eorum, qui apoſtolum *de baptiſmo ſanguinis* et calamitatum ſiue afflictionum, quae quis patitur pro ſpe reſurrectionis mortuorum, interpretantur. Senſus ergo erit: ſi baptizati ſine ſpe reſurrectionis ſunt, cui bono martyres ſanguinis baptiſmo ſe baptizari curant? cui bono chriſtiani tot calamitates ſuſtinent, vt mortalium miſerrimi videantur? His quodammodo contextus fauet. Statim enim ſubdit apoſtolus: *Et nos cur omni hora periclitamur? Ego enim quotidie morior. Si ſecundum hominem Epheſi cum beſtiis pugnaui, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* Id velle apo-

r) Rom. 6, 2. s) ZONARAS *ad can.* 18. *conc. Carth.* et 45. *conc. Laod.* BALSAMON *ad can.* 18. *conc. Carthag. etc.* t) ad 1 Cor. 15.

Digitized by Google

apoſtolum, ſuſpicantur ex pontificiis doctores Sorbonae Pariſienſis IO. BENCE (u), IO. GVIGNEVS (x), et ex ſchola Ieſuitica IO. MALDONATVS (y). Atque ita commode intelligi poſſe, concedunt reformati ANDR. RIVETVS (z), et theologi Leidenſes (a). Adſtipulantur ex noſtratibus IO. TARNOVIVS (b) et IO. TOB. MAIOR (c), neque abhorret adeo IO. GERHARDVS (d). Sed huic ſententiae opponitur, tum quod verbum βαπτίζεσθαι ſaltem ad tales adflictiones non pertineat: tum quod ſententia cum phraſi ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ſiue pro mortuis, ſiue ſuper mortuis interpreteris, non ſatis conueniat. Repugnat etiam articulus hoc loco poſitus.

Decima eſt iſtorum, qui hoc loco intelligunt *baptiſmum lacrymarum et poenitentiae*, qui ſuſcipitur orando, ieiunando, eleemoſynas faciendo etc. vt ſenſus ſit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgent?* id eſt, quid facient, qui orant, ieiunant, gemunt, affligunt ſe pro mortuis, ſi non reſurgunt. Eſt haec ſententia plurium pontificiorum, ALPHONSI SALMERONIS (e), BELLARMINI (f), GVIL. BAILII (g), IO. STEPHANI MENOCHII (h) et aliorum, qui ex hoc loco purgatorium ſtabilire conantur. Huic vero ſententiae opponendum eſt, quod illa citra neceſſitatem a prima vocis baptiſmi ſignificatione recedat. Patres quidem ſcimus, etiam ponere praeter alios et baptiſmum lachrymarum ac poenitentiae, quae vicem baptiſmi ſuſtinere ſuo modo poſſunt, et fere eandem virtutem, ſecundum ipſos, habent. Nam ſi quis ante mortem baptizari non potuit, cum lacrymis tamen ſeriam egit poenitentiam, dicebant, eum propterea non eſſe damnandum, quod baptizatus aqua non fuiſſet, cum tamen etiam aliquo baptiſmo, lacrymarum et poenitentiae baptizatus fuerit: non ſane reſpicientes ad afflictionem poenitentiae et lachrymarum, ſed virtutem, quae tantum valeat, quantum baptiſmus; quod et verum eſt ratione fidei: quae, martyrii, poenitentiae et lachrymarum teſtimonia habens, omnino talis eſt, quae hominem etiam non baptizatum, aeque ac baptizatum, ſaluet. Verum enim vero in ſcriptura ſacra poenitentia nuſpiam vocatur

 bapti-

u) in *manual.* x) in *cap.* 15. *act.* y) in *cap. Luc.* 12, 50. et prolixius in *diſp. de baptiſmo tom.* 1. *p.* 75. z) *cathol. orthod. tom.* 1. *tract.* 2. *quaeſt.* 44. a) in *Synopſi pur. theolog. diſp.* 51. *theſ.* 14. b) *exerc. biblic. p.* 186. *theſ.* 8. c) *de orat. pro defunctis commate* 137. d) *confeſſ. cathol. lib.* 2. *part.* 2. *art.* 9. e) *tom.* 14. *comment. diſp.* 24. f) *lib.* 1. *de purgat. cap.* 6. g) *catech. controuerſ. tract.* 2. *quaeſt.* 44. h) *ad h. l.*

Digitized by Google

baptiſmus; et licet loca quaedam ad ſtabiliendam hanc ſententiam producantur, non tamen probant, quod probandum eſt, ſi contextus eorum debite inſpiciatur.

Vndecima eſt DANIELIS HEINSII (i), qui, poſt examinatas quorundam de hoc loco ſententias, baptiſmum ὑπὲρ νεκρῶν de nominibus τῶν νεκρῶν exponit, quae in baptiſmo imponi ſolent baptizandis. Hinc talem deducit ſenſum: Quid de illis fiet, aut quid hi reſpondebunt, qui in defunctorum memoriam vel ſunt baptizati vel ipſi baptizantur, dum defunctorum nomina aſſumunt vel infantibus imponunt, ſi reſurrectionem prorſus non credunt? quare mortuos impoſitione illa nominum vt viuos honorant, quaſi ſuperſtites celebrant, eorumque memoriam inditis nominibus quotidie repetunt? Sed haec expoſitio paulo longius videtur petita, et ad reſurrectionem probandam per ambages deducta.

Duodecima eſt IO. HARDVINI Soc. Ieſ. presbyteri, qui in *quaeſtione triplici de baptiſmo* hanc controuerſiam ventilauit. Ait enim, eo tempore, quo PAVLVS ad Corinthios ſcripſit, morbum quendam vrbis huius incolas invaſiſſe, eoque graſſante multos diem ſupremum obiiſſe, quod ex 1 Cor. XI. haud difficulter probari poteſt. Cum igitur magnus eſſet ea tempeſtate mortuorum numerus, multos occaſione iſtorum mortuorum et ingruentis lethi metu ad baptiſmum conuolaſſe Harduinus ſcribit, et hos Paulum intelligere, cum ait: *quid facient, cum baptizantur propter mortuos*, id eſt, ſi nulla reſurrectio mortuorum ſperanda, quid conſequentur veſtri catechumeni, qui occaſione mortuorum, vt baptiſmo initientur, efflagitant? Hanc ſententiam B. ITTIGIVS non aſpernandam eſſe arbitratur (k).

Huc vsque ergo varias de loco hoc difficillimo protulimus interpretationes, quarum praecipuae a doctoribus non infimi ordinis defenduntur. Cum vero et his opponuntur ab aliis non negligenda, cuivis eligendum relinquimus illud, quod poſt examen ſtudioſum inuenerit maxime probabile. Recte enim CAMERARIVS (l), poſt adductas variorum ſententias, concludit: *Sed etiam in horum ignoratione nihil detrimenti faciet religio.*

II. GODO-

i) *exerc. ſacr. lib. 7. cap. 13. pag. 57.* k) *diſſ. de haereſ. ſect. 1. cap. 5.* l) *in 1 Cor. 15. p. 57.*

Digitized by Google

II.

GODOFR. CHRISTI. BOSII,

S. THEOL. QVONDAM DOCTORIS, ET AD D. THOMAE ARCHIDIACONI LIPSIENSIS,

DE

ANATHEMATE

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO I.
PHILOLOGICA.

Cap. I.
De vocis Etymologia.

§. 1.

De Anathemate cum nobis propoſitum ſit quaedam tradere, non immerito in vocem primo inquirimus, eiusque Etymologiam inueſtigamus. Eſt autem Graeca, deriuaturque non *ἀπὸ τῦ ἄνω*, et *τίθημι*, quod eſt ſurſum ponere, vt eſt apud AVGVST. *Tom. IV. quaeſt. in Num. 4. et* THOMAE placuit *in Epiſt. Gal. c. I.* ſed *ἀπὸ τῦ ἀνατίθεσθαι*: ad quam deriuationem etiam LXX. alludunt *Leuit. XXVII, 28.* et CHRYSOST. *in Epiſt. Rom. IX, 1.* verbum *ἀνατίθημι* autem 1) notat idem, quod conſecrare, ſeu dedicare, ſiue illa conſecratione dedicatae fuerint res ſuſpenſibiles, ſiue aliae: 2) in forma paſſiua et media idem ſignificat, quod remouere, ſeparare, et ſpecialius differre, mutare, retractare.

§. 2. Hinc Anathema 1) donarium, ſeu rem conſecratam ſignificat, vt in *libro qq. et reſpp. ad orthodoxos* (quod IVSTINO *Martyri* adſcribitur, cuius tamen, cum Origenis faciat mentionem *in reſp. ad quaeſt. 86.* non eſt) *ad quaeſt. CXXI.* anathema dicitur, quod repoſitum et ſeparatum eſt Deo, et in communem vſum non amplius asſumitur. Quam acceptionem quoque tradit ANDREAS, Caeſarienſis in Cappadocia Archiepiſcopus, in *Apocal. cap. XXII, 3.* Videantur quoque *LXX. Leuit. XXVII, 28.* qui etiam *Num. XVIII, 14.* id quod conſecratum dicitur Deo, *ἀνατεθεματισμένον* appellant. 2) Anathema ſignificat rem ſeparatam et ſemotam a reliquo corpore & numero, aut ab vſu priuati alicuius exemptam, vt Deo dicaretur. Hinc HESYCHIVS etiam *ἀκοινώνητον* expoſuit, et CHRYSOSTOMVS *ad Rom. IX. 3.* inquit: Sit anathema, i. e. ſeparatus ab omnibus, abalienatus ſit ab omnibus. Vid. SALMASIVS in *Exerc. Plin. p. 1090.*

Digitized by Google

Cap. II.

De Homonymia.

§. 1. Inter varias acceptiones Anathematis primo occurrit ea, cuius origo eſt e proſodia, iuxta quam aliud eſt anathéma, (penultima producta) graece ἀνάθημα, quod proprie ſignificat rem Deo conſecratam, eamque vel talem, quae ſuſpendi ſolebat ornatus gratia: hinc HESYCHIO eſt κόσμημα, ornamentum ſiue inſigne, vid. *Luc. XXI,5. 2. Macc. IX,16.* vel talem, quae quacunque ratione alia Deo dedicatur, vt *Iudith. XVI. 23.* collato cum *1 Sam. XXI,9.* quae loca MENOCHIVS *de Rep. Hebr. p. 230.* de ſuſpenſis quidem exponit *2 Macc. II, 13.* quae notari posſunt contra SALMASIVM *l. c.* Aliud vero eſt anáthema, (penultima correpta) quod ab illo differt in hoc, quod aliquando, et ſaepiſſime quidem occurrat in malam partem; illud vero in malam partem nunquam accipiatur. Quamuis ſint quidam, qui differentiam nullam heic admittant, vt BEZA *in Rom. IX,3.* SELDENVS *de Synedriis l. I. p. 133.* LVDOV. BALLESTER in *Onomatographia Sacr. p. 12. ſqq.* LAVRENTIVS in *Paulodiſnoito p. 221.*

§. 2. Anáthema (quod cum in bonam partem ſumitur, rem quamvis Deo conſecratam denotat) in malam partem acceptum, ſeparationem denotat a conſortio ſiue ſegregationem: idque vel ſine execratione, vt in quibusdam conciliis, et iuxta quosdam in *Cap. IX. Rom. v. 3.* vid. SALMAS. *loc. cit.* vel cum exſecratione et deteſtatione, vnde HESYCHIVS: ἀνάθεμά ἐστιν ἐπάρατος καὶ ἀκοινώνητος, *anathema eſt execrabile, et incommunicabile.* Atque ſic Anathema eſt res quaedam deteſtabilis, abominabilis, execranda. Vnde autem haec connotatio execrationis oriatur, non vna eſt Autorum ſententia. Io. CHRYSOSTOMVS eam deducit a contrario, *loc. citato*, quod ſicut rei conſecratae nemo auſus ſit appropinquare religionis gratia, ita Anathemati nemo appropinquet propter abominationem. AVGVSTINVS *Tom. IV. in qq. in Num. tit. XLI.* a ritu militari deducit hanc ſignificationem, quo quaedam penitus vouebantur in poenam luendam. BVDAEVS in *annotationibus in Pandectas* Anathemata dicta appellat excommunicatos, eo, quod in cippis ſolita ſit exponi eorum deteſtatio, vid. SELNECCER. *in verſ. 8. capit. I. Epiſt. ad Galat.* quod conſecrata ſecundum legem oportuerit interfici et

tolli,

tolli, quodque apud Ethnicos delubra plena fuerint idololatriae et abominationis accedente conſecratione hominum ſacrorum, quorum capita diis deuouebantur, de quibus vide prolixe diſſerentem L. BALESTRVM *l.c. p.13.* vid. et SALMAS. *l.c.* MARTYR *LL. CC. claſſ. II. lib.9. n.21.* et *Claſſ. IV. l. 5. n. 2.* et Commentatores paſſim in *Rom. IX,3. Gal. 1, 8. 1 Cor. XVI, vlt.* Videtur tamen Anathema 1) pro ſeparatione acceptum eſſe ſimpliciter, connotationem vero abominationis et execrationis 2) eidem attributam eſſe a Iudaeis Helleniſtis, propterea, quod illi in omni ſeparatione eccleſiaſtica ſoliti ſint adiicere diras, et deuotionem quandam, vt ita Anathema tandem denotauerit rem execrabilem, a conſuetudine anathematizandi cum execratione. Certum enim eſt, hanc vocem apud profanos non occurrere, vnde iam HIERONYMVS dixit *in Gal. I, 8.* eam eſſe Iudaeis propriam. 3) Cum execratio et deteſtatio hac voce conſignificatur, id fit vel cum totali interitu et exciſione, vt *Num. XXI,3. Deut. VII, 25. 26. c. XIII, 15. 17. Ioſ. VI, 17. VII, 11. ſqq. Zach. XIV, 11.* de cuius triplici differentia videatur ex TOSTATO BALLESTER in *Onomatogr.* p.15. et DANNHAWERI *Idea clauis ligantis p.5.* Atque hanc vocis acceptionem aliquando retinet Vulgata, etiam vbi in Graeco ἀνάθεμα non eſt, vt *Malach. IV,6.* et huc pertinent loca *Gal. I,8.9. 1 Cor. XVI, 22.* Vel abſque exciſione: quo ſenſu Patres et concilia ſaepiſſime hac voce vſi ſunt. 4) Anathema vel ſumitur abstracte, pro ſeparatione ipſa, vel concrete, pro re ſeparata. Priori modo *Concilium Conſtantinopolitanum,* quod dicitur *Oecumenicum V.* Anathema explicat, quod nihil aliud notet, quam ſeparationem a Deo, quam impius ſibi inferat, licet non verbo ab aliquo ſuſcepiſſet, per ſuam impietatem a vera vita ſemetipſum ſeparans. BALDVINVS in ſingulari *Diſſ. de Anathem. th.3* et *Tom. II. Concil. fol. 585. a.* Poſterioris acceptionis exempla paſſim ſunt obuia. 5) Sumitur vel ſpecialiter et in reos ſingulares, in foro nimirum pronunciatum, et ad excommunicandum hoc vel illud indiuiduum adhibitum; vel generaliter et comminatorie: idque vel in iudicio eccleſiaſtico ad terrendos peccatores et haereticos, vel a priuatis, ſiue conſociatis, inter ſe compromittentibus ſub Anathematis imprecatione, vt *Act. XXIII, 12.* et in ſecta Eſſenorum apud PORPHYRIVM *de*

abſtinentia animalium lib. IV. EVSEBIVM *de Praepar. Euang. lib. IX. c. 3. Sepher Iuchaſin fol. 139. b.* ſiue ſolitarie conſideratis, imprecantibus diras aliis, vt Paulus *Gal. I, 8. Ioſ. VI, 26.* 6) Anathema quando pro excommunicatione ſumitur, vel generale eſt, et indifferenter de omni ſpecie vſurpatur, vel ſpecialiter pro grauiori et maiori excommunicatione accipitur.

CAP. III.
De Synonymis et cognatis.

§. 1. Synonyma Anathematis ſunt 1) חֵרֶם, quod ſumitur vel ſenſu Biblico, vel ſenſu Rabbinico. Senſu biblico α) ſignificat ſacrum donarium, vt *Leuit. XXVII, 21. 28. Num. XXVIII, 14. Ezech. XLIV, 29. 1 Sam. XV, 21.* β) rem cum execratione perdendam et exſcindendam, idque vel ob inimicitias capitales *Ioſ. VI, 17. 18. 21. 24. Leu. XXVII, 29. Ioſ. VII, 1. 11. 1 Paral. II, 7. Mich. VII, 2.* vel ob delicta grauiſſima *Deut. VII, 26. Ioſ. VII, 12. 13. 15. Deut. XIII, 7. 1 Reg. XX. 42. Eſa. XXXIV, 5.* γ) execrationem et internecionem in abstracto *Malach. III, 6. Zach. XIV, 11. Eſa. XLIII, 28.* Senſu Rabbinico חֵרֶם vel ſumitur generaliter pro excommunicatione: vt ſic; vel ſpecialiter pro excommunicatione maiori. Generaliter accipit ELIAS LEVITA in ſuo *Thiſbi.* Atque heic placet inſerere quaedam de eius apud Hebraeos origine, ſpeciebus et effectibus. Et originem quidem quod attinet, poſt captiuitatem Babylonicam aut circiter demum videtur introductum. Et quanquam maledictio ſimplex, ſiue dirarum vſus in peccatores non infrequens fuerit olim, cum qua etiam ſeparationem a conuictu quorundam familiari quibusdam vſitatam fuiſſe negari nequit, iuxta *Pſ. I, 1. XXVI, 5. Eſa. LXVI, 5.* Vnde et ſeparatio illa a Samaritanis extitit. Excommunicationem tamen proprie acceptam, quae ſemper cum quadam capitis diminutione coniuncta erat, ante captiuitatem in vſu fuiſſe, nullibi extat, nec eae voces, quibus poſtmodum appellatum fuit hoc poenae genus, hac ſignificatione vllibi occurrunt. Quamdiu nempe ſui iuris erant Iudaei, vel morte, vel plagis, vel mulcta ſontes puniebant. Poſtmodum vero cum poteſtate publica vel omnino deſtituerentur, vel eadem ſaltim ex gratia principum ad aliquot gradus vti liceret excommunicatione, ſceleratos a ſua communione tantisper abſcindere coeperunt, donec acta poenitentia

Digitized by Google

tentia ad frugem meliorem ſe reciperent, et abſoluti pri-ſtino gauderent conuictu. Quamuis Iudaeis familiare ſit originem eius deducere ex illa maledictione, qua Barak vſus eſt *Iudic. V, 23.* vid. *Moëd Katon c. III, f. 16.* et BVXT. *Lex. Chald. voc.* שמת. Species ſunt duae: minor, quae נִדּוּי et שַׁמְתָּא, et maior, quae חֵרֶם in ſpecie appellatur.

Illa vel reſpectu omnium fiebat, de qua MAIMONIDES *Talmud thora c. VI, VII.* SELDENVS *de Iure N. et G. l. IV. c. 8.* eiusque ſententia aut a vigilantibus ferebatur, ſiue publice, et in foro, ſiue priuatim et extra forum, a perſonis ſingularibus in ſeipſos non minus, quam in alios; aut per inſomnium, quando ſcilicet aliquis per inſomnium viderat, ſe ſententia ſiue forenſi, ſiue perſonae cuiusdam ſingularis extra forum excommunicari: ſiue ſomnians excommunicantem cognouiſſet, ſiue ignoraſſet. Vel reſpectu aliquorum tantum erat, de qua *Gemara Babylonica ad Moëd Katon c. III, f. 16.* Maior excommunicatio vel forenſis erat, vel priuatorum: illaque vel ob delictum praeteritum in reos ſingulares iudicialiter, vel ob futurum indifferenter et comminatorie, e.g. *Eſr. X, 8. Neh. X, 29. c. XIII, 28.*

§. 2. Caeterum circa excommunicationem minorem, quae communiter נִדּוּי dicitur, notari quoque poſſunt XXIV. illae cauſae, ob quas haec poena infligebatur ſontibus, quas ex Maimonide excerpſerunt IOH. COCCEIVS *in Excerpt. ad Sanhedrin Gemar. p. 147.* BVXTORF. *Lex. Chald. p. 1304.* SELDENVS *de I. N. et G. l. IV, c. 8.* Nimirum excommunicationis fulmen vibratum, ſi quis 1) contempſiſſet ſapientem etiam demortuum, 2) ſi quis contempſiſſet nuncium Iudicii, 3) ſi quis proximum ſuum vocaſſet ſeruum, etc. Atque tunc excommunicatio fiebat vel coram, quae coram quoque erat ſoluenda; vel non coram, ſiue verbis per alium quendam, ſiue ſcripto in ſcheda per ſcribam publicum publicata, quae vel coram, vel non coram ſolui poterat, de quo videatur *Schylchan Aruch in Choſen hammiſchpat num. XI. ſect. 4.*

§. 3. Effectus Anathematis hi erant: vt qui eſſet in Niddui, ſe nec tonderet, nec lauaret, nec admitteretur in conſeſſum ordinarium decem perſonarum, nec ſederent iuxta eum alii ad quatuor vlnas. Atque olim templum ingredi oportebat talem ad ſiniſtram, vt dignoſceretur. Vide *Pirke R.* ELIESER *c. XVII.*

Digitized by Google

XVII. in fine. Durabatque hoc Niddui triginta dies, ſi reſipiſceret excommunicatus; ſin minus, primo duplicabatur, poſtmodo triplicabatur dierum numerus, tandemque ſceleratus excommunicabatur per חֵרֶם. Si autem mortuus fuerit in excommunicatione, non lugebant eum, nec eius funus deducebant, ſed iudices feretro eius imponi iubebant lapidem. Vid. BVXT. *Lex. voce* נדה. SELDENVS *de Synedr. l. I. c. VII.* ALOYSIVS NOVARINVS *Schediaſm. Sacr. l. VII. n. 46.* IO. COCCEIVS *in Sanhedr. l. c. p. 148.* Cherem vero tam acriter feriebat ſceleratos, vt excommunicato nec docere, nec diſcere cum aliis, nec conducere, nec conduci, nec commercium cum vllo habere liceret. Cum illo quoque nemini conceſſum erat vel edere, vel bibere: vt probabile ſit, Apoſtolum quoque hoc poenae genus intendiſſe *1 Cor. V, 11.* Eius formulam quandam tradit BVXTORFIVS *Lex. p. 828: Ex ſententia Domini dominorum ſit in Anathemate* etc. Aliam et multo pleniorem ac longiorem ex *Sepher Colbo f. 144.* tradunt SELDENVS *de I. N. et G. l. 4. c. 7.* et VORSTIVS in *notis ad Pirke Elieſer p. 226.* quae ita ſe habet: *Ex decreto vigilum et ſanctorum iuſſu nos anathematizamus, adiuramus, exterminamus, excommunicamus, maledicimus et execramus, volente Deo, et Eccleſia* etc. Vel ſimilis proclamabatur coram tota Synagoga, congregatis omnibus Eccleſiae capitibus et ſenioribus: et tum incendebantur candelae, quae maledictionis forma finita repente extinguebantur, in ſignum, quod excommunicatus coeleſti luce indignus habeatur. Erant autem candelae cereae nigro colore, et excommunicans in ſinu librum legis tenebat, tubarumque ſonitus adhibebatur, vt reo haec omnia maiorem incuterent terrorem. Vid. NOVARINVS *l. VII. Sched. n. 47. et 49.* et de buccinis BVXTORFIVS *Lexico p. 2463.* vbi adducit locum de excommunicatione Ieſu Nazareni, quae itidem (vt Merozum excommunicabat Barak) 400. buccinis traditur eſſe peracta. Vid. COCCEI. *l. c. p. 146.*

§. 4. *Schammatha* שמתא, quod notat 1) rem dicatam Deo, 2) rem exitio deſtinatam, 3) excommunicationem minorem, v. BVXT. *p. 2467.* vbi exempla habet. Heic tamen non leuis eſt controuerſia inter Eruditos, vtrum hac voce tertium quoddam excommunicandi genus, idque longe grauiſſimum denotetur, an vero duae tantum ſpecies excommunicandi apud Iudaeos fuerint,

ita

Digitized by Google

ita vt Schammatha alterutri illarum aequipolleat. Et in priori ſententia ſunt BVXTORF. Pater in *Inſt. Ep. c. VI.* et Filius *Lexic. p. 2463.* ELIAS LEVITA in ſuo *Thiſbi*, BERTRAM *Polit. Iud. c. 7.* SCHINDLERVS *Lexic. rad.* שמת, BEZA *in Ioh. IX, 22.* DRVSIVS *in h. l. Ioh.* et *in qq. ac reſpp. l. 1. q. 9.* Conf. NOVARINI *Schediaſm. l. VII. c. 10.* Alteri autem ſententiae ſubſcribit SELDENVS *de Synedriis l. I. c. VII. p. 116. ſqq.* et IOH. CROIVS *in Obſeruat. Sacris et Hiſtoricis.*

§. 5. Pertinet huc inter Synonyma Anathematis vox *ἀποσυνάγωγος*, quod vocabulum etiam a Patribus adhibitur, tam de eo, qui a Iudaeis excommunicatus eſſet, (ſic enim ATHANASIVS *Tom. II. p. 628.* de Iudaeo Berytenſi, cuius in aedibus reperta erat Chriſti imago, *ἀποσυνάγωγον*, extra Synagogam facientes expulerant,) quam qui a Chriſtianorum Eccleſia eſſet ſeparatus: vt in *Synodi Nicaen. I. can. V.* de excommunicatis in Eccleſiis Chriſtianis dicitur, inquirendum eſſe, an ſimultate, contentione etc. extra Eccleſiam *ἀποσυνάγωγοι* fierent. In Sacris occurrit *Ioh. XVI, 2. IX, 22. XI, 42.* Vbi notandum, *ἀποσυνάγωγον* non ſignificare eum, qui excluſus ſit ex loco, aede precum, vt accipiunt CHRYSOST. *hom. 59. in Iohann.* item THEOPHYL. *in Ioh. IX, 33. 34.* et NONNVS in *Paraphr. ad Ioh. IX. Diuinam non attingat, in qua Deus inuocatur, domum.* Eadem habet *in Ioh. XVI, 2. Vos expellent e diuina domo.* Vid. BARONIVS *Tom. I. ad Ann. 57. §. 12.* BEZA *de Excommunicatione et Presbyterio p. 11.* nec non ſcriptores alii *ad c. IX. Ioh.* Sed Synagogae vox accipitur pro tota vniuerſitate ſeu Eccleſia: idque iterum non ſic intelligendum, quaſi qui extra Synagogam factus, penitus exul aut deportandus habitus ſit, vt exiſtimant SCAL. de *Emend. l. V. p. 552.* LVD. CAPPELLVS *ad Ioh. IX, 22.* aliique, qui per eiectionem ab Eccleſia abſciſſionem generatim, exilium, et maximam capitis diminutionem intelligunt. Sed ibi nihil intelligitur aliud, quam ſeparatio a communitate conuictus familiaris. Quanquam enim Iudaei ſtatuerint, *Ioh. IX, 22.* quemlibet, qui Ieſum confiteretur eſſe Meſſiam, excommunicari, et extra Synagogam fieri debere, quod decretum etiam principes quidam metuebant *Ioh. XII, 42.* cuiusque vi non tantum coecus ille, ſed procul dubio multi alii fideles excommunicati erant, ſiue a priuatis, ſiue a Synedrio,

Digitized by Google

drio, nihilominus templi et ſynagogarum ingreſſu tales prohibitos eſſe nullibi legitur, ſed contrarium potius manifeſto clarum eſt ex *Act. II. 46. XV, 21. XXI, 26.* A Paſchatis quoque celebratione nemo excludebatur, niſi immundi, (ſub quibus excommunicati nullatenus comprehendebantur) *Num. IX, 13.* Vide et MAIMONID. *Korban Peſachim c. l.* et *Miſchna tit. Peſachim.* A comparitione item in illuſtrioribus feſtis excipiebantur tantum ſurdi, fatui, minorennes, genitalibus obſtructis laborantes, hermaphroditi, feminae, ſerui, qui nondum manumiſſi, claudi, coeci, aegroti, ſenio confecti, et qui ſe nequeunt erigere ad incedendum. MAIMON. *l. c. cap. II.* et *Miſchna Chagiga c. I.* Reliqui virorum vniuerſi ad comparendum obligabantur. Vid. etiam *Deuter. XXXI, 11.* vbi anno remiſſionis itidem omnes conuenire iubentur, ad quae MAIMON. *l. c. cap. III.* *Vniuerſi, qui ab apparitionis iure immunes ſunt, immunes ſunt et ab huius praecepti obligatione, exceptis foeminis, paruulis, et incircumciſis;* ubi iterum nihil de excommunicatis. Et de peculiari ingreſſu excommunicatorum in templum iam ſupra dictum. Vid. SELDENVM *de Synedr. l. I. c. 7.* Et huc quoque pertinent phraſes et voces aliae, e. g. ſegregare ab Eccleſia captiuitatis *Eſr. X, 8.* eiicere *Ioh. IX, 34. 35.* et *3 Ioh. v. 10.* vid. BARON. *ad Ann. 57. n. 12.* item ſeparare *Luc. VI, 22.* abſcindere *Gal. V, 12.* de quo vide H. GROT. *ad Luc. VI, 22.* BEZAM *in Gal. V, 12.* SELDENVM *de Synedr. l. I. c. 8. p. 216.* tollere de medio *1 Cor. V, 2.* conf. H. GROTIVS *in h. l.* tollere autem de medio non per mortem, vt TERTVLL. *de pudicit. c. 14.* intelligit, ſed per excommunicationem, cuius omnino effectus erant ad mentem Apoſtoli, *v. 9.:* ne commiſceamini fornicariis, et *v. 10.* ſcripſi vobis non commiſceri etc. Quicquid dicat SELDENVS *de Synedriis p. 217.*

§. 6. Sequitur *Maran Atha*, duabus vocibus, vt vult DE LA CERDA *Aduerſ. LXXXIII. n. 16.* ita vt מרן *Maran* ſit vna vox, אתא *Atha* altera; aut iuxta alias editiones, vox vna *Maranatha*, quae vſurpatur a Paulo *1 Cor. XVI, 22.* Iuxta quosdam eſt vocabulum Syriacum, vt CRINES. *de confuſ. Lingg.* Sic enim *Syrus* ibi: *Sit* חֵרֶם, *Dominus venit.* ARABS legit: *Sit ſeparatus, Dominus iam venit.* Alii vero legunt *Mabaramotha*, quaſi ſit excommunicatus ad mortem: atque ſic Lutherus quoque retinuit.

Prior

Prior tamen lectio etiam apud Patres occurrit. Hinc HIERON. AMBROS. aliique explicant per *Dominus noſter venit*, vt et CHRYSOST. THEOPHYL. THEODOR. *in h. l.* AVGVST. *Ep. CLXXVIII.* vertit: *donec Dominus redeat.* SEDVLIVS: *Maranatha Syrum eſt, et interpretatur: Deus noſter venit;* quaſi ergo aperte Apoſtolus diceret: *qui non amat Dominum, ſit perditio,* i. e. pereat in aduentu Domini. Alii ad locutionem illam, *Dominus venit in ſanctis millibus Iud. v. 14.* tanquam prouerbialem referunt. Adducenda heic omnino ſunt verba BARONII *ad Ann. LVII. n. 171. Cauſam huius additionis hanc exiſtimamus, quod Hebraei, cum proferrent condemnationis ſententiam, cum conteſtatione praeſentis diuini iudicii facere conſueuerunt. Sunt de his exempla* Dan. XIII. *Danielis condemnantis impudicos ſenes, qui de angelo Domino quaedam addit. Sic et caeteri iudicantes, et maledictionis ſententiam pronunciantes, addentesque Maranatha, Dei praeſentiam omnia iudicantis et punientis adeſſe, conteſtabantur, ſicut habetur Pſ. IX. Iudicentur gentes in conſpectu tuo: vt probaretur, eſſe verum, quod ſcriptum eſt Prou. VIII. Per me legum conditores iuſta decernunt, et illud: Per me potentes decernunt iuſtitiam. Et plerumque ita accipitur, vt aut Epiphonematis,* (vid. DAN. HEINS. *in Exerc. ſacr. ad Ioh. XX. et 1 Cor. XVI.*) *aut admonitionis ſubiunctae vicem habeat.* Alii tamen id Anathemati volunt eſſe Synonymum: hinc IO. MARIANA *in h. l. Vtraque vox,* inquit, *excommunicatum ſignificat; prior anathema lingua graeca, poſterior chaldaica: ex Maranatha facta eſt vox Maranus.* Videatur idem MARIANA *de reb. Hiſp. l. VII. c. 6.* Alii, vt BEZA, DRVSIVS *ad Ioh. IX, 22.* et *ad Rom. IX, 3.* CAMERO in *praelectionibus de Eccleſia p. 380.* et *ad Matth. XVIII, 17.* BVXTORF. *Lex. p. 2466.* TREMELLIVS *in h. l.* τὸ Maranatha pro explicatiuo habent, vt oſtendatur, quaenam ſpecies intelligenda ſit, nimirum ipſum Schammatha, quam vocem ſic alludendo explicare ſolent Iudaei, vt idem ſit, ac שֵׁם et אֲתָא *Dominus venit.* Vnde GROTIVS *ad Luc. VI, 22.* grauius Anathematis genus Hebraei vocant שמאתא Deus venit. Nam שֵׁם i. e. *Nomen* pro *Deo* dicunt. Paulus dicit *Anathema Maranatha* eodem ſignificatu: nam מָר eſt *Dominus.* Et ea voce oratur Dominus, vt quam primum talem maleficum et ſeductorem tollat

lat ex hominum numero. Et heic extremi anathematis formulam eſſe agnoſcit D. DILHERR. *Tom. I. Diſpp. p. 309.* qua nempe ſine vlla ſpe veniae extremae Chriſti omnium mortalium iudicis condemnationi adiudicabitur peccator. Vid. et SELDENVS *lib. I. c. VIII. p. 209. ſqq.*

§. 7. Pertinet huc quoque iſtud, quo vtitur Paulus *1 Cor. V, 5. 1 Cor. I, 20.* nimirum phraſis παραδȣ̃ναι τῷ σατανᾷ, quae videtur explicari poſſe ex *2 Cor. XII, 7.* et omnino probabile eſt, ea vel excommunicationem integram, vel potiſſimum quoddam eius adiunctum indicari. Et Patres quidem in eo fere conſentiunt, hanc Pauli phraſin non modo, vt eiusmodi a daemone obſeſſus miſerabiliter excrucietur, eſſe intelligendam; ſed etiam, quod ſic traditus Satanae a communione fidelium haberetur abſciſſus et excommunicatus. Nam eundem inceſtuoſum tollendum de medio eorum Paulus dixerat: hinc TERTVLLIANVS *de pudicit. c. 13. Illis*, inquit, *traditis Satanae, i. e. extra Eccleſiam proiectis;* et *c. 20: Abiicitur extra ciuitatem in locum immundum deditus ſc. Satanae in interitum carnis, nec amplius reaedificetur in Eccleſia poſt ruinam.* Eodem modo Pauli ſententiam explicat HILARIVS *in Pſ. CXVIII.* HIERON. *in Ez. XVII.* aliique. Vid. BARONIVS *ad ann. LVII. n. 11.* Alii tamen id ſumunt de poteſtate Apoſtolorum, qua impiis tum morbos, tum mortem inferre potuerint, iuxta *Act. V, 5. c. XIII, 11.* Vt TERTVLL. *l. c. c. 14.* LVDOVIC. CAPPELL. *ad Iob. IX.* SELDENVS *de Synedr. p. 219.*

§. 8. Ἀπὸ τȣ̃ ἀναθέματος deſcendit verbum ἀναθεματίζειν, quod easdem admittit ſignificationes, quas nomen ipſum, deuouendi nimirum plerumque, et conſecrandi raro, vt *Num. XVIII, 14.* Compoſitum eſt καταναθεματίζειν, vnde κατάθεμα, quaſi καταναθεμα, de quo IVSTINVS in *lib. quaeſt. et reſpp. ad orthod. ad quaeſt. 121.* Conf. GOMARVS *part. 2. opp. p. 117.*

§. 9. Cognatas noſtrae voci phraſes quod attinet, ap. Patres ſequentes fere occurrunt. Diuinam cenſuram inuocat TERTVLL. *Apologet. c. 39. de idololatria c. XI.* inquit, laniſtam arcendum ab Eccleſia. In *lib. II. ad vxorem, c. 3.* ſtupri reos arcendos eſſe ab omni communione fraternitatis. *Lib. de praeſcript. c. XXX.* relegare in perpetuum diſcidium. *Aduerſus Marcionem*

nem l. IV. c. 24. communicatione interdicere, prohibere, ne in Eccleſia recipiatur. *De pudicit. c. IV. et XIV.* ſubmouere a limine et omni tecto Eccleſiae; dare extra Eccleſiam; ſacramento benedictionis exauctorare, et nunquam in caſtra Eccleſiae reuertere. CYPRIANVS eandem cenſuram modo abſtentionem nominat, modo aliis periphraſibus circumſcribit: vt arcere a communione, non communicare, vel a communicatione cohibere, excludere vel eiicere ex Eccleſia, depellere, condemnare. In *Epiſt. LXII. ad Pomponium* inquit: *Spirituali gladio ſuperbi et contumaces necantur, dum de eccleſia eiiciuntur.* Conf. BARON. *ad annum 57. n. 14.* CYPRIANVS quoque anathematizatos peculiari nomine *abſtentos* appellat. Vid. et SELD. *de Synedr. lib. 1. c. 8. p. 257. et 259.* Cognatum quoque eſt anathemati, quod occurrit apud CAESAREM *de bello Gall. l. VI.* Apud Gallos enim ſi qui eorum ſacerdotibus, qui Druidae dicebantur, non paruiſſent, (penes illos enim erant iudicia tam rerum capitalium, quam etiam litium et controuerſiarum priuatarum et publicarum) et eorum decretis non ſtetiſſent, ſacrificiis iisdem interdicebatur. Erat haec poena apud illos grauiſſima: nam quibus ſic interdictum erat, ii numero ſceleratorum habebantur, ab iisdemque omnes decedebant, aditum ſermonemque fugiebant, rati nimirum, ſe quacunque leui cum iis communicatione eorum contagione affici; inſuper nec iis ius petentibus reddebatur, nec etiam honos vllus exhibebatur. Romanorum quoque exilium, quo exulibus aqua et igne interdicebatur, huic poenae ſimile eſſe apparet. Vide de hoc NICOL. ANTONIVM *de exilio l. I. c. VII. n. XI.* et BARON. *ad ann. 57. n. 13.* qui id quoque huc refert, quo quidam olim Diti deuouebantur, ſeu diris. Praecipue vero huc referenda eſt *ἀτιμίας* ſeu infamiae illa poena, addita marito adulteram damnatam retinenti, parentes pulſanti, aut non alenti, aliisque flagitioſis irrogari ſolita, quae conſiſtebat in *τῷ εἴργεσθαι τῶν νομίμων*, iure patrio exui, adeo, vt tales non ſolum, tum a magiſtratibus arcerentur, tum a ſacris communibus, verum etiam eo vsque vitae priſtinae commercio priuarentur, vt plane tum quaſi exules in patria haberentur, tum impune etiam occidi poſſent: de qua vide *prolixe* SELD. *de Synedr. c. X. p. 402. ſqq.*

Digitized by Google

SECTIO II.
HISTORICO - THEOLOGICA.

CAP. I.
De Cauſa efficiente Anathematis.

§. 1. Cum igitur vocabulum Anathematis ſectione ſuperiori clare ſatis fuerit explicatum, iam nihil ſuperest aliud, quam vt ad rem ipſam accedamus propius, anathematisque naturam, prout ſeſe illa aduerſus manifeſtos peccatores et haereticos in Eccleſia hactenus exſeruit, breuiſſime, et quantum per anguſtiam temporis licebit, declaremus, ita vt 1) *definitionem*, 2) *cauſas*, et 3) *effectus* eiusdem proponamus.

§. 2. Anathema ergo generaliter et abstracte ſumptum eſt ſeparatio vnius vel plurium Eccleſiae membrorum, ob ſcandaloſum crimen in vita, aut heterodoxam profeſſionem in fide, a communione ſanctorum, vt et ſontes reſipiſcant, et alii cautiores fiant.

§. 3. *Cauſa efficiens* eſt vel *principalis*, vel *minus principalis*. Circa *principalem* duplex fuit, et eſt etiamnum inter eruditos theologos ſententia: altera eorum, qui ius Anathematis diuinum eſſe ac Euangelicum volunt; altera eorum, qui poenam hanc iure tantum ac inuento arbitrioque humano fundari ſtatuunt, adeoque pro eodem arbitrio iuxta varias regiminum formas poſſe temperari, admitti, omitti, reiici, reuocari. Prior ſententia a Pontificiis defenditur potiſſimum, inter Reformatos tamen BEZA quoque eandem peculiari tractatu de *vera excommunicatione et presbyterio* contra THOMAM ERASTVM defendit, cum quo CALVINVS conſentit in *Inſtitut. l. IV. c. 11. Confeſſionesque Heluetica, Gallicana, Bohemica*, et *Belgica olim*, cum quibus etiam noſtrates hac in parte concordant. Vid. b. HVLSEMAN. *de corrept. frat. p. 242.* Et ad hoc ius diuinum iam olim prouocatum eſt. Vnde CYPRIANVS *ad Pomp. Epiſt. LXII.* (vide quoque *Epiſt. XL. LV. LXV*). *Nec putent*, inquit, *ſibi vitae aut ſalutis conſtare rationem, ſi Epiſcopis aut ſacerdotibus obtemperare noluerint, cum Deut. XVII, 12. Deus dicat: Et homo, quicunque fecerit in ſuperbia etc. Interfici Deus iuſſit ſacerdotibus ſuis non obtemperantes, iudicibus autem a ſe ad tempus conſtitutis non obedientes; et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc*

et

et circumciſio carnalis manebat, nunc autem quia circumciſio ſpiritualis eſſe apud fideles Dei ſeruos coepit, ſpirituali gladio contumaces et ſuperbi necantur, dum de Eccleſia eiiciuntur. Alii Patres adducere ſolent loca de clauibus regni coelorum Petro datis *Matth. XVI, 19.* de fratre pro Ethnico et publicano habendo *Matth. XVIII, 17.* de poteſtate ligandi et ſoluendi etiam reliquis Apoſtolis conceſſa *Ioh. XX, 23.* Videatur ORIGENES *hom. VII. in Ioſ. homil. II. in Iud.* TERTVLLIANVS *lib. de pudicit. c. XIV. et XXI. lib. II. ad vxorem cap. II.* CYPRIANVS *Epiſt. XXVII. LIV. LXXIII. LXXV.* et *lib. de vnitate Eccleſiae Catholic.* aliique. Atque huc quoque pertinet ipſe anathematum vſus, qui in canonicis Apoſtolorum ſcriptis hinc inde deprehenditur, *Gal. I, 8. 9. 2 Cor. XVI, 22. Gal. V, 12. 1 Cor. V, 5.* Vnde non immerito concluditur, poteſtatem Eccleſiaſticam circa vſum Anathematum omnino eſſe iuris diuini: id quod etiam *Auguſtana Confeſſio* innuit *Artic. vltimo abuſuum,* in *Artic. Smalcald. in tr. de primatu Papae §. ſecundus articulus.* Quae omnia tamen intelligenda ſunt iuxta mentem *articuli Smalcaldici noni*, de excommunicatione, vbi haec: Maiorem illam excommunicationem, quam Papa ita nominat, non niſi ciuilem poenam eſſe ducimus, non pertinentem ad nos Miniſtros Eccleſiae. Minor autem, quam nominat, vera et chriſtiana, eſt excommunicatio, quae manifeſtos et obſtinatos peccatores non admittit ad ſacramentum et communionem Eccleſiae, donec emendentur, et ſcelera vitent: Et miniſtri non debent confundere hanc Eccleſiaſticam poenam cum poenis ciuilibus.

§. 4. Altera ſententia, quae de iure heic humano eſt, nec inſtitutionem diuinam admittit, propugnatores quoque habet quamplurimos, inprimis TH. ERASTVM, Medicum. Videatur de hac controuerſia SELDENVS *de Synedr. c. X. p. 316. et 395. fin.* vbi alios plures hanc opinionem defendentes adducit, ſimulque argumenta hujus opinionis non pauca colligit. Ad omnia tamen facillime reſponderi poſſe arbitramur, ſi diſtinguatur 1) inter eſſentiam excommunicationis, quae conſiſtit in ſeparatione ab Eccleſia, et inter eiusdem adiuncta, quae pro varietate temporum locorumque ſemper variarunt, demtaque et adiecta ſunt ex arbitrio magiſtratuum. 2) Inter id, quod iuris et quod facti

eſt. Fieri enim potuit, vt de facto ſibi quaedam arrogauerint Magiſtratus Politici, quod de iure pertinebat ad Eccleſiam. 3) Inter ſimilitudinem et identitatem. Similes enim eſſe Chriſtianorum ritus circa excommunicationem, iudaicis, nec non paganis, vix quiſpiam negabit; eosdem eſſe, vix quiſpiam adſtruet. Quemadmodum ergo non ſequitur: Baptiſmus Chriſtianorum, quo initiantur, qui ingrediuntur Eccleſiam, ſimilis eſt baptiſmo Iudæorum, quo initiabantur, qui fiebant Proſelyti: Ergo Baptiſmus Chriſtianorum non eſt iuris diuini. Ita nec de Anathemate valet conſequentia. In hoc igitur recedimus a Pontificiis, quod non omnes ritus anathematizandi iuris diuini eſſe ſtatuamus, ſed multos tanquam mere humanos penitus reiiciamus; ab Eraſtianis vero in hoc, quod eſſentiam tamen excommunicationis ab ipſo Chriſto principaliter originem habere ſentiamus, nec nimium tribuamus Principibus et Magiſtratibus, quod illi omnino facere videntur. Vide contra CASP. ERASTVM BROCHM. *Syſtem. de diſcipl. Eccleſiaſt. c. V. quaeſt. VII. p. 1004.*

§. 5. *Cauſa* efficiens Anathematis *minus principalis*, vel *miniſterialis* eſt, vel *ſuffraganea;* illaque vel *ordinaria*, vel *extraordinaria. Ordinaria* rurſus eſt vel *remota*, vel *proxima. Remota* eſt Eccleſia quaevis particularis collectiua, in qua deliquit homo ſiue ſceleſtus, ſiue haereticus. Regulariter enim Anathematis fulmen non vibratur niſi in ſubditum: vnde ad euitanda mala ἀλλοτριοεπισκοπίας a quibusdam conciliis antiquioribus conſtituti ſunt certi eccleſiarum limites, quibus non tantum dioeceſes patriarchales, metropolitanae, epiſcopales ruralesque, ſed et in vrbibus maioribus, e. g. Antiochiae, Alexandriae, Conſtantinopoli, parochiae diſtinguebantur, earumque iurisdictiones certis finibus terminabantur: id quod patet ex Hiſtoria Conciliorum Niceni, Conſtantinopolitani, Chalcedonenſis, Carthaginenſis, aliorumque. Vid. MARC. ANT. DE DOMINIS *de Rep. Eccl. l. 2. c. 3. l. 3. c. 3. l. 4. c. 6.*

§. 6. Efficiens *ordinaria proxima* eſt Eccleſiae Synedrium, ſiue Eccleſia repraeſentatiua. Quamuis enim poteſtas ligandi et ſoluendi omnibus paſtoribus Eccleſiae in totum competat, iuxta *Ioh. XX, 23.* in cognitione tamen et ſententia circa annotationem publice flagitioſorum quoad exercitium correquiritur conſenſus plurium,

Digitized by Google

plurium, tam ob ſuperius, quam ob certius iudicium. Vid. HVLSEM. *Breuiar. c. XIX. th. XV.* et *de corept. fratern. p. 258. n. 184.* Nam iuxta *Matth. XVIII, 17.* vt quis pro ethnico et publicano habeatur, totius Eccleſiae ſuffragium requiritur, et *1 Cor. V, 8.* Paulus inquit: *Ego iuncto meo et veſtro ſpiritu decreui excommunicare inceſtuoſum.* Hinc etiam apoſtatae et haeretici conuicti olim decretis ſynodicis ab Eccleſia extrudebantur, aque communicatione penitus depellebantur, vt habet EVSEB. *l. 5. c. 15.* ac nominatim Paulus Samoſatenus in Synodo Antiochena: idem EVSEB. *lib. 7. c. 26. et 29.* aliique haeretici in conciliis aliis.

§. 7. Quanquam negari nequit, in hiſtoriis occurrere exempla non pauca eorum, qui autoritate ſaltim epiſcopali ab Eccleſia reiecti, aque communione ſanctorum ſeparati ſunt. Atque ſic Babylas, Epiſcopus Antiochenus, non vlla poteſtate publica Eccleſiaſtica, ſed priuato zelo a ſacris adytis repulit Decium Imperatorem, vt habet BARON. *An. 253. n. 128.* e CHRYSOSTOMO. Sic Alexander, Alexandriae Epiſcopus, Arium, Achillam, et reliquos eius complices ab Eccleſiae communione ſeparauit. THEODORETVS *lib. I. cap. 3.* Sic Athanaſius praefectum quendam Libyae, apud BASILIVM *Epiſt. XLVII.* Ambroſius Theodoſium Imperatorem. THEODORET. *l. 5. c. 17. Hiſtor. Tripartita lib. 9. c. 30.* Idem Imperatorem Maximum, apud SPONDANVM *ad ann. 388. n. 5.* Chryſoſtomus Eudoxiam, quod vineam abſtuliſſet viduae cuiusdam Theognoſti, viri conſularis, qui iniqua bonorum publicatione et relegatione damnatus fuerat cum vxore et liberis. SPONDAN. *ad ann. 401. num. 9.* Auguſtinus Bonifacium totius Aſiae proregem, quod reum quendam per vim ex ſacro aſylo retraxerat. Vt nihil iam dicam de Pontificibus, qui poteſtatem excommunicandi fere ſolis ſibi arrogant. Inueniuntur tamen quoque exempla inferiorum ordinis eccleſiaſtici, qui hoc iure vſi ſunt. Inde Theodoſium Iuniorem excommunicauit monachus quidam, apud THEODOR. *l. 5. c. 16.* NICEPH. *lib. 14. c. 3.* BARON. *Tom. V. ad ann. 425. num. 16.* nec ſe ſolutione non egere exiſtimauit Imperator, vtcunque excommunicationem eiusmodi nihili fuiſſe ei aſſereret Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui eum etiam ſolutum pronunciabat; ſed eiusmodi ſolutione non contentus Imperator, ab Epiſcopo impetrauit, vt

 poteſtas

poteſtas ſoluendi ab eo monacho fieret, qui magno labore conquiſitus tandem eum abſoluit. Imo vero in legibus Principum quoque non raro hoc poenae genus occurrit, non tantum vt comminatorium, ſed etiam vt iudiciarium. Exempla quamplurima inueniuntur in *Codice Theodoſiano leg. VI. lib. XVI. tit. 4. et 5. leg. X. XI. XIII. XIV. XL.* inprimis *leg. XVI. lib. 16. tit. 2.* Etiam Iuſtinianus ipſe ſaepiſſime ſuo nomine has formulas adhibet: *Anathematizamus* et *anathematizentur*, et *ſub excommunicatione fiet*, et *anathema ſit*, vt liquet ex edictis *leg. III. V. VI. Cap. de ſumma Trinitate, edicto de fide.* Vide quoque BARONIVM *Tom. VII. ad ann. 533. §. 9.* et *546. §. 18.* Nec non Carolus Magnus et Conradus I. Imperatores ſimilibus vſi ſunt formulis apud GOLDASTVM *Tom. II. Conſtitut. Imperial. part. I. p. 210.* Plura vid. apud SELDEN. *p. 318. ſqq.* De quibus omnibus tamen ſobrie ſemper iudicandum. Non quaſi in adminiſtratione diſciplinae huius eccleſiaſticae omnem plane locum negemus Magiſtratui Politico, quod aſſerit OSTORODVS *Inſtit. German. cap. 29. p. 195.* in quo conſentiunt Arminiani et Anabaptiſtae, vid. BROCHM. *Syſtem. de diſcipl. Eccleſiaſtica p. 994. et 996.* Sed ne ad interiora eiusdem admittantur ii, quibus externa tantum poteſtas competit. Conſulendus heic omnino M. HENRICI VESTRINGI *diſcurſus Theolog. de poteſtate Eccleſiaſtica.*

§. 8. Pontificii alioquin poteſtatem excommunicandi tribuunt ante omnia Pontifici, deinde concilio generali, poſtmodum conciliis etiam prouincialibus, nec non cuilibet Epiſcopo in eos, quorum iudex eſt ordinarius. Denique et Praelatis eccleſiaſticis, dummodo exerceant aliquam iurisdictionem in foro exteriori. vid. BEYERLING. *lit. E. p. 467. a.* Nos vero, vt dictum, heic plures requirimus; niſi increpandi ſint tales, qui pro haereticis iam ſunt declarati. Dum enim cuilibet paſtori licet inclamare lupum, nec prohibitum eſt vlli Doctorum, anathematiſmis petere heterodoxos, modo quis 1) officium elenchticum recte queat adminiſtrare. Quomodo enim damnabunt aduerſarios illi, quibus eorum doctrina non recte eſt perſpecta, quique ſcripta illorum ſaepe nec legerunt, nec perpenderunt legitime? Tria enim ad talem requiruntur elenchum: α) *diiudicatio*, quae conſiſtit in accurata cognitione rei controuerſae, et ex collatione argumentorum

vtrius-

vtriusque partis oritur. β) *Refutatio* ſententiae falſae, ex ſolidis Scripturae fundamentis petita. γ) *Admonitio ad auditores*, vt veram ſententiam fideliter complectantur, aduerſam autem tanquam verbo Dei contrariam fugiant, ac deteſtentur, quorum qui ſibi non eſt conſcius, illi ſatis erit, aliis muneris ſui partibus diligentius perfungi, elenchumque peritioribus committere. 2) Quoque requiritur, vt quis a calumniis abſtineat, quae prohibitae ſunt expreſſis Scripturae verbis *Leuit. XIX, 16.* nec aduerſariis errores affingat, quorum conuinci nequeant, aut recte ab iis dicta deprauet, iisque alienum ſenſum affingat, aut peregrina dogmata ipſorum ſcriptis inferat. Id quod MARTINVS BVCERVS de ſe et complicibus ipſe fatetur *Ep. ad Comandrum anno 1538. ſcripta.* 3) Neceſſum eſt, vt qui condemnare velit opiniones haereticas, omnem affectum priuatum ſeponat, nihilque ex odio perſonae, nihil in gratiam alterius, nihil priuati commodi, vel gloriolae cauſa proferat, ſed aduerſariis ſimul veram conuerſionem ex animo precetur, praeſertim, ſi in errore natos ſciat. Sic enim CHRYSOSTOMVS in *Homilia de Anathemate:* Dogmata impia, inquit, ab haereticis profecta arguere et anathematizare oportet, homini autem parcendum, et pro ſalute eius orandum. Et AVGVSTINVS *Sermon. LI. de verbis Domini in monte:* Non eis iraſcamur, ait, ſed pro eis oremus, vt Dominus det eis intellectum: quia forte hoc nati ſunt. Quid eſt: hoc nati ſunt? hoc acceperunt a parentibus ſuis, quod tenent. Abſque conuitiis igitur in rebus fidei certandum eſt: vult enim Apoſtolus, ſeruum Domini manſuetum eſſe erga omnes, cum lenitate corripientem, *2 Tim. II, 24.* cum quibus omnibus tamen iuſtus quoque zelus optime poteſt conſiſtere, qui oritur ex conſideratione impietatis, quam doctrina falſa importat; ex inſigni periculo, quod imminet Eccleſiae, ſi doctrina illa toleretur; ex pertinacia item aduerſae partis, cui ſaepe adhaerent homines, qui monſtratae veritati cedere nolunt, ſed furentes ruunt ad interitum, multorumque animas ſecum rapiunt. Vide de his omnibus prolixius diſſerentem BALDVINVM *de Anathem. n. 27. ſqq.*

§. 9. *Extraordinaria* Anathematis *cauſa* eſt interdum Eccleſia alia, cui damnandus tamen ſubiectus non eſt; atque huius generis caſus exiſtere poſſunt varii: 1) ſi extruſus a ſua Eccleſia

Digitized by Google

prouocat ad plures, quam prouocationem concedit *Synodus Nicena Can. V.* et fuſius deducit ATHANAS. *Apol. II. fol. 576.* quaque vſi ſunt Nouatus, Pelagiusque ex Africa et Palaeſtina Romam prouocantes, aliique haeretici olim. 2) ſi periculum immineat etiam gregi noſtro: tunc enim Eccleſiae exterae et Epiſcopi extranei per conſcientiam obligantur ſuccurrere preſſis Eccleſiis, per defenſionem orthodoxae et damnationem heterodoxae doctrinae; partim ad praeſeruandum gregem ſuum, partim ad praeſeruandos et liberandos alios: idque ex neceſſitate tum extrinſeca, ſiue praecepti diuini *Eph. IV, 3. 4.* tum intrinſeca, ſiue totius integralis homogenei, cuius harmoniam tenentur conſeruare omnes et ſinguli doctores. Hinc etiam Lucifer, Epiſcopus Calaritanus in Sardinia, Euſebius, Epiſcopus Vercellenſis in Italia, et Hilarius, Epiſcopus Pictauienſis in Gallia, damnarunt Arianos in Eccleſiis Aegyptiacis et Illyricis latrocinantes. Sic Synodus Romana, quam congregauerunt Damaſus et Petrus Alexandrinus Epiſcopi, damnauit Apollinaris, epiſcopi Syri, doctrinam. RVFFIN. *l. 1. c. 2.* conf. BASILIVM *Epiſt. 18. 48. 51. 58.* THEODOR. *l. 5. c. 4.* M. ANT. DE DOMINIS *lib. II. de Rep. Eccl. c. VII.* Sic THEODORETVS refert *lib. V. c. 34.* Epiſcopos Europaeos ſeparaſſe ſe a calumniatoribus Chryſoſtomi etſi orthodoxis, qui in exilio mori ipſum coëgerunt. Auguſtinus quoque, Epiſcopus Hipponenſis, Donatum, Epiſcopum Carthaginenſem, Pelagium natione Britannum, Doctorem Romanum, Manichaeos etiam in Aegypto et Arabia degentes damnauit. Hieronymus, circa Bethlehemum habitans, Iouinianum monachum Romanum, et Vigilantium Gallum, Pelagium Britannum refutauit. Sic quoque noſtro aeuo e Caluinianis BEZA in Sabaudia contra IOACH. WESTPHALVM, TILEMANNVM HESHVSIVM, et NICOL. SELNECCERVM inſurrexit. DANIEL TOSSANVS, Doctor Heidelbergenſis, contra Articulos viſitatorios in Miſnia ſcripſit; PAREVS, SIBRANDVS LVBBERTVS, IACOBVS AD PORTAM, Photinianos in Tranſyluania et Polonia inuaſerunt. Nequaquam igitur vel *πολυπραγμοσύνη*, et *ἀλλοτριοεπισκοπία* eſt, ſi et noſtrates interdum exterorum Theologorum heterodoxiam condemnent. Quamuis enim negari nequeat, quemvis Eccleſiae miniſtrum ſuum habere gregem, cui attendere

dere debeat, *1 Petr. V, 2.* negari tamen et id non poteſt, errorem in doctrina verbo Dei contrarium ſemper refutandum eſſe, ſiue procul ſit, ſiue prope: cum haereſis inſtar cancri ſerpat et tandem etiam remotiſſima membra inuadat, niſi mature occurrat Medicus. Et quis in poſterum arguere audebit pontificios, ſi allotrio-epiſcopiae reus, qui contra externos Doctores anathema parat. An igitur non prius arcendus eſt lupus, quam cum iam in medio ouium lanienam ſuam exercet? An πολυπραγμοσύνης arguendi ſunt conciues, qui ad incendia, etiam procul ab aedibus exorta, concurrunt? Atqui Eccleſia Catholica ſimilis eſt ciuitas, in qua Eccleſiae particulares omnes vnitate doctrinae, fidei, et confeſſionis ita ſunt coniunctae, vt a ſe inuicem ſeparari non poſſint. An dormiendum igitur, haereſium incendiis exortis, donec proximus ardeat Vcalegon? Et quamuis Apoſtoli non ſimus, quibus commiſſum erat, in vniuerſo mundo praedicare Euangelium; miniſtri tamen ſumus, quibus data eſt poteſtas docendi et refutandi haereticos, vbicunque ſint locorum: quod ſane Paulus Timotheo et Tito expreſſe iniunxit *2 Tim. II, 25. Tit. I, 10.* qui id quoque de Epheſinis et Cretenſibus tantum Pſeud-Apoſtolis procul dubio non intellexerunt. Vid. LEONHARDI HVTTERI *Caluiniſta Aulico-Politic. alter p. 117. et 140. ſqq.* BALD. *diſſert. de Anathem. num. 96.* HVLSEMANN. *de correptione fraterna p. 252. ſqq.*

§. 10. Interdum et *extraordinaria cauſa* Anathematis exiſtit populus, in quem, vel ſilentibus vel heterodoxis Epiſcopis dioeceſanis vel vicinis, omnino deuoluitur neceſſitas ſeparandi Epiſcopos a conſortio ſuae communionis, vel priuatiue: vt ſi Epiſcopus iam conſtitutus deficiat; vel negatiue, ſi non admittatur conſtituendus quidam heterodoxus. Sic populus Alexandrinus ſeparabat ſe a communione Georgii Cappadocis, qui obtrudebatur in locum Athanaſii. Sic plebs Hieroſolymitana ſeparabat ſe ab Epiſcopo ſuo de haereſi Origenis ſuſpecto. Sic populus Conſtantinopolitanus nolebat communicare Arſatio in locum Chryſoſtomi ſuffecto, apud SOZOMEN. *lib. VIII, c. 23.* Sic populus Samoſatenus Eunomio Ariano, ſurrogato Euſebio orthodoxo, itidem nolebat communicare. THEODORET. *lib. IV, cap. 14.*

§. 11. Interim populus alicubi etiam inter ordinarias Anathematis denunciandi cauſas numeratus fuiſſe legitur. De Carthaginenſibus enim et plebe Africana teſtatur CYPRIANVS *lib. I. Ep. 3.* et *lib. V. Ep. 125.* quod in Eccleſia etiam conſtituta totaque orthodoxa concurrentem cognitionem de meritis et qualitatibus excommunicatorum et abſoluendorum habuerint: et ſuffragium quidem affirmatiuum ſeu asſertiuum tacite tulerint; facultatem autem negatiuam ferendi palam exercuerint, vbi de Eccleſia Romana: quod, vti excommunicatio fieret cum conſenſu plebis, ita abſolutionem non oporteat, niſi caute tractari, conſultis omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, et ipſis ſtantibus Laicis. TERTVLLIANI etiam aetate ſuffragia populi acceſſiſſe, patet ex *Apologetico c. 39.* Sed de his omnibus prolixius HVLSEM. *de Corrept. fratern. n. 42. p. 242.*

§. 12. *Suffraganea* Anathematis *cauſa* eſt vniuerſa catholica Eccleſia ratum habens id, quod ligauit pars homogenea. Solebant enim excommunicatorum nomina Epiſcopis aliis perſcribi, vt patet ex epiſtola Alexandri Alexandrini de Ario ad vniuerſi orbis Epiſcopos apud SOCRATEM *lib. I. c. 3.* et EPIPHAN. *haereſ. 69.* BASILIVM *Epiſt. 46. ad Athanaſium.* Hinc inter Niceni Concilii Canones et hunc refert RVFFINVS *lib. I. c. 6.* ne quis excommunicatum ab Epiſcopo ſuo recipiat, ſiue laicum, ſiue clericum, ſub poena eiusdem cenſurae: quod in concilio Antiocheno, Gangrenſi, Carthaginenſi IV. aliisque confirmatum eſt. Atque inde origo literarum formatarum, ſiue pacificarum, de quibus *Concilium Laodicen. I. Can. XLI.* EPIPHAN. *haereſ. LXIX.* et THEODORETVS *lib. I. c. IV.*

CAP. II.
De Obiecto Anathematis.

§. 1. His de Anathematis cauſa efficiente breuiter annotatis, de materia circa quam, ſeu de obiecto nunc dicendum eſt aliquid. Quod eſt h. l. homo aliquis vitiis ſcandaloſis tum in doctrina, tum in moribus immerſus, iisque pertinaciter et incorrigibiliter indulgens: vt conſtat exemplis, inceſtuoſi *1 Cor. V.* Hymenaei, Phileti, Hermogenis, aliorumque blaſphemantium coeleſtem veritatem, *1 Tim. I, 20. 2 Tim. I, 15. c. II, 17.* vbi notan-

notandum, quod, vt in omnibus aliis, ita et in hoc obiecto duo occurrant, materiale nimirum et formale. Materiale eſt homo, formale, quatenus pertinaciter ſceleratus vel haereticus. Atque hoc obiectum interdum totum ſimul anathemate petitur, interdum ex parte, et quoad formale tantum.

§. 2. De homine ipſo excommunicato id notandum, quod 1) inauditus excommunicandus non ſit. Chriſtus enim ipſe in priuatis offenſis cauſae cognitionem praecedere, et fratrem offendentem audiri vult, (antiquae Eccleſiae ſcitum), *Matth. XVIII. 15.* Conf. *c. XI, 7. 8.* it. *c. XVI, 6. 12. c. XXII, 34. 46.* Et Siracides monet *c. XI, 8.* Priusquam interroges, ne vituperes quemquam etc. Imo ipſum diuinum mandatum habemus. Conf. *Deut. XVII, 4.* 2) Quod probe ſit cauendum, ne eius excommunicatione maius aliquod damnum inferatur Eccleſiae: de quo videatur totus liber III. Auguſtini contra Epiſtolam Parmeniani Donatiſtae. Ex intempeſtiua enim excommunicatione orta ſunt ſchiſmata non pauca, Miletianum, Apolliniſtarum, Luciferianum, apud SOCR. *l. I. c. 5. l. II. c. 46. l. 3. c. 5. 6. 9. 16.* Ex Victoris excommunicatione intempeſtiua oriebatur ſchiſma inter Eccleſias orientales et occidentales, EVSEB. *l. V. c. 24. ſqq.* Vid. prolixe de hoc HVLSEM. *de corrept. frat. n. 262. ad n. 272.* Saepe quoque periculum propugnandae haereſeos inde exiſtit: quae cauſa erat, ob quam Epiſcopi catholici vnum alterumve notorium Arianum non excluſerint e coetu ſuo; nempe quia Ariani reliquis conciuibus amicitia, cognatione, affinitate conglutinati erant, a quibus corporaliter ſeparari non poterant, aut ſi ſepararentur, eos cognatos ſecum in haereſin abducturi erant. Accedit etiam periculum aliquando, ob plebem Doctori cuidam haeretico nimium adhaerentem, cui, ſi intempeſtiua excommunicatione ſecludatur ille, iniiciuntur ſcrupuli inexplicabiles, vocaturque in dubium ſalus parentum, auorum, coniugum, concitantur aemulationes, otia, ſimultates inter familias, vrbes, oppida, magiſtratus, conſiliarios, vt non raro toti Reipubl. extrema immineat pernicies. Hinc maxime cauendum circa excommunicationem Regum, ne conſequentia mala Eccleſiae ſint intolerabiliora, quam toleratio vnius vel paucorum ſceleratorum. Cum enim Chryſoſtomus excommunicaret Eudoxiam, ſibique hoc facto

parauit

Digitized by Google

pararet exilium, ſpatium omnino et locum Arianis nimium relinquebat diſſeminandi dogmata ſua. THEODORET. *lib. V. c. 7.* Cum Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus excommunicaret Bardam Michaelis Imperatoris Patricium ob bigamiam, hic a Cyziceno Epiſcopo recipiebatur ingentemque Eccleſiae cladem inferebat. FVLGOS. *lib. I. c. 8.* Praeſtabat igitur, Tharaſium Patriarcham differre excommunicationem Conſtantini Irenes filii bigami, ne procliuem ad Eutychianam haereſin impelleret ad apoſtaſiam, quam quod Plato monachus et Theodorus Studita Archimandrita, ille Patriarcham, hic Imperatorem excommunicarent, et monachos in ſchiſma pellectos virgis et exilio exponerent, Imperatore nequicquam emendato. BARON. *ad ann. 755. n. 79. 75.* Praeſtabat, Theodoſium Imperatorem impedire extruſionem Ioannis Antiocheni Neſtoriani, a Synodo Epheſina excommunicati, quam vt totam prouinciam euerteret, et Neſtorianos in pertinacia confirmaret. Vid. BARON. *ad ann. 443. n. 7.* A quo igitur et quamdiu imminuit Eccleſiae idem periculum, quale et quantum a Regibus, principibus, dynaſtis, aliisque plebem ſibi adhaerentem ducentibus, ſi excommunicantur, imminet, ab eo excommunicando tamdiu abſtinendum, quamdiu periculum ſchiſmatis durat.

§. 3. Solent tamen aliquando non homines ipſi, ſed eorum ſaltim doctrina excommunicari et anathemate notari. Sic Epiſtola Ibae ad Marin Perſam anathematizata et anathematizanda dicitur in Edicto Iuſtiniani de fide. Vid. BARON. *Tom. VII. ad ann. 546. n. 28.* Sic Humbertus, Epiſcopus Candidae Caſae, et Petrus, Amalphitanorum Archi-Epiſcopus, ſcriptum Michaëlis Patriarchae de Sabbatho, nuptiis ſacerdotum aliisque, anathematizarunt. *Bibl. Patrum Pariſiis ann. 1624. edit. Tom. IV. part. 2. p. 250.* Academia Pariſienſis quoque et Archi-Epiſcopi aliquot Cantuarienſes damnarunt et excommunicarunt opiniones aliquot Thomae Aquin. ipſo adhuc viuente, WILH. OCCAM *dial. de haereſ. part. I. lib. 2. c. 19.* Atque hac ratione naturalis philoſophia et metaphyſica Ariſtotelis per Auicennam et Auerroën expoſitae longo tempore Pariſiis excommunicatae fuerunt. SELD. *p. 312. ſqq. et 515. ſqq.* Haec ratio anathematizandi etiam vſitata eſt apud Saracenos ad veram fidem conuerſos, e quorum catecheſi

cheſi Athanaſius Kircherus tradit ſequentia: Anathematizo etiam ipſam illam precationis domum in Make, in cuius medio iacere aiunt lapidem magnum, Veneris effigiem in ſe habentem, honorari autem iſtum lapidem, quaſi Abraham ſuper eo cum Hagar coierit, aut camelum ei alligarit, cum Iſaacum eſſet ſacrificaturus. Eos autem, qui precatum illuc eunt, ferunt, alteram manum ad lapidem extendere, altera vero aurem ſuam tenere, atque ita in orbem ſeſe circumagere, donec e vertigine obſuſis tenebris concidant. Erant autem illic ſeptem lapides alii, qui a Saracenis iaciebantur contra Chriſtianos, de quibus ſic Catecheſis Saracenorum: Anathematizo, inquit, fabulam Mahomed, in qua dicunt, eſſe Deo domum orationis ab Abrahamo et Iſmaële in Mecha, ſiue Make oratorium obſeruationis ſiue vaticinii extructum, et mandant, vt cum ſint ibi orantes, vertant facies ſuas verſus partem iſtam. Anathematizo etiam ipſam Mecham, et circuitum eius, et ſeptem lapides ibi coniectos contra Chriſtianos a Saracenis. Hucusque KIRCHERVS in *Oedip. Aeg. Synt. IV. c. 16. p. 350.* Iſteque ritus heterodoxas opiniones condemnandi etiam in noſtris Eccleſiis receptus eſt. Vid. *praefatio in Form. Concord. b. §. ad condemnationes* etc. Hinc etiam vſus harum phraſium: Reiicimus et damnamus omnes haereſes, reprobamus et damnamus omnes ſectas, reiicimus et vnanimi conſenſu damnamus errores, dogmata etc. quae paſſim in Form. Concord. ſunt obuiae.

§. 4. Hic notandi ſunt duo grauiſſimi errores, eorum nimirum, qui circa Excommunicationem vel in exceſſu, vel in defectu peccant. Reperti enim iam olim ſunt, qui anathematiſmos ſanctorum et orthodoxorum Patrum contra haereticos etiam in Oecumenicis conciliis factos ferre non potuerunt: quemadmodum Ioannes Antiochenus in Concilio Epheſino non tantum anathematiſmos Cyrilli improbauit, verum etenim Cyrillum ipſum et Memnonem depoſuit. Vid. *Acta concilii Epheſini Tom. III. c. 1.* et *Tom. Concil. I. fol. 755.* SOZOMENVS *lib. IV. c. 17.* refert, in Synodo Ariminenſi Valentium Vrſatium, Germinium, Auxentium, Gajum et Demophilum poſtulaſſe, ne ſententiae ſingulorum inpoſterum curioſius inueſtigentur, ne diſſidia et ſeditiones mouerentur etc. Sic tempore interimiſtico ſuaſerunt aliqui, ne quid pro concione nominatim contra Papam proponeretur, i.e. ne

ne Papa, Epiſcopi, Monachi, Miſſa etc. expreſſe nominarentur. Inprimis Caluinianis prorſus intolerabile videtur, tum, quod excommunicationem legitimam et hodie reſtitui poſſe dicamus, vid. ARETIVM in *problematib. Theol. p. 638. edit. in fol. in doctrina de Excommunicatione*, et hunc refutantem P. TARNOVIVM, in *diſſert. de Clauib. regni coelor. pag. c.* tum, quod in confeſſionibus noſtris aduerſariorum dogmata damnamus: hinc libro Chriſtianae Concordiae eo nomine tam infeſti ſunt, vt querelarum fere nullus ſit modus. Inde cenſores Haſſiaci et Autores orthodoxi conſenſus offenduntur vocabulo *condemnandi.* Regina Angliae Electoribus Saxonico et Brandeburgico anno 1578. per Legatum disſuadere conata fuit, ne condemnationes aduerſariorum permitterent. *Neoſtadienſes in admonitione toto Cap. VII.* teſtantur, quam aegre ferant errorum condemnationem. Imo Electores Brandenburgici non raro publicis edictis Anathematiſmos et condemnationes Eccleſiaſticas in ſuis, quae orthodoxae adhuc ſunt, Eccleſiis prohibuerunt; ſolentque heic nobis obiicere Politici, 1) eos, qui dictis modis condemnent, eſſe turbatores, rixoſos homines, contumelioſos in bene meritos viros, et in totas Eccleſias, quae ſub cruce ingemiſcant, magnasque perpeſſae ſint perſecutiones. 2) Multos eſſe infirmos, qui huiusmodi clamoribus offendantur, quos in ſimplicitate ſua relinqui ſatius eſſet, quam disputationibus illis inuolui; nec fas eſſe, eos, qui male docent, ludibrio et odiis populi exponere; miniſtrum Eccleſiae non agere cum perſonis, vt illi confundantur, ſed cum vitiis. 3) Obiiciunt pacem et tranquillitatem publicam, quam huiusmodi condemnationibus impediri putant. 4) Se conſentire nobiscum in fundamentis, in opinionibus autem et phraſibus quibusdam a nobis discrepare: credere enim ſe aeque atque nos ex gratia Dei, per fidem in Chriſtum ſaluari. 5) Se nondum eſſe citatos, nondum auditos, nedum conuictos, iniquum autem eſſe, tales damnare. 6) Cuilibet Miniſtro ſuam eſſe commiſſam Eccleſiam; qui extra illam viuunt, nihil pertinere ad ipſos. Nos non eſſe Apoſtolos nouos etc. 7) Politici etiam noſtrates obtendunt, apud aduerſarios nihil profici, furorem hoſtium accendi, periculum Miniſterio et Eccleſiae creari, ad remotionem orthodoxorum et ſubſtitutionem aliorum occaſionem dari: parcendum ergo eſſe auditoribus, melius eſſe ali-

quam

Digitized by Google

quam habere Eccleſiam, quam omnino nullam. Sed Reſp. ad 1) ſub rixarum, contentionum et conuiciorum generibus refutationem et condemnationem falſae doctrinae non contineri, nec vllibi a nobis condemnari integras Eccleſias. Ad 2) infirmos ratione ignorantiae eſſe docendos, ratione dubitationis eſſe confirmandos; ſi quidam offendantur, eſſe ſcandalum acceptum: cum condemnatio haereſeos legitima directa ſit in ſalutem auditorum, non in ſcandalum. Cum perſonis quoque rem eſſe Miniſtris Eccleſiae, cum et Chriſtus nominauerit Sacerdotes et Phariſaeos, et Paulus Pſeudo-Apoſtolos. Ad 3) cum pace coniungendam eſſe veritatem, iuxta *Zach. VIII, 19.* Hinc bene Hieronymus: Volumus et nos pacem, et non tantum volumus, ſed et rogamus; ſed pacem Chriſti, pacem veram, pacem ſine inimicitiis, pacem, in qua non bellum. Pacem vero, quae fit cum iactura veritatis, maledictam eſſe ait LVTHERVS *Com. ad Gal.* Ad 4) reſpondemus negando: in aprico enim eſt, quam falſa doceant de lapſu primi hominis, de voluntate Dei, de cauſa peccati, de reprobatione, de perſona Chriſti, de communicatione idiomatum, de merito Chriſti, de baptiſmo, de coena etc. quae omnia fundamentum fidei concernere, iam toties inculcarunt noſtrates, quibuscunque cum Caluinianis de pace fuit negotium. Et quod de fide opponunt, ne id quidem omnino verum eſt: *α)* quia fides eorum non fertur in totum Chriſtum. β) quia paſſionem non tribuit toti concreto. γ) quia eandem derogant infantibus. 4) quia quidam absque ea ſaluatos ſtatuunt gentiles quosdam, et qui ſunt alii huius generis errores. Ad 5) Concilium generale iniquiſſime heic poſtulatur, cum impoſſibile ſit id conuocare. Auditi tamen ſunt in ſcriptis, in *Colloquio Marburgenſi ann. 1529.* in *Comitiis Auguſtanis ann. 1530.* in *Conuentu Smalcaldenſi ann. 1531. Wittebergae 1536.* in *Colloquio Ratisbonenſi ann. 1541. Maulbrunnenſi ann. 1564. Mombelgardenſi ann. 1586.* et conuicti ſaepius cum fuerint, conuictos ſe tamen nunquam fatebuntur. Ad 6) ſupra iam reſponſum eſt. Ad 7) pacem politicam tantum quaeri, non conſcientiae; notandum eſſe nihilominus *2 Timoth. III, v. 13.* committique fallaciam accidentis: quod enim exacerbantur Aduerſarii, Miniſterio imputari nequit; nec aliter fieri poteſt, quam vt cum fremitu eiiciatur Satan, pro-

propterea vero Miniſter Eccleſiae officium ſuum negligere non debet. Ideo Petrus hortatur: Timorem eorum ne timueritis, et non conturbemini, *1 Petr. III, 14.* et Paulus: In nullo terreamini ab aduerſariis, quae illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, *Phil. I, 38.* Vide hic prolixe BALD. *de Anathem. a num. 86. ad n. 136.*

§. 5. In exceſſu fere peccarunt, qui Anathematis fulmine etiam ob cauſas leuiſſimas, v. g. ob relaxationem comarum, ob percuſſionem clerici, et quae ſunt aliae plures, et ex vindicta potius priuata, quam cenſura legitima vſi ſunt, cum tamen in Concilio Agathenſi et Alvernenſi ſtatutum ſit, Epiſcopos non debere eos, qui minimis cauſis culpabiles eſſent, excommunicare. WOLFF. *cent. 16. c. 4. et 6. p. 40. ſqq. Lect. memoral. et p. 214.* Exempla autem Anathematis ex vindicta priuata et ob leuiſſimas cauſas, imo in innocentes vibrati in Hiſtoria Pontificum occurrunt quam plurima. Vid. apud ONVPHRIVM et PLATINAM Liberii et Felicis II. Donati et Vrſicini, Bonifacii et Eulalii, et alia paſſim obuia. Et huc referendi ſunt illi quoque, qui hac cenſura Eccleſiaſtica etiam in res viliores vſi ſunt. De muribus enim, ſoricibus, locuſtis, etiam auibus, velut picis, monedulis, quae annales, ſ. id genus aliud ſurripuerant, teſtantur ſcriptores grauiſſimi, CHASSANAEVS *Conſil. l.* NAVARRVS *lib. I. conſil. 57.* aliique. Sic ſerta roſarum Nicolaum quendam excommunicaſſe, refert ex Thom. Cantipratenſi ALOYS. NOVARINVS *lib. II. Schediaſm. c. I. n. 18. l. 5. num. 112.* et ex GVIL. ABBATE *in Vita Bernhardi lib. I.* tradit, Bernhardum aliquando muſcas excommunicaſſe. *Idem* ex Ludouico Granatenſi narrat, populum quandam, cuius trunco latro quidam vas argenteum abdiderat, cum ſacerdos eum, qui vas ſurripuiſſet, aut retineret, excommunicaret, exaruiſſe ſtatim, vaſeque reperto natiuam viriditatem recepiſſe. Idem de pane candido, per excommunicationem ſancti Gundeſatii Amarantii in aterrimum conuerſo, ex Ribadeneyra teſtatur BEYERLING *l. c. p. 463.* v. PETR. RIBADENEIRA *lib. I. de Princ. Chriſtiano cap. 34.* ex FERDINANDO A CASTILLO *p. I. hiſt. lib. 2. c. 62.* Et vtinam tam dira fulmina in res iſtas leuiores tantum fuiſſent iaculata, nec ob cauſas multo leuiores nobiliſſimae hominum animae ſaepe fuiſſent diris deuotae, vti etiam apud Hebraeos legimus factum, qui ob reſi-

reſignationem literarum excommunicationis poena delinquentes notarunt. Ex quo fit, vt abbreuiate ſubſcriptioni in literis ſubiiciatur in hunc fere ſenſum: Per anathema R. Gerſon, lumen captiuitatis, excommunicatio ſit alienis, et panis eius ſit cibus gentilium, vinum eius ſit vt vinum idololatricum. NOVARIN. *Schediaſm. lib. 7. p. 192.* Sed et vocem נחש ſuperſcribunt literis, alludentes ad tria genera excommunicationis, et reſpicientes ad dictum *Eccl. X, 8. Rumpens ſepem, mordebit eum* נחש: vbi נ ſignificabat Niddui, ח Cherem et ש Schammatha. Sed viluit tandem iſte rigor, et ad priuatas offenſas, praeſertim in Epiſcopos clericos, aut eorum miniſtros deſignatas, vindicandas, adhiberi coepit. Vid. *Canon. XV. Concilii Matiſconenſis.*

§. 6. Hic tandem quaeſtio agitatur: An etiam Anathemate feriendi ſint mortui? Et in *Concil. Conſtant. V.* quidem, cum Theodorus Mopsveſtanus ob Neſtorianiſmum damnaretur, erant, qui obiicerent, non oportere eum poſt mortem anathematizari. EVAGR. *l. 7.* CHRYSOSTOMVS quoque ſermonem peculiarem habuit de non excommunicandis mortuis, quem Caluiniani saepiſſime citare ſolent, quippe qui mortuos nullo modo excommunicari poſſe cenſent. Sed diſtinguendum omnino eſt inter eos, qui in incorrigibili et pertinaci malitia mortui ſunt inuiſibili communione notorie Eccleſiae orthodoxae. Hinc antea citatum Concilium rationes damnati Theodori dedit has potiſſimum: quod Scriptura iudicet omnes, qui non credant, omnesque anathematizet, qui Euangelium aliud docuerint, etſi non amplius viuant. Item, quod anathema nihil aliud notet, quam ſeparationem a Deo, quam impius ſibi inferat, licet non verbo ab aliquo ſuscepiſſet, per ſuam impietatem a vera vita ſemetipſum ſeparans. Item, quod CYRILLVS in *literis contra Theodorum* ſcripſerit, euitandos eſſe illos, qui tam peſſimis culpis detinentur, ſiue in viuis ſint, ſiue non; a nocente enim ſemper fugiendum eſſe et non ad perſonam reſpiciendum, ſed ad hoc, quod Deo placet. *Tom. II. Concil. fol. 585. A.* et Chryſoſtomus in illa oratione procul dubio locutus eſt contra Theophilum Alexandrinum, qui Origenem ducentis annis poſt obitum eius anathematizauerat. Pertinaces vero anathemate feriri poſſe, ipſe ibidem concedit, quando Iudam et ſimiles proditores iure anathematizari docet.

§. 7. Porro et id quaeritur: An Anathemate feriri queant integrae Eccleſiae? quod negatur: cum Auditores ſaepe non in omnibus cum Doctoribus conſentiant, nec omnia forte erronea dogmata cognoſcant aut intelligant, quibusdam et contradicant, aut ea mitigari exoptent. Nec enim vlla Eccleſia tam impura eſt, quin habeat aliquod ſemen ſanctum: cum zizania ſemper ſint in medio tritici, et in medio Baalitarum 7000 ſanctorum fuerant, et Chriſtus adhuc dominetur in medio inimicorum. Hinc ad minimum infantes et ſimpliciores eximendi ſunt, ſolique haereſiarchae condemnandi. Ita enim Chriſtus non integram Iudaeorum Eccleſiam, Paulus non totam Eccleſiam Galatarum damnauit; ſed ille Phariſaeos tantum et ſcribas, hic ſeductores. Conf. AVGVSTIN. *Epiſt. 162. Praef. in F. C.* et BALD. *l. c. n. 44.*

CAP. III.

De forma Anathematis.

§. 1. Forma Anathematis conſiſtit in communione ſanctorum, quae cum duplex ſit, vel talis, qua quis tantum a communione ſanctorum ſecluditur, vel talis, qua quis etiam a conuictu et conſortio aliorum ſeparatur: diſtinctionem Excommunicationis in minorem et maiorem peperit. Vtrum autem hac ipſa ſeparatione peccator actu a Deo ſeparetur, an vero tantum ſeparatus eſſe declaretur, heic contra Caluinum prolixius non deducam. *v.* BROCHM. *de diſc. Eccl. qu. 9.* Disquiri tamen hic ſolet: vtrum illa ſeparatio ſit vllo modo coactiua, an vero (quod Arminiani volunt c. 24. Confeſſ. ſuae) tantum ſit voluntaria ſeceſſio ab eo, cum quo tanquam diſcipulo Ieſu Chriſti amplius non viuere liceat ſanctis? Vbi quidem negari nequit, quod diſciplina haec Eccleſiaſtica deſcribatur per Eccleſiae declinationem ab eo, qui peccauit *Rom. XVI, 17.* per ſubductionem ab hominis illius commercio *1 Cor. V, 9. 2 Theſſ. III. 6. 14.* et quae ſunt aliae huius generis phraſes *1 Tim. VI, 5. 2 Tim. III, 5. IV, 15.* Nihilominus intra hos terminos ſe non continet Scriptura, cenſuram hanc Eccleſiae deſcriptura. Nam vtitur etiam terminis abſciſſionis *Gal. V, 10. 12.* Conſciſſionis *Phil. III, 2.* Eiectionis e Synagoga *Ioh. IX, 29. XII, 47. XVI, 7.* Expurgationis et eiectionis ex Eccleſia *1 Cor. V, 7. 2 Ioh. I, 10.*

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Atque hic dicendum nunc eſt de formulis quibusdam excommunicandi. Reliqui enim ritus et ceremoniae: vt ſunt campanarum ſonitus, candelarum extinctio, et quae ſunt huius generis alia, cum pro diuerſitate regionum variauerint ſemper ex libertate Eccleſiae, prolixos nos eſſe non ſinent. Inſignis autem excommunicandi formula in Eccleſia Graeca vſitata extat apud M. IO. CONR. DVRRIVM *Prof. Altorff. in Exerc. de Anathemate p. 18.* In conſpectu enim Eccleſiae et ipſius Epiſcopi ſiue Sacerdotis veſtibus ſacris induti abominandus Reus horrendis his e ſacro coetu a Sacerdote dimittebatur verbis: *Vigore illius poteſtatis, quam Chriſtus ſuis Apoſtolis conceſſit, dicens: quaecunque ſolueritis in terra* etc. *quamque ab Apoſtolis acceptam Epiſcopi mihi dederunt, vigore huius, aio, poteſtatis excommunico te N. erisque excluſus et ſegregatus a communicatione P. F. et Spir. S. nec non a communione 318. ſpirituum Dei, actorum Patrum Nicenorum, omniumque ſanctorum, et eadem, quae Diabolum et Iudam, te quoque manebit haereditas; quin vita hac defunctus, in cineres redire non poteris; ſed lapidis inſtar et ferri aeternum compactus iacebis, idque in teſtimonium, niſi reſipueris.* Aliam formulam ſuppeditat SYNESIVS *Cyrenſis Epiſt. LVIII.* qua Andronicus Berenicenſis in Aegypto praefectus a ſancta communione excluditur, apud SPONDANVM in *Ann. ad A. C. 511. n. 11.*

§. 3. Mitioris Excommunicationis formula extat apud BARONIVM *Tom. V. ad A. C. 407. n. 73.* qua Innocentius Pontifex Romanus Arcadium et Eudoxiam Auguſtos excommunicat ob iniurias in Chryſoſtomum illatas, quae ſic habet: Ego minimus et peccator, cui thronus Apoſtoli Petri concreditus eſt, ſegrego et reiicio te et illam a perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti et Dei noſtri. Plures formulas et ritus occidentalis etiam Eccleſiae adduxit M. DVRRIVS *exerc. citat.* (ex SOZOM. *l. 5. hiſt. Eccl. c. I.*) *p. 19. 20.* et SELDENVS *p. 307. ſqq.* Hic exponendum eſſet quoque illud OSTORODI Sociniani, qui in *Inſtitut. German. c. 29. p. 327.* negat, miniſtrum aliquem verbi diuini in excommunicatione vti poſſe phraſi Paulina *1 Cor. V, 3. 5.* κατὰ τὸ ῥητόν. Sed ne nimis excurram, mitto eam. *Vid.* BROCH. *de diſcipl. Eccl. c. V. qu. 8.*

Digitized by Google

CAPVT IV. et VLTIMVM.
De Fine et Effectibus Anathematis.

§. 1. Finis Anathematum eſt, I. vt Eccleſia a ſceleribus pura conſeruetur. II. ne ſacramenta polluantur. III. ne ſana membra inficiantur, IV. vt peccatores reſipiſcant *1 Cor. V, 5.* V. vt et reliqui euadant cautiores.

§. 2. Effectus excommunicationis proximi ordinarii olim erant hi: Vt excommunicato conſortium apud ſuos in conuictu familiari omnimodum ſubinde eſſet interdictum, vt qui excommunicatum reciperet, itidem excommunicaretur, vt poena haec etiam in alias vrbes et loca extenderetur, praeter ea, quibus aut praeeſſent ii, qui excommunicarent, aut quorum incola excommunicaretur. Deinde vt excommunicatus ab Euchariſtia et conuentibus ſacris excluderetur; poſtea, vt Anathema rite illatum ſeculum tam futurum, quam praeſens reſpiceret: de quo habetur egregius locus apud GREGORIVM *Nyſſenum* in ea oratione, quam habuit aduerſus illos, qui aegre ferunt reprehenſiones, *p. 437. edit. Colonienſ.* Caeterum in Oriente apud Graecos quoque pro ordinario excommunicationis effectu habetur id, vt ſi quis ante abſolutionem in Anathemate mortuus fuerit, eius corpus non diſſoluatur in puluerem, ſed tympani more extenſa cute in figuram horrendam tumeſcat; poſt abſolutionem vero rite etiam tunc peractam, vt cadauera alia, diſſoluatur. Quae opinio non vulgi tantum, ſed etiam magnorum Antiſtitum eſt, quippe qui illam in publicis etiam excommunicationis inſtrumentis exprimunt. In comminatorio enim nupero Cyrilli Patriarchae Alexandrini ap. IAC. GOAR in *Euchologio p. 689.* haec habentur: *Siue viri ſiue foeminae a Deo omnipotente ſint excommunicati, maledicti, et incondonati, et poſt mortem indiſſoluti, in praeſenti ſeculo, et in futuro, et tympani more turgidi.*

§. 3. Extraordinarii excommunicationum effectus narrantur ab hiſtoricis varii, quorum aliquos apponere non pigebit. In vita enim *Ambroſii* narrat PAVLLINVS, quod cum is quendam Satanae tradidiſſet, Daemon eodem momento illum abripiens diſcerpere coeperit. De Roberto quoque Gallorum Rege narrat BARONIVS *ad an. 998. n. 3.* quod cum ſibi propinquam

quam

Digitized by Google

quam copulaſſet vxorem, ex ea ſuſceperit filium anſerinum per omnia collum et caput habentem, eo quod excommunicatus fuerit omnium fere Gallicorum Epiſcoporum ſententia: ob quam rem tantus quoque omnem populum vbique terror inuaſerit, vt ab eius ſocietate vniuerſi recederent, nec praeter duos ſeruulos ad neceſſarii victus obſequium illi permanerent, qui tamen & ipſi omnia vaſa, in quibus Rex edebat et bibebat, percepto cibo abominabilia iudicantes pabula ignis exhibuerint. Aliud exemplum narrat DAMIANVS in *Epiſtola ad Hildebrandum Papam*: Quidam, inquiens, degener quidem moribus, ſed maiorum titulis inſignitus, ſuam conſanguineam nuptiali ſibi foedere copulauit. Quid plura? prohibitus perſtitit, excommunicatus adhaeſit, totumque Eccleſiaſticae cenſurae rigorem nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui hoc certe ad diuinae indignationis indicium contigit, vt panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora proiecti minime tangerentur. Inſuper dum rigidus ſtat, dum praeceptis ſacerdotalibus ſe non humiliat, qui vigilare ſibi ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repente de coeleſtibus imminens fulgor extinxit. Simile quid refert BEYERLING. ex *Chronico Magdeburg*. de Otthone Brandenburgenſi, quod PHILIPP. CAROLVS paucis mutatis circumſtantiis in *ſuis notis ad trigam Soloec. Polit. p. 84*. de Bernhardo Marchione quodam refert, (qui anno 1150. ab Epiſcopo Magdeburgenſi, ob captum nobilem ſibi carum, excommunicatus eſt,) qui cum ob demerita a Ludolfo Antiſtite anathemate percuſſus eſſet, per ludibrium menſae aſſidens canibus fruſta carnium obiecit: Videamus, inquiens, an ab excommunicatis, quod vulgo dicitur, carnes accipere recuſent canes? His recuſantibus, ille ſaturitatem cauſatur, canemque tridui inedia maceratum adduci iubet; at nec ille carnes obiectas attigit, eoque miraculo territus Ottho Eccleſiae paruit. De Equite quoque in excommunicatione interfecto, et absque pompa ſepulto narrat BARONIVS *ad A. 1034. n. 17.* quod corpus eius mane longe extra coemiterium proiectum, et nudum inuentum ſit, tumulo intacto: quem iterum milites aperuerint, nihilque in eo amplius, niſi veſtes ſepulchrales inuenerint. Cumque iidem iterum ſepeliiſſent cadauer, tumulumque ſub enormi pondere terrae lapidumque clau-

 ſiſſent,

Digitized by Google

ſiſſent, intacto tumulo proiectum iterum inuentum eſſe cadauer dicitur, idque quinquies diebus ſingulis, donec corpus longe a coemiterio terra obrutum quieſceret. Similia plura coaceruata leges apud BEVERLING. *Tit. Excommun.* ſed ſingula cum iudicio: nimium cito enim fallitur, qui facile credit.

§. 4. Effectus remotus eſt poenitentia, cuius olim inſignis ſeueritas atque rigor maximus fuiſſe deprehenditur. Compluribus enim ſaepe annis extendebantur poenitendi tempora, loca item varia aſſignabantur, per quae gradatim poenitens reſipiſcentiam ſuam teſtandi cauſa recipiebatur. Quorum 1) erat fletus, extra portam oratorii, vbi poenitens ingredientes exorabat, vt pro ſe precarentur. 2) auditio, intra portam, ſed poſt Catechumenos. 3) ſubſtratio inter catechumenos, ſed ita, vt neceſſum haberet cum iis exire. 4) Conſiſtentia aut conſortium inter fideles, vt cum catechumenis exeundum non eſſet: quibus omnibus rite peractis, ſequebatur participatio Sacramentorum, adeoque reconciliatio. Plura de his vide apud SELDENVM *de Synedriis c. IX. p. 184. ſqq.*

§. 5. Heic iam progredi poſſemus ad abſolutionem quoque, ſed illa omnino cum aliis multis, quae adduci poterant, conſulto praetermiſimus, ne nimium excreſceret opella. Plura qui deſiderat, adeat HVLSEMANVM *de corrept. fraterna*, §. *XVIII. p. 236. ad 313.* PETRVM MARTYREM *LL. CC. claſſ. IV. l. 5. n. 2.* BALDVINVM *de Anathematiſm.* IVSTINIANVM *in 1 Cor. V, 4.* FERDINANDVM DE CASTRO PALAO *in Opere Morali part. I. p. 167. 186. 410. 411. part. II. tract. XVI. disp. I. punct. 9. num. 2. ad 11. Disp. IV. punct. 6. n. 1. 12. 13.* PAVL. LAYMANNVM *Theol. Moral. p. 122. ad 145.* DEDEKENNVM *Vol. I. Conſil. membr. 3. p. 674. ſqq.* et ante omnes alios SELDENVM *de Synedriis c. VII. ad XIII.* ELIGIVM BASSAEVM *Flor. Theol. Practic. Tom. I. tit. excommun. p. 706. ad pag. 760.*

III. PETRI

Digitized by Google

III.

PETRI ZORNII,

IN GYMNASIO PRIMVM SEDINENSI, DEINDE THORVNIENSI PROFESSORIS, HVIVSQVE RECTORIS ET BIBLIOTHECARII,

DELINEATIO THEOLOGIAE PATRISTICAE,

SECVNDVM ORDINEM LOCORVM THEOLOGICORVM ADORNATA.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

PROLEGOMENA.
Sect. I. De ſcriptoribus in genere, qui ad lectionem Patrum ducunt.
- - II. Regulae generales in lectione Patrum obſeruandae.
- - III. De theologicis Patrum ſyſtematibus.

PARS I.
DE THEOLOGIA PATRVM DOGMATICA.

Locus I. *De Scriptura Sacra.*
Sect. I. Patres, qui vel diuinitatem ſcripturae ſacrae commonſtrarunt, vel regulas ad eandem legendam ſuppeditarunt.
- - II. Sententia Patrum de Scripturae Sacrae criteriis internis et externis.
- - III. De origine et progreſſu traditionum in eccleſia primaeua.
- - IV. De Patrum iudicio circa chronologiam Codicis ſacri eiusque puritatem.
- - V. De Codicis ſacri apud veteres Chriſtianos cultu vero et ſuperſtitioſo.
- - VI. De ſtudio Patrum in conciliandis Scripturae locis.
- - VII. Miſcellanea quaedam ſelecta.

Locus II. *De Deo.*
Sect. I. Iudicium eccleſiae antiquae de theologia naturali.
- - II. Hiſtoria myſterii Trinitatis per omnia ſecula.
- - III. Hiſtoria vocis ὁμοουσίας.
- - IV. Duriores Patrum locutiones de Filii deitate, cum epicriſi hiſtorica.
Sect. V. Doctrina Gnoſticorum de myſterio Trinitatis.
- - VI. De ritibus veteris eccleſiae, ex quibus myſterium Trinitatis probari poteſt.
- - VII. Hiſtoria controuerſiae de proceſſione Spiritus ſancti ex Filio.
- - VIII. Duriores Patrum locutiones de diuinitate Spiritus ſancti, cum epicriſi hiſtorica.

Locus III. *De creatione et prouidentia.*
Sect. I. Patres, qui articulum de creatione expoſuerunt.
- - II. Patrum ſingulares opiniones in articulo de creatione.
- - III. Haereticorum veterum ſyſtema in artic. de creatione.
- - IV. Patres, qui doctrinam de prouidentia ſcriptis vindicarunt.
- - V. Patrum peculiares opiniones de prouidentia Dei.
- - VI. Syſtema haereticorum in artic. de prouidentia.

Locus IV. *De angelis et ſtatu integritatis primi hominis.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones in doctr. de angelis.
- - II. Scripta Patrum in articulo de angelis.
- - III. Singulares Patrum opiniones de ſtatu hominis primi.
- - IV. Patres, qui doctrinam de ſtatu hominis primi expoſuerunt.

Locus V. *De libero arbitrio et peccato.*
Sect. I. Scriptores, qui doctrinam de libero arbitrio expoſuerunt.

Sect. II. Syſtema haereticorum de libero arbitrio.
- - III. Patres, qui de peccato originis ſcripſerunt.
- - IV. Singulares Patrum opiniones de peccato actuali.

Locus VI. *De incarnatione Filii Dei.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de hoc articulo.
- - II. Scriptores per omnia ſecula de myſterio incarnationis.
- - III. Haereticorum ſyſtema de myſterio incarnationis.
- - IV. Hiſtoria fidei antiquae de deſcenſu Chriſti ad inferos.

Locus VII. *De Conuerſione et Poenitentia.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de Conuerſ. et Poenit.
- - II. Patres, qui hunc articulum ſcriptis expoſuerunt.
- - III. Ritus circa poenitentiam publicam obſeruati.
- - IV. Syſtema poenitentiae, apud haereticos receptae.

Locus VIII. *De Iuſtificatione et Sanctificatione.*
Sect. I. Hiſtoria articuli de iuſtificatione in primitiua eccleſia.
- - II. Singulares Patrum opiniones de connexione Iuſtificationis et Sanctificationis.
- - III. Haereticorum ſyſtema in articulo de iuſtificatione.

Locus IX. *De Praedeſtinatione.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de Praedeſtinatione.
- - II. Syſtema haereticorum in hoc articulo.
- - III. Doctrina de Praedeſtinatione per priora ſecula.

Locus X. *De Baptiſmo.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de Baptiſmo.
- - II. Singulares Baptiſmi ritus.
- - III. Articulus de Baptiſmo per priora ſecula.

Locus XI. *De Sacra Euchariſtia.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de S. Euchariſtia.
- - II. Doctrina de Euchariſtia per omnia fere ſecula.
- - III. Ritus eccleſiae antiquae in S. Coena.

Locus XII. *De oratione.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de oratione.
- - II. Doctrina veteris eccleſiae de oratione per omnia fere ſecula.
- - III. Ritus a primis Chriſtianis inter precandum obſeruati.

Locus XIII. *De coniugio.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de coniugio.
- - II. Patres de coniugio expreſſe agentes.
- - III. Ritus circa nuptias Chriſtianorum obſeruati.

Locus XIV. *De magiſtratu politico.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones de magiſtratu politico.
- - II. Doctrina eccleſiae antiquae de hoc articulo.

Locus XV. *De miniſterio eccleſiaſtico.*
Sect. I. Controuerſia de primatu Papae per omnia ſecula.
- - II. Ritus circa Miniſterium eccleſiaſticum obſeruati.
- - III. Patres de Miniſterio eccleſiaſtico agentes.

Locus XVI. *De libertate chriſtiana.*
Sect. I. De prudentia veteris eccleſiae circa libertatem chriſtianam.
- - II. Auctores, qui de prudentia, in libertate chriſtiana obſeruanda, ſcripſerunt.

Locus XVII. *De morte et ſtatu animae poſt mortem.*
Sect. I. Singulares Patrum opiniones circa hunc locum.
- - II. Auctores, qui hunc locum illuſtrarunt.

Digitized by Google

Locus XVIII. *De iudicio extremo.*
Sect. I. Singulares Patrum circa hunc articulum opiniones.
- - II. Patres, qui ex profeſſo de hoc articulo egerunt.
Locus XIX. *De reſurrectione et vita aeterna.*
Sect. I. Auctores, qui de reſurrectione egerunt.
- - II. Singulares Patrum opiniones in hoc articulo.
- - III. Patres de vita aeterna ſcribentes, et eorum opiniones.

PARS II.
DE PATRVM ORATORIA SACRA.

Prolegomena.
Sect. I. Auctores, qui iunctim Patrum homilias ediderunt, vel excerpta ex iisdem collegerunt.
- - II. Prudentia veteris eccleſiae in concionibus obſeruata.
- - III. Abuſus ſacrarum concionum in antiqua eccleſia.
Sect. IV. De ritibus ſacrarum concionum.
- - V. Praeſtantiores in eccleſia antiqua oratores.
- - VI. De reg. Patrum homileticis.
- - VII. Singularia Patrum exempla in homiliis conſignandis.

PARS III.
DE THEOLOGIA PATRVM MORALI.

Prolegomena.
Sect. I. Auctores, qui ſcripta Patrum aſcetica ediderunt.
- - II. Auctores, vnde haurienda eſt notitia Theol. moral. Patrum.
- - III. Optimi ſcriptores aſcetici vtriusque eccleſiae.
- - IV. De vſu et abuſu Theologiae moralis Patriſticae.
- - V. Selecta Theologiae moralis Patriſticae capita.
- - VI. Patres, qui theologiam moralem gentilium cum theologia morali Chriſtianorum conciliare conati ſunt.

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

De ſcriptoribus in genere, qui ad lectionem Patrum ducunt.

§. I.

Non eſt animus, eos adducere auctores, quorum promiſſa, nedum abſoluta eſt induſtria in patrum lectione, inter quos familiam ducunt GERH. IOH. VOSSIVS, de cuius inſtituto ANTONIVS BORREMANSIVS in *veſperis Gorinchemenſibus*, *p. 112.* et IACOBVS VSSERIVS in *bibliotheca theologica.* Sed illos adducemus auctores, qui deditâ operâ viam ad lectionem Patrum communiunt. Sequemur autem ſeriem temporum, praeſertim, quod ad ipſos Patres attinet. Nam ipſimet recentiores Patres commonſtrarunt ſingularibus libris, quomodo priorum Patrum lectio cum inſigni fructu ſit inſtituenda.

S. ATHA-

S. ATHANASIVS circa annum 336. in ſingulari *libro de ſententia Dionyſii Alexandrini*, prudenter oſtendit, quo ſenſu non ſolum huius Patris, ſed et ORIGENIS aliorumque Patrum primaeuorum Theologia, praeſertim in articulo de DEITATE Chriſti, ſit exponenda atque illuſtranda. BASILIVS *Magnus* circa annum 370. in *Excerptis ex Origenis ſcriptis*, plurima induſtria collectis, prudentiam in lectione Patrum edocet. HIERONYMVS circa annum 378. in *Apologia* ſua *pro libris propriis aduerſus Iouinianum* idem commonſtrauit; quemadmodum fuſius idem conſilium nobis exhibuit circa annum 514. CASSIODORVS in libris duobus, quos inſcripſit, *Inſtitutionem ad diuinas lectiones*. Omnium autem Patrum induſtriam ſuperauit circa annum 858. PHOTIVS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in *Bibliotheca* ſua, licet dolendum ſit, Photium hunc praeter fas ſaepius auctoritatem Patrum atque orthodoxiam laceſſere.

§. II. Ex ſcriptoribus recentioribus, et quidem Pontificiis, vtramque hic faciunt paginam SIXTVS *Senenſis* in *Bibliotheca ſancta*, ANTONIVS POSSEVINVS in *Apparatu ſacro*, NATALIS ALEXANDER in *Selectis hiſtoriae eccleſiaſticae capitibus*, NICOLAVS LE NOURRY in *Apparatu ad bibliothecam maximam Patrum* Lugdunenſem, IOHANNES MABILLONIVS in *libro de ſtudiis monaſticis*, FRANCISCVS ANNATVS in *Apparatu theologico*, *Anonymus* quidam Gallus in libro ſingulari *de lectione Patrum rite inſtituenda*, LVCAS DACHERIVS in *Indiculo ſcriptorum aſceticorum*, LVDOVICVS ELLIES DV PIN in *Bibliotheca ſcriptorum eccleſiaſticorum*.

§. III. Ex noſtris huc ſpectat MARTINVS CHEMNITIVS in *Oratione de lectione Patrum;* IOHANNES BOTSACCVS in *Patrologia ſeu de libertate veterum doctorum, ſcripta iudicandi;* IO. ANDR. SCHMIDIVS, Theologus Helmſtadienſis, in *Programmate* ſingulari *de doctorum primitiuae eccleſiae vario diſputandi docendique genere;* et GERHARDVS TITIVS in *libro de phraſibus Patrum latinorum*.

§. IV. Ex Reformatis ordinem ducit IOHANNES DALLAEVS in libris duobus *de vero vſu Patrum*, qui ſcriptor, licet eruditiſſimus ſit, in doctrinam Patrum tamen aliquantum eſt moroſior; ABRAHAMVS SCVLTETVS in *Medulla Patrum*, IOHANNES

HANNES FORBESIVS in *Inſtructionibus hiſtorico-theologicis, lib. 7. c. 5;* MATTHIAS SCRIVENERIVS in *Apologia pro ſanctis Patribus aduerſus Iohannem Dallaeum*, GVILIELMVS PERKINSIVS in *Introductione ad lectionem Patrum*, IOHANNES HORNBECKIVS in ſingulari *libro de theologia Patrum*, et FRIDERICVS GRONOVIVS in *Monobiblo*.

§. V. Etiam huc adducimus auctores, qui licet non ex profeſſo de lectione Patrum rite inſtituenda ſcripſerint, nihilominus tamen in ſtudio Patrum breuibus viam commonſtrant compendiariam. Huc referas RICHARDI HOLDSWORTHI *Praelectiones Theologicas*, *Lectione 35*. ANDREAM RIVETVM in *ſingulari diſcurſu de cauſis errorum Patrum*, et HYPERIVM *Libro 3.* et 4. *de ratione ſtudii Theologici.*

SECTIO II.

De Regulis generalibus in lectione Patrum obſeruandis.

§. I. Quodſi hae regulae, quas mox dabimus, probe obſeruentur, quilibet facili negotio leget atque releget Patres, errores eorundem facile perſpiciet, nonnunquam autem pro eo, ac par eſt, excuſabit, modeſte ſaltem emendabit, et, quae praelectionum noſtrarum ratio eſt, in ſuccum et ſanguinem vertet.

I) *Diſtinguenda ſunt Patrum ſcripta apologetica et dogmatica.* In vtriſque ſingularis fuit ratio dicendi. Sancti Patres in Apologiis ſuis, pro veritate religionis Chriſtianae conſcriptis, ſaepius id tantum agunt, vt nugas gentilium reprimant, veritatem vero religionis pauciſſimis tantum defendant. Ratio ita docendi duplex eſt. Prima: plerique Patres, vt CLEMENS *Alexandrinus* circa annum 192, ARNOBIVS circa annum 303, antequam Chriſto per baptiſmum nomen darent, iuſſu presbyterorum veteris eccleſiae, amoris ſui teſtandi cauſa, Apologiam pro veritate Chriſtianiſmi ſcripſerunt; licet nondum ſatis inſtructi eſſent debita eruditione theologica. Alii, quos inter referas LACTANTIVM circa annum 303, ſtatim poſt baptiſmum ſuſceptum, cum nondum maiores profectus feciſſent in doctrina Chriſtiana, Apologiam ſcripſerunt, iuſſu maiorum. Secunda ratio haec erat, quod Patres, prudenter

denter exiſtimando atque ponderando controuerſias religionis, ſatius eſſe duxerint, infidelibus raro doctrinam fidei exponere, et quidem non niſi ſub verborum inuolucro. Hanc rationem docendi vocabant *diſciplinam arcani*, atque ea, quae proferre erat licitum, vocabant graeco nomine *κηρύγματα*, ea autem, quae proferre non integrum erat, *δόγματα*. Inprimis autem celabant atque obſcurius narrabant omnia illa, quae ſpectant ad myſteria ſacramentorum. De hac prudentia veteris Eccleſiae agunt ex noſtris B. CHRISTI. KORTHOLTVS in *diſſertatione de ſilentio ſacro veterum Chriſtianorum*, WILH. ERN. TENZELIVS in ſingulari *diſſertatione*, et GEBH. THEOD. MEIERVS in *Commentario de recondita veteris Eccleſiae Theologia*. Hoc autem modo tum diuinitati myſteriorum conſulebant, ne vileſcerent; tum catechumenis, ne citius arripientes myſteria fidei, praeſertim ſublimiora, a Chriſtianiſmo recederent, nondum capaces ſublimioris eruditionis; tum Ethnicis, ne illi calumniandi anſam arriperent.

II) *Vel ſcripta ſunt* dogmatica, *in quibus beati Patres diſtincte et ex profeſſo Articulos fidei tradunt*. Haec autem iterum non ſunt vnius generis. Alia plures Articulos fidei complectuntur, atque hac ratione fas eſt facile ſomnum obrepere. Alia tantum vnum Articulum fidei eumque accuratiſſime expoſitum complectuntur. Poſterioris generis ſcripta frequentius ſunt legenda.

III) *Qui de Patris Theologia accurate iudicare cupit, ad Chronologiam omnino reſpicere debet, vt ſciat, qua aetate vel tempore vitae hunc vel illum librum ſcripſerit.* Hac enim ratione vel contradictiones patrum conciliare poterit, vel naeuos eorundem emendare.

IV) *De ſtilo Patrum erudito oculo ſemper iudicandum eſt, et reſpiciendum, ex qua gente et natione ortum traxerint Patres, atque adeo ſtilum cum gente ſua communem habuerint.* Sic Patres eccleſiae Africanae prae reliquis Patribus et obſcuriores et difficiliores habentur: vt TERTVLLIANVS, VICTORINVS, ARNOBIVS, aliique.

Digitized by Google

V) *De Patrum doctrina non licet iudicare ex fragmentis, quae antiquitas, veluti alteram naufragii tabulam, conſeruauit, ſed ex ipſis ſcriptis integris, quaecunque ſuperſunt.* Imprudenter igitur faciunt, qui ex *Catenis Patrum* de doctrina patrum iudicare volunt.

VI) *Semper attendendum eſt, quomodo vnus Pater alterum aemuletur.* Hac enim ratione conſtabit, quomodo vnum alterumque dogma conſenſu plurium Patrum ſit ſtabilitum. Patres latini ſaepius mutuo ſe exſcribunt, nulla nominis mentione facta; quod etiam de graecis Patribus veriſſimum eſt. Denique latini Patres non ſolum vertendo ſcripta graecorum, ſed etiam alia ratione graecos Patres imitantur ſimilibus locutionibus.

VII) *Patres graeci in ipſis fontibus ſunt legendi, non in verſionibus; alias eſt facilis lapſus in hiſtoria literaria Patrum, in doctrina Patrum exponenda, in ritibus denique veteris eccleſiae.* Documento nobis erunt celeberrimi Cardinales BARONIVS atque PERRONIVS, de quorum in lingua graeca ignorantia atque frequentioribus inde lapſibus prolixe agunt DALLAEVS de *vſu Patrum*, et MONTACVTIVS in *Notis ad Photii Epiſtolas, p. 261.* Si quis tamen interpretes conſulere velit, ex *Gallis* ſibi ſeligat BILLIVM, COTELERIVM, COMBEFISIVM, DVCAEVM, GARNERIVM, HVETIVM, FRIDERICVM MORELLVM, MONTFAVCONIVM, PETAVIVM, POSSINVM, SIRMONDVM, VALESIVM, VIGERIVM; ex *Belgis* MEVRSIVM et VVLCANIVM, ERASMVM *Roterodamum*; *ex Germanis* LEVENCLAVIVM, GESNERVM, SYLBVRGIVM, LANGIVM; ex *Anglis* MONTACVTIVM, GRABIVM, POTTERVM; ex *Italis* LEONEM ALLATIVM atque ALEXANDRVM ZACAGNIVM.

VIII) *Quoniam etiam exſtant Patrum quorundam monumenta, quae nec lingua graeca, nec lingua latina, ſed lingua Syriaca et Chaldaica ſunt conſignata, operae pretium erit, hanc linguam non parum delibaſſe.* Interpretes Patrum Syriacorum ſunt ABRAHAMVS ECHELLENSIS, GABRIEL SIONITA, FAVSTVS NAIRONVS.

IX) *Qui*

Digitized by Google

IX) *Qui Patres accurate conſiderare cupit, cuiuslibet vocis, in qua magnum fidei momentum eſt, hiſtoriam per omnium temporum ſeriem perſpectam debet habere, vt ex tanta vocis viciſſitudine colligere poſſit, quaenam facies cuiuslibet Articuli fuerit omni tempore.*

X) *Quando Patres ſcientiam quandam, quae a vulgari aliquantum recedit, in ſcriptis ſuis recenſent, non ſtatim credere debemus, affirmatiue talem ſententiam ab ipſis aſſertam eſſe.* Multa ponunt problematice et non ſine multa dubitatione. Hanc in rem frequenter addunt voces: *forte, fere, videtur* etc. Vnus inſtar omnium erit ORIGENES, de quo vide WETSTENIVM in *Notis ad Origenis epiſtolam ad Africanum, p. 169.*

XI) *De dogmatibus fidei ex ſcriptis polemicis Patrum rectius iudicabis, quam ex eorum Homiliis.*

XII) *Quodſi obſcurius locuti fuerint Patres in expoſitione Articulorum fidei, ſimul reſpicere debemus ad ritus: vtpote ex quibus facile de fidei dogmatibus vel conſenſum, vel diſſenſum elicere poſſumus.*

XIII) *Quando Patres vnum Articulum fidei ex altero illuſtrant, intentio Patrum perſpecta eſſe debet, et, ſi obſcuriores ſunt, recurrendum ad illa Patrum loca, in quibus Articulum fidei magis perſpicue exponunt.* Sic Patres vnionem perſonalem in Chriſto, quod confuſionem non inuoluat, illuſtrant ex vnione ſacramentali, quam poſt conſecrationem ſymbola ſuo nomine ſine vlla praeuia commixtione appellamus.

XIV) *Non poterit aliquis de Theologia Patrum iudicare, niſi philoſophiam cuiuslibet intellexerit.*

XV) *Quando Patres videntur non ſatis ſtringere aduerſarios ſuos, ſemper animo obſeruandum eſt, quod diſputent* κατ' ἄνθρωπον *vel aduerſarium debili argumento pugnantem pari argumentorum genere eludant.*

SECTIO III.

De Theologicis Patrum Syſtematibus.

§. I. Beati Patres Articulos fidei expoſituri, nec vocem *ſyſtematis* vnquam vſurparunt, nec de vocis *Theologiae* vſu eandem

dem nobiscum notionem habuerunt. Sic v. g. circa annum 315. EVSEBIVS *Caeſarienſis libros tres* ſcripſit *de Theologia Eccleſiaſtica;* circa annum 645. MAXIMVS, patria Conſtantinopolitanus, ſcripſit 200. *capita de Theologia.* Falleret aliquis grauiter, qui exiſtimaret, haec Syſtemata fuiſſe. Accipiunt igitur Patres vocem *Theologiae* non de omnibus Articulis fidei, ſed de illo ſolo Articulo, qui ſpectat ad aeternam Filii deitatem defendendam. Caeterum, vt bono ordine hoc caput diſponamus, *primo* agemus de origine et progreſſu Syſtematum, *ſecundo* de titulis Syſtematum Patriſticorum atque eorundem cauſis, *tertio* de varia tractandi ratione atque docendi.

§. II. Quod igitur primo ad *originem et progreſſum Syſtematum* attinet, obſeruamus, ante annum 192. nullum Syſtema fidei, quod quidem cum noſtris comparandum ſit, exſtitiſſe. Duplex ratio huius defectus eſt: vna, contentionum cum gentilibus pro religione Chriſtiana ſusceptarum, altera, frequentior tractatio moralium. Adderes, ſuffeciſſe his temporibus, ſi quis ſymbolum, cuius generis eſt Apoſtolicum, breuiter neceſſarios fidei Articulos complectens, memoria teneret, vel literis conſignaret. Cum vero quibusdam Patribus non ſufficeret breuitas ſymbolorum, paſſim pro ratione temporum et controuerſiarum iisdem inſeruerunt Articulos fidei luculentius expoſitos. Vnde tanta varietas ſymboli Apoſtolici et aliorum ſymbolorum, quotquot ſucceſſerunt. Poſt tot additamenta ſymbolorum Patribus in mentem venit, ſingularibus Commentariis ſymbolum Apoſtolicum exponere, vt talis Commentarius eſſet inſtar Syſtematis Theologici. Ita Commentarios ſcripſerunt (vt praeſtantiores Patres nunc adducam) AMBROSIVS, AVGVSTINVS, RVFINVS, MAXIMVS *Taurinenſis*, aliique, quos paſſim adducunt et laudant PEARSONIVS et KINGIVS in *Expoſitionibus* ſuis Anglicanis *Symboli Apoſtolici.* Hisce obſeruatis ad Syſtematum ſcriptores nunc pergimus. Anno Chriſti 192. CLEMENS *Alexandrinus* ſcripſit *libros de principiis religionis Chriſtianae*, et *libros octo hypotheſium ſeu inſtitutionum.* Anno 230. ORIGENES ſcripſit *libros IV. de principiis religionis Chriſtianae.* Anno 270. THEOGNOSTVS *Alexandrinus libros VII. hypotypoſeon* ſcripſit. Anno 307. DIDYMVS *Alexandrinus in libros Origenis de principiis Commentarium* ſcripſit. Anno 350. CYRILLVS *Hieroſolymitanus* ſcri-

pſit 18. *Catecheſes ad competentes*, et 5. *Catecheſes ad illuminatos*. Anno 354. HILARIVS *Pictauienſis* ſcripſit *librum myſteriorum*, qui temporum iniuria interiit. Anno 370. GREGORIVS *Nyſſenus* ſcripſit *Orationem* magnam *catecheticam*. Anno 380. EVAGRIVS *Ponticus* ſcripſit Syſtema, quod vocat *DC. gnoſtica problemata*. Anno 396. AVGVSTINVS ſcripſit *Enchiridion ad Laurentium*, et *librum* egregium *de catechizandis rudibus*. Anno 398. CHRYSOSTOMVS edidit *Catecheſin ad baptizandos*. Anno 495. GENNADIVS *Maſſilienſis* egregium librum ſcripſit *de fide, ſeu dogmatibus eccleſiaſticis*. Anno 510. BOETHIVS *Confeſſionem fidei ſeu breuem inſtitutionem religionis Chriſtianae*. An. 561. ANASTASIVS SINAITA *Compendiariam fidei inſtitutionem*. Anno 730. IOANNES DAMASCENVS *libros* 4. ſcripſit *de fide orthodoxa*. An. 780. ALCVINVS *Confeſſionem fidei*.

§. III. Quod ad *titulos Syſtematum* antiquorum attinet, videmus, alios eorum eſſe titulos et ab hodiernis plane diuerſos. Ideo a peregrinis vocabulis deſignarunt Syſtemata ſua, 1) ad imitationem gentilium philoſophorum, qui libros ſuos philoſophicos partim *hypotheſes*, partim *principia* ſiue *ἀρχὰς* inſcripſerunt; 2) ob veteres haereticos de ſpecioſis titulis nonnunquam ſoliciti fuere: vnde adhibuerunt nomen *myſteriorum* et *problematum gnoſticorum*. 3) Ex titulis poſſumus colligere ſaepiſſime, quaenam ſit tractandi ratio atque docendi, de qua mox agemus.

§. IV. Quod vero ad ipſam *tractationem* Articulorum fidei attinet, obſeruamus,

1) *Prioribus ſeculis frequentius expoſitos eſſe in Syſtematibus Articulos de creatione*, (vbi inprimis vrgebant, materiam non eſſe poſſe coaeternam, nec Deum conditorem mali) *de angelis, de daemonibus, de reſurrectione mortuorum, de libertate hominis contra doctrinam Fati*. Cur reliquos Articulos, quos hodie maiori diligentia tractamus, non addiderint, facile illi conſtabit, qui tempora illa conſiderauerit. Nempe cum hi Articuli fundamenti loco illis exponendi eſſent, qui vel e gentiliſmo, vel ab haereticorum caſtris in Eccleſiam ſe receperunt, potiſſimum de iis ſoliciti erant primi doctores.

2) Videmus, *ſanctos Patres moralia vbique inſeruiſſe*. Vnus omnium inſtar ſit AVGVSTINVS, qui in *Enchiridio* ſuo tres virtutes theologicas, fidem, ſpem et charitatem, exponendo Syſtema ſuum abſoluit.

3) Cum

3) *Cum per quaeſtiones, tum per problemata plures Articulos eorumque circumſtantias et quaeſtiones ſecundarias propoſuerunt, more philoſophorum.* Hinc enim Syſtemata ſua vocarunt *hypotheſes* et *problemata.*

4) *Singularis autem quorundam Patrum ratio fuit, breuiter hiſtorias biblicas Syſtematibus ſuis inſerere, et poriſmata theologico-dogmatica adſpergere, ob infirmiores, qui non erant capaces difficiliorum locorum S. Scripturae.* Id inprimis prudenter fecit CLEMENS *Alexandrinus* in *libris hypotheſeon.*

* *

PARS I.

DE THEOLOGIA PATRVM DOGMATICA.

LOCVS I.

DE SACRA SCRIPTVRA.

SECTIO I.

De Patribus, qui diuinitatem ſcripturae ſacrae commonſtrarunt, vel regulas ad eam legendam ſuppeditarunt.

§. I.

Qui diuinitatem ſacrae ſcripturae ex antiquis Patribus commonſtrarunt, ſunt ſequentes: Anno 170. MELITO *Sardenſis Excerpta* egregia *e libris veteris teſtamenti* cum iudicio theologico veteris Eccleſiae edidit. Anno 230. ORIGENIS *Philocalia* prae reliquis Patrum ſcriptis eſt commendanda. Anno 315. EVSEBII *Caeſarienſis* libri decem *Demonſtrationis Euangelicae* maximam laudem merentur. Anno 390. Sanctus HIERONYMVS paſſim in *epiſtolis* ſuis, praeſertim in *duabus ad Pammachium*, cum de optimo genere interpretandi, tum de ſtudio ſcripturae ſacrae rite excolendo, copioſe egit. Anno 396. AVGVSTINVS in libris *de doctrina chriſtiana* diuinitatem ſcripturae ſacrae atque methodum debitam illam explicandi oſtendit. Anno 398. CHRYSOSTOMVS in variis *homiliis* de lectione ſcripturae ſacrae prudenter et chriſtiane inſtituenda egit, quas homilias commemorat DACHERIVS in *Indiculo aſceticorum, p. 13.* Anno 433. ADRIANVS elegantem *Synagogen ad ſcripturam ſacram* edidit.

Digitized by Google

Anno 434. EVCHERIVS *Lugdunenſis* libros 2. *inſtructionum* edidit, in quibus multa habet vtilia ad lectionem ſcripturae ſacrae ſpectantia, qui etiam ſingularem librum edidit *formularum ſpiritualis intelligentiae*. Anno 515. CASSIODORVS elegantiſſimos libros duos, quos vocat *diuinas lectiones*, exarauit.

§. II. Ex his Patribus commemoratis multa collegerunt FLACIVS *parte II. clauis ſcripturae ſacrae*, RICHARDVS SIMONIVS *parte II. hiſtoriae criticae noui teſtamenti.* Nos infra diſtinctius de philologia S. Patrum *parte II.* agemus.

SECTIO II.

Sententiam Patrum de ſcripturae ſacrae criteriis externis et internis exhibens.

§. I. Quia omne chriſtianiſmi fundamentum in diuinitate ſcripturae ſacrae ſitum eſt, diſtincte agemus de eiusdem *criteriis externis* atque *internis*, conſultis Patrum monumentis. Inter *criteria externa*

I. *Confeſſio* eſt *martyrum.* Nam eſt argumentum κατ' ἄνθρωπον tanta multitudo confeſſorum pro diuinitate S. ſcripturae aſſerendà. Hoc argumentum de manibus noſtris extorquere voluit HENR. DODWELLVS *Diſſert. XI. Cyprianica.* Verum cum eruditi viderent, quo noſter tenderet, coniunctis viribus eundem ſunt aggreſſi: ex Pontificiis MABILLONIVS *Tomo I. Muſei Italici*, MVRATORIVS *Tom. II. ſcriptorum patriſticorum ineditorum*, ANTONIVS PAGIVS in *Critica hiſtorico-chronologica in annales Baronii*, NICOLAVS TOINARDVS in *notis ad Lactantium de mortibus perſecutorum*, THEODORICVS RVINARDVS in *praefatione ad acta primorum martyrum*, TILLEMONTIVS in *Monumentis hiſtoriae eccleſiaſticae* paſſim. Ex noſtris IOANNIS LEONHARDI BVCHTAE ſingularis diſſertatio exſtat. Duo autem habet argumenta, quibus tanquam fundamentis maxime DODWELLVS innititur. *Primo* arguit, in veterum monumentis perpauca ſupereſſe ſcripta, quae agunt de multitudine atque acerbitate perſecutionum. Ad hoc argumentum primum reſpondetur: quia tot monumenta huc ſpectantia aetatem non tulerunt, indicio ſunt, magnam tamen martyrum multitudinem fuiſſe, ſi vel vnicum conſulamus EVSEBIVM, qui ſingularem librum *de plurimis Palaeſtinae martyribus* reliquit, plurimis eiusdem ſcriptis iniuria

Digitized by Google

iuria temporum interceptis. Huc ſpectant etiam edicta veterum Imperatorum contra primos Chriſtianos, ex quibus, quoniam adhuc exſtant, de acerbitate atque multitudine perſecutionum eo facilius iudicandum eſt. Quod ad *ſecundum* eius argumentum attinet, quo vrget perſecutiones primas non fuiſſe vniuerſales, ſed vel Romae tantum inſtitutas, vel in quibusdam tantum prouinciis ſusceptas eſſe, regerimus, ex monumentis veterum contrarium luculenter conſtare. Sic in Hiſpania Neroni monumentum erectum eſt, his verbis: *Ob prouinciam latronibus et his, qui nouam generi humano ſuperſtitionem inculcarunt, purgatam.* Videmus adeo vsque in Hiſpaniam perſecutiones prolatas eſſe. Commonſtrata acerbitate et multitudine perſecutionum, reliquum eſt, vt de conſtantia martyrum breuibus agamus. Tanta autem fuit eorundem conſtantia, vt ſi quis TERTVLLIANI, CYPRIANI, ORIGENIS ſcripta euoluerit, nequaquam lacrymis abſtineat. Adeo vbique apparet ſanctum illud pectus tot periculis oppoſitum. Pluribus conſtantiam martyrum probauit PRVDENTIVS circa annum 405. in *libro de coronis martyrum*, ex recentioribus COTELERIVS *ad Ignatii epiſtolam ad Romanos*, PEARSONIVS in *Vindiciis Ignatianis*, SAGITTARIVS *de cruciatibus martyrum*, HILDEBRANDVS *de veteris Eccleſiae arte bene moriendi.*

II. *Miracula Eccleſiae Noui Teſtamenti magnum hic addunt pondus.* Chriſti miracula quanta fuerint, ſingulari libro oſtendit EVSEBIVS *contra Hieroclem*, qui duos libros ſcripſit contra miracula Chriſti, quos φιλαλήθεις inſcripſit, et in quibus, non ſine ignominia Chriſti, eundem cum APOLLONIO *Tyaneo* comparauit. Etiam miracula Apoſtolorum et virorum proximi aeui huc faciunt. Antequam autem de illis agamus, obſeruandum eſt, quod in Nouo Teſtamento vox πνεῦμα, itemque πνευματικὸς de donis miraculoſis veteris Eccleſiae ſit accipienda. Quod cum neglectum ſit ab interpretibus, multa loca Noui Teſtamenti de miraculis primae Eccleſiae agentia obſcurauit. Vide omnino 1 Cor. XIV, 37. Confer vero *de chariſmatibus primae Eccleſiae* ex Anglis SPENCERVM *ad Origenis libros contra Celſum, pag. 10.* et *pag. 30.* ex noſtris TOBIAM PFANNERVM in *ſingulari libro*, HARTMANNVM in *Commentario de rebus geſtis*

Digitized by Google

tempore Apoſtolorum, MAYERVM in *Diſſertat. ad Matth. XVII, 17. de miraculoſa montium transpoſitione;* ex Reformatis GROTIVM *ad Marc. XVI, 17. Matth. VII, 22.* His auctoribus autem merito adiungimus DODWELLVM *Diſſert. II. ad Irenaeum*, quippe qui inter omnes ſcriptores optime rem exponit. Quousque autem haec chariſmata durauerint, non aeque conſtat, quia pedetentim ceſſarunt. Interim hoc conſtat, ad annum 254. frequentia fuiſſe miraculoſa dona: eo enim anno vixit GREGORIVS *Neocaeſarienſis* ob miracula dictus THAVMATVRGVS. Diſtinctius autem chariſmata illa conſiderabimus. 1) Huc ſpectat *poteſtas ligandi et ſoluendi*, quae non ſolum in eo conſiſtebat, quod hodie de remiſſione vel non remiſſione peccatorum intelligimus, ſed conſiſtebat potiſſimum in miraculoſa quadam virtute, refractarios peccatores ita anathemate ferire, vt in grauiores morbos vel iſtiusmodi mala ſumma inciderent. Hoc erat ligare peccata, more Apoſtolorum. Quando autem iſtiusmodi peccatores liberabantur vel a traditione Satanae, vel a morbis grauioribus, ſolui dicebantur. Atque ita grauiores morbi, a Diabolo immiſſi, permiſſu diuino, *flagella* vocantur, Marc. III, 10. et V, 24. collato Luc. VII, 21. item *vincula* Luc. XIII, 16. Sic v. g. Elymae peccata ligantur Act. XIII, 11. 2) De *donis prophetiae atque viſionum* quaedam ſubiungimus. Atque hic iterum reſpicimus ad loca S. Scripturae, in quibus de hoc dono praecipue agitur. Vid. 1 Cor. XIV, 16. ex quo loco colliges cum DODWELLO, veteres Chriſtianos, cum S. coena celebraretur, hymnis Deum laudaſſe extemporaneis, nec vlla arte compoſitis, quemadmodum Spiritus ſanctus hunc vel illum virtute ſua extraordinaria inſtruebat. Plura de hoc miraculoſo dono nobis conſtarent, ſi antiquiſſimorum HIPPOLYTI et IVSTINI *Martyris* ſupereſſent *hymni*. Hoc autem donum prophetiae comprehenditur in voce *πνευματικὸς*, de qua vide 1 Cor. XII, 1. XIV, 37. Caeterum anno 180. MILTIADES, quidam Pater, egregium *librum* ſcripſit *de prophetiis antiquae Eccleſiae*. Ideo autem hunc librum conſignauit, quia haereticus ille MONTANVS circa annum 172. varias viſiones propoſuit, cuius viſiones etiam TERTVLLIANVS circa annum 172. *Libris VII. de Ecſtaſi* defendit. MONTANI aſſeclae reſpicientes ad 1 Cor. II, 14. vocabant ſe

Digitized by Google

πνευματικοὺς h. e. *donis miraculoſis inſtructos*, reliquos Chriſtianos orthodoxos ψυχικοὺς i. e. *homines animales*. Contra Montaniſtas autem, qui enormes habebant viſiones, maximam partem inordinatas, ſi turbulentos corporis motus reſpicias, vel minus accuratam ſeriem viſiones proponendi, Apoſtolus Paulus iſtiusmodi viſiones luculenter reiecit 1 Cor. XIV, 32. vbi vult indicare, Prophetas nulla neceſſitate adigi, vt confuſe viſiones exponant, ſed de ordine et circumſtantiis temporis maxime ſolicitos eſſe. Ex tot viſionibus autem nihil hodie ſupereſt, quod non in dubium vocetur. Exſtant quidem HERMAE *Paſtoris viſiones* et METHODII *Tyrii reuelationes*; ſed dubitant eruditi, licet HERMAE viſiones maiori in pretio olim fuerint, quam METHODII. Sunt etiam in antiqua Eccleſia plures confictae *Apocalypſes* PETRI, PAVLI et reliquorum Apoſtolorum, item CERINTHI, BASILIDIS aliorumque haereticorum, de quibus prolixe agunt GRABIVS *Tom. I. Spicilegii Patrum*, et FABRICIVS in *Codice Apocrypho Noui Teſt.* Verum omnes illae huc non ſpectant. Indicium de ſingulis praeter auctores laudatos ſuppeditat ITTIGIVS in *Appendice Diſſertationis de Haereſiarchis Apoſtolicis.* 3) *Sequioris Eccleſiae miracula ab hodiernis auctoribus praeter fas nonnunquam in dubium vocantur.* Sic v. g. nota eſt hiſtoria de legione illa Chriſtianorum fulminatrice, quae ſub Antonino Imperatore meruit atque a Deo non ſolum pluuiam, ſed etiam ſubſidium contra hoſtes impetrauit. Hoc ſummum miraculum paucis abhinc annis negauit in ſingulari diſſertatione DANIEL DE LA ROQVE; quem tamen ſingulari diſſertatione refutauit HERMANN WITSIVS. Conf. pro veritate huius miraculi SPIZELIVM in *epiſtola de Atheiſmo eradicando*, *p. 135.* et ZIMMERMANNVM in *Analectis*, *p. 132.* Obſeruamus autem contra LAROQVANVM primo, veritatem hiſtoriae. Ipſi gentiles ſcriptores commemorant, Antoninum Imperatorem hoſtes ſuos miraculoſa virtute ſuperaſſe. Ne autem hoc Chriſtianorum precibus tribuant, aſſerunt, Antonini preces ad Deos fuiſſe in cauſa. Secundo videmus adhuc hodie in *Columna Antoniniana*, in quam elegantem Commentarium ſcripſit IOHANNES BELLORIVS, veſtigia tanti miraculi, praeter fas a gentilibus numinibus ſuis adſcripti. Videas enim in illa columna *Io-*

uis Pluuii effuſionem, romanum exercitum irrorantis et hoſtium copias fulmine ferientis. De cruce, quae Conſtantino Magno in nube apparuit, dubitant hodierni eruditi, quos inter nomen ſuum profeſſus eſt FABRICIVS in ſingulari diſſertatione, qua euincere voluit, μετέωρον fuiſſe, nec vllam crucem extraordinaria Dei virtute apparentem; ſed merito refutatus eſt a *Ieſuitis Treuoltienſibus.* Vnanimis omnium Hiſtoricorum conſenſus, et exacta mathematicorum ſcientia, quae tunc temporis non minima fuit, omnia dubia animis noſtris euellit. Quod vero hoc portentum diuinum fuerit, videmus inde, quod, cum Romani arcum triumphalem erigerent Conſtantino M. ob reportatam de Tyrannis victoriam, omnino mentionem fecerint in illa inſcriptione publica inſtinctus diuini, quo inductus fuerit Conſtantinus M. De hac inſcriptione pluribus KIPPINGIVS *Exercitat. XIV. de cruce p. 92.*

III. *Multum auctoritatis conciliatur Scripturae S. ſi tecum reputes, omnium perſecutorum miſerabilem fuiſſe exitum.* Exſtat inſignis liber LACTANTII *de mortibus perſecutorum.*

IV. *Pro diuinitate S. Scripturae inſigne argumentum eſt, ſi conſideremus geſtus ſcriptorum ſacrorum, nedum ipſam verborum ſublimitatem.* Nam ſi ſolum illa verba expendas, quae de geſtibus ſcriptorum agunt, in admirationem facile quilibet abripietur. Sic v. g. Luc. II, 52. non ſine ſtupore legimus, Chriſtum adhuc puerum tantam habuiſſe ſermonis atque morum ſuauitatem, vt diuini aliquid ſtatim ſpiraret. Vox χάρις ſignificat ſingularem venuſtatem, vti fuſius probat GATAKERVS in *aduerſariis miſcellaneis, Cap. XXXVII. p. 378.* et in *diſſertatione de ſtilo N. T. Cap. XI. p. 117.* Accedit et vox ἡλικία, quae non de aetate, ſed de ſtatura Chriſti eleganti eſt accipienda. Conf. de ſignificatione huius vocis Matth. VI, 27. Hinc iam praedixit Dauid Pſalm. XLV, 3. gratiam atque venuſtatem in labiis Chriſti effuſam eſſe. Conf. omnino locum egregium Luc. IV, 22. Quodſi vero ad ipſam ſublimitatem ſtili oculos noſtros vertamus, videbimus magnam ineſſe verborum excellentiam, adeo, vt LONGINVS, ſcriptor ethnicus, in erudito tractatu *de ſublimitate dicendi,* eam in Scriptura ſacra, praeſertim Moſe, non ſatis mirari potuerit.

V.

Digitized by Google

V. *Scripturam ſacram, praeſertim Moſaicam, antiquiſſimam eſſe, multum facit ad diuinitatem S. Scripturae commonſtrandam.* Antiquitatem Codicis ſacri prae reliquis ſcriptoribus profanis paſſim vrgent atque extollunt inter Patres TATIANVS atque THEOPHILVS *Antiochenus.* Hinc obiiciunt ſcriptoribus profanis furta, ac ſi ſacrum codicem expilauerint, deſumendo doctrinam et mores. Conf. de furto gentilium MENAGIVM *Lib. III. ad Laërtium, p. 84.* HVETIVM in *Demonſtratione Euangel. Propoſ. 4. c. 2. §. 14.* TOBIAM PFANNERVM in *Theologia gentili,* et IOAN. HENR. VRSINVM in ſingulari *diſſertatione de Moſis antiquitate.* His ſcriptoribus merito annumerandus eſt THOMAS BVRNETVS in *Archaeologiis philoſophicis.* Summa tamen cum cautela hoc argumentum eſt adducendum. Niſi enim hoc fiat, ludibrio exponimus veritatem: quod omnino GERH. CROESVS in *Homero hebraeo,* et EDMVNDVS DICKINSONVS in *Delphis phoeniciſſantibus,* fecerunt.

VI. *Pro diuinitate Scripturae S. non parum facit conſenſus ſcriptorum profanorum, non ſolum, quod ad miracula attinet, ſed etiam hiſtoriam ſacram generatim conſideratam.* Sic v. g. in hiſtoria diluuii, in hiſtoria tenebrarum tempore Chriſti totum terrarum orbem obſcurantium, in hiſtoria infanticidii Herodiani, in ſanctitate Chriſti, doctrinae eius morumque commonſtranda, multum facit conſenſus ſcriptorum exterorum.

§. II. Accedimus ad *characteres internos* S. Scripturae, qui maius omnino habent pondus. Atque hic omnino opus eſt

I. Diſpicere *de S. Scripturae, praeſertim Noui Teſtamenti, auctoritate Canonica.* Hiſtoriam autem Canonis Noui Teſtamenti in dubium vocauit HENRICVS DODWELLVS *diſſert. I. in Irenaeum p. 35.* vbi aſſerit, libros ſacros Noui Teſtamenti vsque ad Traiani et forte tempora Hadriani in priuatis ſcriniis latitaſſe, nec in Eccleſiae notitiam perueniſſe; aut ſi quando in publicum prodierint, nondum tamen Canonem inter vera et falſa ſcripta conſtitutum eſſe. Hanc paradoxam ſententiam refutarunt IACOBVS BASNAGIVS *Lib. VIII. Hiſtoriae Eccleſiaſticae,* IOH. CLERICVS *Diſſertat. III. ad Harmoniam Euangelicam,* et HARTMANNVS in *Commentario de rebus geſtis tempore Apoſtolorum, Cap. XII. p. 319.* Grauius Canonem Noui Teſtamenti

ti impugnauit IOHANNES TOLANDVS in libro Anglico, quem vocat *Amyntor;* cui tamen reſponſum dedit STEPHANVS NYE in *hiſtorica recenſione et Apologia canonis Noui Teſtamenti.* Cum vero ipſi autores, qui DODWELLVM ad examen reuocarunt, nec parem induſtriam adhibuerint, nec pari veritatis amore flagrarint, opus eſt omnino, accuratius aliquantum DODWELLVM ad examen vocare. Certe, praeterquam quod opinio haec fauet Atheis, quibus facile ſuſpicio eſt, non ſine fraude aliqua libros iſtiusmodi ſingulares tanto temporis interuallo tenebris inuolutos eſſe; argumenta etiam ipſa facile enodari posſunt, vt tanto facilius abſurditas opinionis conſtet. Primarium DODWELLI argumentum hoc eſt: *Scriptores primi*, IGNATIVS *Antiochenus*, POLYCARPVS *et alii viri Apoſtolici ſine vllo discrimine citant ſcriptores* θεοπνεύςυς *aliosque, qui non ſcripſerunt diuino inſtinctu.* Argumentum ex ſacro codice deſumit, et quidem ex Luc. I, 1. vbi videmus, ante Lucam iam exarata eſſe Euangelia; quae licet diuino inſtinctu non fuerint conſignata, a Luca tamen laudantur aliisque ſcriptoribus συγχρόνοις ſiue coaeuis. Vox ἐπεχείρησαν crucem fixit. Quoniam enim ſaepe haec vox ſignificat *rem aliquam ſuscipere ſine ſucceſſu*, exiſtimat, ſermonem eſſe de Euangeliis, priuata quidem auctoritate conſcriptis, magnae tamen auctoritatis et fidei apud ipſum Lucam. Verum non ſolum vox ἐπεχείρησαν apud ſcriptores probatos ſignificat *rem feliciter expedire;* ſed eſt ſingularis loquendi ratio ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι pro ἀνετάξαντο h. e. *feliciter abſoluerunt Hiſtoriam euangelicam.* Hoc autem pacto corruit argumentum DODWELLI, quando quidem de Euangeliis diuinitus conſignatis ſermo eſt. Alterum argumentum hoc eſt: *Scriptores, qui plane inſtinctu diuino non ſunt inducti, in Eccleſia praelecti ſunt, ac ſi eandem habuiſſent auctoritatem cum S. Scriptura.* Reſpondemus ad hoc argumentum, temere diſſimulare DODWELLVM veteris Eccleſiae iudicium de ſcriptis apocryphis bene diſtinguendis. Scilicet alia ſcripta dicebantur apocrypha, quia impia dogmata complectebantur; alia itidem vocabantur apocrypha, ſed non priori ſenſu, et tantum ideo, quia ſcriptores non fuerant Apoſtoli. Poſterioris generis ſcripta in prima Eccleſia praelecta ſunt, ita tamen,

vt

Digitized by Google

vt auctoritati S. Scripturae ideo nihil decederet. Conf. de vero vocis *Apocryphorum* ſenſu COTELERIVM in *praefatione ad Epiſtolam Barnabae*, et PAGIVM in *Critica ad Annales Baronii, ad annum 49. num. 4.* Tertium argumentum inde deſumit, *quia ſcriptores recentiores, praeſertim Patres Seculi I. et II. multos Scripturae libros, v. g. Apocalypſin Ioanneam, pro apocrypho ſcripto venditarint.* Verum conſiderare debebat DODWELLVS, vocem graecam *apocryphon* iterum ſingularem habere ſignificatum apud beatos Patres. Nam non ſemper vſurpatur de ſcriptis ſuppoſititiis et falſis, ſed ſcriptis, quae multa arcana atque reuelationes continent. Sic autem in gloriam cedit apocalypſi, quando apocrypha dicitur. Confer. pluribus de hoc ſignificatu ſingulari SVICERVM *Tom. I. Theſauri eccleſiaſtici, p. 446.* et FABRICIVM *ad Codicem apocryphum Noui Teſtamenti pag. 960.*

II. Ad ipſam *vim diuinam Scripturae S.*, in qua omnis religio Chriſtiana, tanquam in certiſſimo fundamento, poſita eſt, nunc pergimus atque diſpicimus, *num Patres eandem opinionibus ſuis labefactarint?* In primis IOHANNES CLERICVS obtorto collo Patres in ſententiam ſuam rapit, merito caſtigatus a doctiſſimo Domino DE LA MOTHE in Tractatu gallico *de inſpiratione librorum ſacrorum noui teſtamenti, cap. 6.* CLERICVS ORIGENEM prae reliquis addictiorem ſibi eſſe exiſtimauit; ſed mala fraude id fecit, ita vt ORIGENEM merito vindicarit laudatus auctor, ſimulque adiecerit egregium plurium Patrum conſenſum. CLEMENTEM *Romanum*, IVSTINVM *Martyrem*, IRENAEVM hic recte ſentientes videas. Poſt ORIGENEM tanquam ſcripturae contemtor traducitur HIERONYMVS maleque audit RICHARDO SIMONIO *part. 2. hiſt. crit. noui teſt. cap. 26.* et CAVEO in *vitis Apoſtolorum.* Verum licet non negem, de Apoſtolo Paulo HIERONYMVM aliquantum acerbius locutum fuiſſe, tamen mentem deinceps mutauit, vt dubites, vtrum plura ſint loca in contemtum ſcripturae ſacrae, an in laudem. Conf. omnino TACO HAIO VAN DEN HONERT in *epiſtola* erudita *ad Eliam Benoiſt de ſtilo noui teſtamenti, pag. 130.* Ante hos auctores IOACHIMVS IVNGIVS ſingulari libro Patrum verba dura de Θεοπνευςίᾳ Scripturae S. congeſſerat. Defendemus vero optime Patres, ſi ſequamur ductum TACONIS antea laudati. Nempe

1) quan-

1) quando Patres durius loquuntur, non ex animi ſententia, ſed ex mente et hypotheſi aduerſariorum loquuntur. ARNOBIVS erit exempli loco. 2) Quando Patres non ſemper laudant ſtilum Scripturae ſacrae, bono animo id faciunt, vt gentilibus oſtendant, non obſtante ſtili exilitate ſummam tamen adfuiſſe efficaciam, vt prudentiſſimi etiam homines per Scripturam S. conuerſi ſint. Exaggerant igitur potius Scripturam, quam deprimunt. 3) Quia plurimi Patres in gentiliſmo adhuc degentes Profeſſores fuerant eloquentiae atque declamatores; non facile dediſcere poterant nimiam in verbis ſeligendis curioſitatem. Interim Patres adducunt ſingularia loca pro maieſtate Scripturae S. quae hodie minus frequenter adducimus. Sic v. g. adducunt Act. XIV, 12. Ibi Lyſtrenſes Paulum Mercurio comparant, non ſine ſingulari laude eloquentiae Paulinae. Vti enim obſeruat GRONOVIVS, gentiles ſcriptores, eloquentiam alicuius laudaturi, Mercurio facundiae Deo aſſimilabant. Solent autem ab hodiernis Criticis, cum in Patres, tum in Scripturam S. iniuriis, multa loca adduci, quorum praecipua examini noſtro ſubiiciemus. Sic v. g. adducunt 2 Cor. XI, 6. vbi Apoſtolus vocatur ἰδιώτης τῷ λόγῳ. Obſeruamus autem, his verbis ipſum Apoſtolum Paulum non confiteri ruditatem ſtili, ſed tantum loqui ex aduerſariorum opinione. Conf. omnino 2 Cor. X, 10. Deinde vox ἰδιώτης non ſignificat ſemper *hominem imperitum et rudem*, ſed *hominem vitae priuatae ſtudioſum*, ſiue talem, qui nulla auctoritate publica eſt inſtructus. Atque adeo Pſeudo-Apoſtoli indicare volebant, Apoſtolum Paulum ipſis Apoſtolis inferiorem eſſe, quod pari auctoritate publica non gauderet. Plura de ſignificatu vocis ἰδιώτης monet PERIZONIVS in *notis ad Aelianum*. Conf. omnino 2 Cor. XI, 5. Alius locus eſt 1 Cor. I, 17. vbi exſtat, Paulum non eſſe verſatum in ſapientia ſermonis; ſed nec ex hoc loco Critici aliquid ſubſidii habent. Nam vox σοφία non denotat hoc loco *ſcientiam*, ſed *artem vſu annorum atque multa experientia demum comparatam*, vti pluribus argumentis probant GATACKERVS *cap. 15. de ſtilo noui teſtamenti, p. 151.* et TACO *pag. 248.* Breuiter dicam: Rhetoricen humanam hoc loco intelligit, praeſertim ſi conferas Marc. XIII, 11. vbi vox μελετᾶτε ex ſchola Rhetorum deſumta eſt. Nam ſtudium declamandi vocabant

Digitized by Google

vocabant μελετᾷν, vti oſtendit VOSSIVS *de natura et conſtitutione Rhetoricae, cap. 16. pag. 100.* Obiiciunt denique plures in S. Scriptura hyperbolas, quae maieſtatem quandam fictam praetendant. Referunt huc Ioh. XXI, 25. vbi dicit Ioannes, non omnia conſignari poſſe *miracula, quia mundus non caperet tales libros.* At vero maxime propria eſt haec locutio; quemadmodum inter omnes Theologos optime oſtendit beatus SANDHAGEN. Scilicet ille numerat tantum illa, quae Chriſtus vno die vel docendo, vel miracula edendo peregit. Vno die Chriſtus effecit, quae a Matthaeo a cap. V. ad cap. VIII. commemorantur; cui addit Lucas, Chriſtum praecedente nocte in precibus perſeueraſſe, maneque diſcipulos nominatim ad ſe vocaſſe, populo praeſentaſſe et finem ſuae concioni oraculo impoſuiſſe. Ex vno die Chriſti nunc de reliquis vitae diebus collige. Vox χωρῆσαι ſignificat *intelligere* ac *approbare.* Conf. omnino Matth. XIII, 11. Ioh. VIII, 37. Senſus igitur eſt, licet plures exſtarent libri, tamen mundus eosdem nec intelligeret ſatis, nec adprobaret.

§. III. Cum Patres nonnulli de hoc vel illo libro addubitauerint noui teſtamenti, vtrum ab Apoſtolis conſcriptus ſit, recentiores Critici illorum auctoritate abutuntur. Sic v. g. ex Patribus DIONYSIVS *Alexandrinus* olim ſtatuebat, *Apocalypſin* Ioanneam non ab ipſo IOANNE *Apoſtolo*, verum a IOANNE quodam presbytero conſignatam eſſe. Id arripuit DODWELLVS, cum duas poſteriores Ioannis epiſtolas IOANNI *presbytero* vindicat, merito caſtigatus ab ITTIGIO in *Prolegomenis* ad *Bibliothecam Patrum Apoſtolicorum.* Caeterum ex Apocalypſ. XXII, 18. id non probarunt veteres, quod hodie multis arridet, ac ſi haec verba eſſent loco teſtimonii de integro noui teſtamenti canone, per Ioannem conſignato. Certe IRENAEVS atque alii Patres eandem maledictionis formulam libris ſuis ſubjungunt, vt falſariis terrorem quendam iniiciant; qua tamen in re ſibi infallibilitatem non arrogant. Ego contra veteres haereticos exiſtimauerim ſingulari et plane diuino ſenſu haec maledictionis verba adiecta eſſe, vt eſſent diuinae auctoritatis praeclara indicia. Nam, vti conſtat ex Patribus, CERINTHVS fingebat Apocalypſin ſub nomine Ioannis, cuius fragmenta adhuc exſtant. Imo poſtea

ſub

ſub nomine Ioannis plures fictae ſunt Apocalypſes: de quibus prolixe agit FABRICIVS in *Codice Apocrypho N. T. pag. 953.* et *957.* CERINTHVM igitur Ioanni coaeuum hoc anathema ferit.

SECTIO III.

De origine et progreſſu traditionum in primaeua Eccleſia.

§. I. Grauiter fallitur EDWARDVS STILLINGFLEETVS, quando in *Examine Concilii Tridentini* exiſtimat, traditiones, ſiue conſenſum Patrum ſeculo demum octauo in lite de cultu imaginum adhibitum eſſe. Erroris ſocium habet IACOBVM BASNAGIVM in *Hiſtoria de religione Eccleſiarum reformatarum, Tom. II. Part. IV. cap. 2.* Vtrumque falli, iuxta ſeriem temporum nunc demonſtrare volumus.

§. II. Quod ad originem attinet, videmus ſtatim Sec. I. cum haereticos, tum Patres primae Eccleſiae de traditione poſt S. Scripturam ſolicitos fuiſſe. Hinc in haereticorum et Chriſtianorum manibus aderant ſcripta, quae vocabant διδαχάς, ſiue διδασκαλίας, quaeve complectebantur, quae oretenus et verbatim Apoſtoli protulerant, maximamque partem a ſcriptis eorum diuerſa erant. Conf. de his διδαχαῖς ITTIGIVM in *appendice diſſertationis de Haereſiarchis p. 152.* Poſt tot διδαχάς plures Patres obſeruamus: anno 110. PAPIAM in *libris V. de explanatione oraculorum dominicorum;* anno 192. TERTVLLIANVM *de praeſcriptione aduerſus haereticos;* anno 370. BASILIVM *Magnum* in *libro de Spiritu ſancto*, cuius verba de legitimo traditionum vſu accuratius exponunt DALLAEVS *de pſeudepigraphis apoſtolicis*, et TITIVS *de phraſibus veterum Eccleſiae doctorum, p. 17.* Anno 434. VINCENTIVM *Lerinenſem* in *Commentario aduerſus haereticos.*

SECTIO IV.

De Patrum iudicio circa Chronologiam Codicis ſacri eiusque puritatem.

§. I. Poſt reformationem ISAACVS VOSSIVS primus fuit ſcriptor, qui beatos Patres in inuidiam adduxit, ac ſi oppugnaſſent Chronologiam Codicis ſacri, atque ſtatuiſſent, corruptum paſſim

Digitized by Google

paſſim eſſe codicem ſacrum. Fecit id autem cum in *diſſertatione de* LXX. *interpretibus*, tum in *diſſertatione de vera mundi aetate.* Exiſtimat, Chronologiam LXX. interpretum ipſi codici Ebraeo praeferendam eſſe, proditque, a mundi creatione vsque ad Abrami natalem, 15. minimum ſecula deſiderari in codice Ebraeo, quae commemorantur in codice graeco. Poſt SCHOTANVM et HORNEVM non ſolum Patres, ſed et codicem Ebraeum vindicauit b. STRAVCHIVS in *diſſertatione de vera mundi aetate.* Callidior VOSSIO fuit PAVLVS PEZRONIVS et in fontibus Hebraicis et Patrum lectione magis verſatus, qui in *Antiquitate temporum reſtituta* eundem errorem diſſeminauit, obnitentibus ex ſociis MARTIANAEO et LEQVINIO, ex noſtris autem GEBHARDO.

§. II. Si conſideramus falſum fundamentum vtriusque auctoris, videmus, eos eo deueniſſe, quod crederent, LVDOVICI CAPPELLI *Criticam ſacram*, in qua codex Ebraeus tanquam corruptus traducitur, vtramque hic facere paginam, et omne punctum ferre. Alterum fundamentum falſum eſt, quod nimium creduli fuerint Patribus, LXX. interpretes pro diuinis ſcriptoribus paſſim laudantibus. Obſeruatis autem fundamentis ſententiae *Voſſianae*, opponimus 1) ſeptuaginta interpretes, quos quidem hodie habemus, non amplius eſſe integros, ſed tantum lacinias et fragmenta ſupereſſe: quod egregie ſingulari libro oſtendit VSSERIVS. 2) Crediderim, LXX. interpretes in ſua verſione potius ſecutos eſſe codicem Samaritanum, qui omnino Ebraeo contradicit. Quando autem dico LXX. interpretes, non intelligo illos priſcos interpretes, ſed iſtos, qui nomen LXX. non ſine fuco atque colore verſioni ſuae ſuppoſititiae praefixere. Confer omnino HOTTINGERI *Theſaurum philologicum.* 3) Etiam LXX. interpretum verſio, qualis hodie exſtat, tam corrupta eſt in editionibus noſtris, vt meliorem accuratioremque editionem merito deſperent eruditi. Equidem VOSSIVS, COLOMESIVS, LAMBERTVS BOS aliique fidem fecerunt melioris editionis; ſed nunquam fidem liberare poſſunt, ob ſummas difficultates. Pluribus ſeculis abhinc ORIGENES LXX viralem editionem ad examen vocauit, adiiciendo ex aliis verſionibus Graecis, quae deerant, detrahendo itidem et mutando, quae ſecus dicta eſſe

videban-

Digitized by Google

videbantur. Diſtinctionibus et notulis omnes mutationes indicauerat, ſed temporis ſucceſſu, cum ob taedium laboris, tum ob ignorantiam librariorum, notulae illae omiſſae ſunt, adeoque confuſioni atque interpolationi multam dederunt occaſionem. Iam vero ex his omnibus colligas, quantum fidei LXXvirali verſioni poſt tot viciſſitudines ſit tribuendum. 4) Non negamus, aliquando ſcriptores Noui Teſtamenti adducere verſionem illam, atque adeo eidem multum auctoritatis conciliare. Verum inde nulla diuinitas exſculpenda eſt; cum notum ſit, ipſos Apoſtolos horum interpretum veſtigia pluribus in locis deſerere. Conf. CHRISTIANI SCHOTANI *diatribam de auctoritate verſionis LXX. interpretum*, et LIGHTFOOTVM in *operibus poſthumis*.

§. III. VOSSIVS iterum et PEZRONIVS carpunt codicem Ebraeum, obiiciendo vnanimem ferme Patrum conſenſum de codice biblico corrupto. Verum nos obſeruamus,

I. Omnes fere Patres, ne quidem ORIGENE et HIERONYMO exceptis, imperitos fuiſſe linguae Ebraicae. Plurima ſpecimina collegerunt CLERICVS in *Quaeſtionibus Hieronymianis*, HVETIVS in *Origenianis*, et DALLAEVS *de abuſu Patrum*. Cum igitur ob inſcitiam non inſpicere poſſent codicem biblicum Ebraeum, quis Patrum judicio nunc ſtabit?

II. Beati Patres nunquam fere loquuntur de corruptione codicis Ebraei, ſed de corruptione verſionis graecae, quam etiam Iudaei vſurparunt cum Chriſtianis, eandemque variis in locis ſuperſtitioni Iudaicae contrariam temere immutarunt.

§. IV. Quod vero ad varias lectiones attinet, inde quoque eliciunt argumentum de corrupto codice. Verum hic obſeruamus,

I. Sine vllo iudicio collectas eſſe varias lectiones. Plerique Patres ex memoria, quae ipſos tamen ſaepiſſime deficit, S. Scripturam recitant ab hodierna diuerſam. Ineptus eſſet, qui ſtatim inde concluderet, editionem Patrum noſtra revera corruptiorem fuiſſe. Sic etiam ſaepe contingit, vt aliquis colligere velit, corruptum eſſe codicem ſacrum, quia Patres Latini talem verſionem exhibent, quae certo eſt indicio, codicem ſacrum alia facie tunc fuiſſe editum. Verum hic animaduertendum eſt, Patres, quo maiori eruditione inſtructi ſunt, eo ad fontes propius

pius accedere; reliquos ab illa eruditione non inſtructos eo magis a fontibus disſentire.

II. Collectio illa omnis iudicii expers inde promanauit, quod non ſolum praeſeruide Patrum asſertioni de Codice ſacro plus aequo fidem adhiberent. Sic v. g. Heb. II, 9. pro phraſi illa χάριτι τῦ Θεῦ in quibusdam codicibus lectum eſt χωρὶς Θεῦ, obſeruatumque a Patribus, Neſtorianos, quo asſererent, ſolum hominem Chriſtum paſſum eſſe, adieciſſe, Chriſtum *ſine Deo* mortem deguſtaſſe. Verum quam falſa ſit haec imputatio, inde etiam conſtat, quod ipſi Patres orthodoxi, v. g. AMBROSIVS, Neſtorianam lectionem prae vulgari ſelegerint. Credo autem cum GROTIO, illam lectionem χωρὶς Θεῦ a Patribus ipſis inſertam eſſe, cum non pauci illorum crederent, Chriſtum pro hominibus et angelis omnibus paſſum eſſe. Verum etiam ipſi Patres pro lubitu nonnunquam Codicem ſacrum corruptiorem ediderunt. Sic v. g. Luc. XIX, 14. verba illa: ἔκλαυσεν ἐπ᾽ αὐτῇ quidam Patres deleuerunt ex ſimplicitate quadam: quia exiſtimarunt, lacrymas Chriſto indignas fuiſſe; cum tamen expreſſum locum Ioh. XI, 36. oculis ſuis opponere debuiſſent. Aliud adhuc exemplum adducimus, ob ſimplicitatem a Patribus nonnunquam Codicem ſacrum correctum eſſe. Sic v. g. vltimi verſiculi Euangeliſtae Marci a vers. 9. vsque ad finem in plerisque Patrum bibliis expuncta ſunt: quia exiſtimabant, Marci relationem de reſurrectione Chriſti minus conſentire. Non nego tamen, prudentem ſaepius rationem Patribus adfuiſſe, cur haec vel illa loca in libris vulgaribus exſtare nollent. Sic v. g. Hiſtoria adulterae apud Ioannem in pluribus codicibus omiſſa eſt: quia exiſtimarunt Patres, imperitam plebeculam, minus accurate lectioni huius loci incumbentem, eo adduci poſſe, vt credat, licere, ſcortationem exercere; quia Chriſtus non ſeueris adeo verbis et obscuris potius ſcortum reprehendit. Conf. inſignem locum AVGVSTINI *Libro II. de adulterinis coniugiis*, *cap.* 7. Praeter ſimplicitatem Patrum et prudentiam altera quoque ſubeſt ratio, cur tanta codicum ſacrorum ſit diuerſitas. Ex Patribus TATIANVS circa annum 172. *Harmoniam Euangelicam* conſignauit, ita, vt ex vniuerſis Euangeliſtis omnia loca, quae de vna re agere ipſi videbantur, iuncta ex latere unius Euangeliſtae ponerentur.

tur. Compendioſa haec recenſio Euangeliorum non poterat non arridere plebeculae, quae ad prolixitatem Codicis ſacri more ſuo nauſeat. Hinc autem tanta Codicis S. conuerſio, imo peruerſio facta eſt, vt reſtituendis locis plusquam herculeam operam deinceps Patres darent. Conf. THOMAE MARESCHALLI *Notas ad Euangelia Anglo-Saxonica*, *pag.* 411.

SECTIO V.

De veterum Chriſtianorum ſacri Codicis cultu vero et ſuperſtitioſo.

§. I. Magna veneratione pro eo, ac par erat, ſacrum Codicem proſequebantur veteres, quod nimirum

I. *Ex frequenti lectione S. Scripturae* conſtat. Neque enim ſolum ſenes in antiqua Eccleſia ita callebant Scripturam S. vt memoriter eam recitare poſſent, verum ita S. Scripturam hauſerant, vt prae amore Codicis S. reliquos elegantiores profanos libros contemtui haberent. Conf. omnino CAVEI erſtes Chriſtenthum, *Parte I. cap. IX. p.* 279. Non dicam iam de pueris, qui eos in S. Scriptura habuerunt profectus, vt cum ſenibus etiam peritiſſimis comparari poſſent.

II. *Ex piis ritibus, publice ſacram Scripturam praelegendi*, verum Codicis ſacri cultum colligimus. Sic v. g. Acta Apoſtolorum ſtatim poſt Feſtum Paſchatos vsque ad Pentecoſten praelegebant veteres, non ſine ſingulari prudentia. Exiſtimabant enim, nihil validius fundamentum religionis Chriſtianae, hoc eſt, reſurrectionem asſerere, quam ſi Acta Apoſtolorum, in quibus toties Chriſti reſurrectio miraculis probata legitur, publice recenſerentur. Accedebat hoc, quod ſtando audirent praelectionem verbi diuini, eamque attentionem adhiberent, quae poſterioribus ſeculis vel plane nulla fuit, vel admodum rara. Conf. TENZELII eruditam *exercitationem de ritu ſacrarum lectionum*, *Libr. II. cap. XV.* LEONEM ALLATIVM *de libris eccleſiaſticis Graecorum*, *pag.* 33.

III. Colligimus verum S. Codicis cultum *ex venerandis S. Scripturae titulis*. Sic v. g. IVSTINVS *Martyr*, cum videret, veteres Philoſophos libros ſuos de dictis et factis SOCRATIS, aliorumque praeſtantium virorum inſcribere ἀπομνημονεύματα,

ματα, eundem ſplendidum titulum hiſtoriae Eccleſiaſticae praefixit. Sic etiam hiſtoriam Apoſtolorum, a Luca conſignatam, *Acta* inſcripſerunt, quia res tantum memoria digniſſimae referebantur in Acta. Interim non nego, beatum CHRYSOSTOMVM *Tom. V. operum, p. 155.* aliam rationem proferre, quando exiſtimat, hiſtoriam Apoſtolicam non inſcribi *Miracula*, ſed *Acta*, vt non tam attendamus miraculis Apoſtolorum, quam eorundem piis moribus in precibus, in ieiuniis, in crebro bonorum operum exercitio.

§. II. A vero Euangeliorum cultu ad cultum ſuperſtitioſum deſcendimus. Licet enim haud negemus, ritum fuiſſe pium, quando in plerisque conciliis ſacra Scriptura, vt iudicem referret, in publicis pulpitis eſt praepoſita, non ſine ſingulari veneratione: de quo pio ritu multa adducit CAVEVS in *diſſert. de libris eccleſiaſticis Graecorum;* ſequioribus tamen ſeculis maior acceſſit ſuperſtitio, cum ſacri libri de collo ſuſpenſi, non ſine magno abuſu, aduerſus corporis mala multum prodeſſe crederentur. Hanc in rem abuſi ſunt veteres Rom. I, 16. HIERONYMI et CHRYSOSTOMI querelas de abuſu S. Scripturae profert DOVGTHAEVS *Part. II. Analectorum, p. 25.* Quo pacto autem haec ſuperſtitio incrementa habuerit, inde liquet, quod ſucceſſu temporum gemmis, auro atque vnionibus maximi pretii S. Scripturam exornarint, oſcula infixerint, mox adorauerint, ad Codicem ſacrum innocentiam teſtati ſint, ordinandorum capitibus Codicem ſacrum impoſuerint, in ſupplicationibus et proceſſionibus publicis circumgeſtarint. Conf. elegantem disſert. IO. ANDR. SCHMIDII *de cultu Euangeliorum apud veteres*, et FABRICIVM *Lib. IV. Bibliothecae graecae, cap. V. p. 142.* Non dicam iam etiam, in ſortibus magnum fuiſſe vſum Codicis ſacri: de quibus prolixe agit ANTONIVS VAN DALEN *pag. 315. de Oraculis.* Hoc pro certo affirmauerim, ſequioribus ſeculis et maiorem impietatem, et maiorem ſuperſtitionem fuiſſe.

SECTIO VI.

De ſtudio Patrum in conciliandis Scripturae locis.

§. I. Quoniam multum taedii exteris creat contradictio S. Scripturae, praeſertim noui foederis, omnem operam nauarunt

beati Patres, vt huic difficultati quovis modo ſuccurrerent. Singulorum ſcriptorum operas iuxta ſeriem ſeculorum commemorabimus. Anno 168. THEOPHILVS *Antiochenus* dicitur *Harmoniam Euangelicam* confeciſſe, quod vix credo. Anno 172. TATIANVS maiori induſtria *Harmoniam ex quatuor Euangeliſtis* adornauit, ſed quae iniuria temporum interiit. Conf. de hac Harmonia FABRICIVM in *Notis ad Cod. Apocryph. N. T. p. 378.* et ITTIGIVM in *diſſertatione de Haereſiarchis Apoſtolicis.* Anno 220. AMMONIVS *Alexandrinus* breues *Canones* conſignauit, in quibus per ſingula capita paucis ostendere voluit conſenſum omnium Euangeliſtarum. Anno 315. EVSEBIVS *Caeſarienſis* librum conſcripſit *de diſſenſu Euangeliſtarum*, qui tamen aetatem haud tulit. Interim exſtant *Canones* eius *Euangelici*, in quibus AMMONIVM *Alexandrinum* ratione methodi et rerum ſequitur. Anno 330. IVVENCVS *Hiſtoriam euangelicam* carmine eleganti conſignauit; in hoc tamen inprimis errauit, quod Matthaeum reliquis Euangeliſtis praeferre voluerit. Anno 378. Sanctus HIERONYMVS *Stridonenſis* in *Commentariis in Matthaeum* aliisque ſcriptis difficilia Scripturae loca omni opera conciliare ſtuduit. Anno 396. AVGVSTINVS libros quatuor ſcripſit *de conſenſu Euangeliſtarum.* Anno 545. VICTOR *Capuanus* AMMONII *Harmoniam euangelicam* latine verſam, praemiſſa praefatione et ſubnexis *Canonibus Euſebianis*, in ordinem meliorem redegit. Anno 601. HESYCHIVS *Hieroſolymitanus* de conſenſu Euangeliſtarum egregium librum ſcripſit, cuius maximam partem COTELERIVS *Tom. III. Monumentorum Eccleſiae Graecae* inſeruit. Anno 680. IVLIANVS *Toletanus libros duos* ſcripſit *contradictionum*, quae non ſolum in Veteri Teſtamento, verum etiam in Nouo occurrunt.

§. II. Et incommoda, et commoda in ſtudio Patrum harmonico perſpicimus. Incommoda videmus, dum ex TATIANI *Harmonia*, vti ſupra notatum eſt, magna Codicis ſacri confuſio nata eſt. Inter commoda referimus, quod conſuluerint auctoritati Euangeliſtarum, dum aſſeruerunt, conciones ſaepius repetitas eſſe, ne in hiſtoriis minus accuratam Chronologiam Spiritui S. obiicerent. Ex hoc capite inprimis laudandi ſunt EVSEBIVS, AVGVSTINVS, HIERONYMVS et HESYCHIVS. Quod vero

ro

ro beati Patres paſſim lapſi ſint, maximam partem tribuimus ignorantiae atque imperitiae graecarum literarum. Non recte ſemper attendunt particulis connectendi τότε, *tunc*, ὕϛερον, *vltimo* vel *nouiſſime*, ἐν ἐκείναις ἡμέραις, *in illis diebus*.

Sectio VII.
Miſcellanea quaedam ſelecta ſiſtens.

§. I. In epiſtola quadam IGNATII eximius exſtat locus, ex quo perſpicias veterum Chriſtianorum curam in obſeruando Codice ſacro. Scilicet commemorat, primis temporibus Archiua quaedam fuiſſe, quibus inſerta fuerint propria Apoſtolorum manuſcripta. De hoc loco IGNATII praeter interpretes accurate agit NICHOLSONVS in *collatione cum Deiſta*. Etiam TERTVLLIANVS tradit, Chriſtianos ſui temporis ad ſcripta Apoſtolorum authentica prouocaſſe. Conf. de hac TERTVLLIANI phraſi RICHARDVM SIMONIVM in *Hiſtoria Critica N. T.* Ex hac tamen cura Eccleſiae non ſequitur, quod Eccleſia primaeua calculum ſuum addendo aliquid auctoritatis Apoſtolis conciliarit, vel quaedam adiecerit manu ſua, quae hodie minus recte tribuimus Apoſtolis. Sic v. g. GROTIVS, VOSSIVS, CLERICVS exiſtimant, vltimum caput Euangelii Ioannis ab Eccleſia Epheſina adiectum eſſe, vt teſtarentur, Euangelium Ioannis, quod in eorum Archiuo latebat, propria Iohannis manu conſignatum eſſe. Probant inprimis hypotheſin ſuam ex Ioh. XXI,24. et quidem ex voce οἴδαμεν. Putant, in plurali ideo vocem adhibitam, quia teſtimonium ſit plurium miniſtrorum Eccleſiae Epheſinae. Sed has nugas feliciter deſtruit CALOVIVS in *Bibliis illuſtratis*. Licet vero tanta eſſet Eccleſiae cura, in perſecutionibus tamen ſaepe euenit, vt nonnulli Chriſtiani cruciatibus auocarentur a ſtudio religionis, et plurimos codices gentilibus tradendo, veritatem proderent, atque Scripturam igni conſecrarent. Vocati ſunt illi impii *Traditores*, dicti etiam *Libellatici:* quia libello teſtabantur, ſe nunquam fuiſſe Chriſtianos, vel in poſterum futuros. Conf. PAMELIVM in *Notis ad Cypriani Epiſtolas*, et ALBASPINAEI *libros Obſeruationum*.

§. II. Quod ad *Euangeliſtarum inſignia* attinet, iam antiqua eſt ſententia IRENAEI, qui vixit anno 167. in hoc tamen

Digitized by Google

a reliquis Patribus abiit, quod Iohanni leonem, non aquilam aſſignet, quod vulgo factum eſſe videmus. Quaenam autem fuerit ratio, iſtiusmodi inſignia Euangeliſtis tribuendi, in ſingulari *diſſertatione* expoſuit THOMASIVS *de inſignibus quatuor Euangeliſtarum.*

§. III. Non ſatis mirari posſumus veterum Haereticorum audaciam, quippe qui plus quam 40. Euangelia apocrypha viris diuinis ſuppoſuerunt. Non iam mentionem facio Apocalypſeon aliorumque librorum, quos pari temeritate Apoſtolis adſcripſerunt. De fictis illis libris erudite agit ITTIGIVS in *Appendice diſſertationis de Haereſiarchis Apoſtolicis;* cui addas FABRICII *Codicem Apocryphum Noui Teſtamenti*, atque NEANDRVM, qui ante FABRICIVM ficta eiusmodi ſcripta collegerat. RICHARDVM SIMONIVM denique in *Hiſtoria Critica N. Teſtam.* et IOH. ERNEST. GRABIVM in Tomis *Spicilegiorum.*

LOCVS II.

DE DEO.

SECTIO I.

Iudicium Eccleſiae antiquae de Theologia naturali ſiſtens.

§. I. Plerique ſcriptores beatos Patres in ſuſpicionem Naturaliſtarum adducunt, ac ſi crediderint, gentilium moderatiorum, v. g. SOCRATIS, PLATONIS, aliorumque ſalutem plane indubiam eſſe et exploratam. Hac in re Patres accuſant STEPHANVS CVRCELLAEVS in *Quaeſtione: vtrum gentiles absque fide in Chriſtum, per extraordinariam Dei gratiam, ad ſalutem aeternam pertingere posſint?* DALLAEVS *de vſu Patrum, pag. 250.* IACOBVS BASNAGIVS in *Hiſtoria Eccleſiae Chriſtianae*, et RICHARDVS BAXTERVS in *Conſiderationibus de differentiis religionis.*

§. II. Sunt tamen maximi nominis auctores, qui ab illo crimine Naturaliſmi beatos Patres defendunt. Inter hos eminet CAVEVS *Tom. I. Hiſtoriae literariae, pag. 29.* CAROLVS ROBOTHAMVS in *appendice disquiſitionis in hypotheſin Baxterianam de foedere gratiae*, et IOHANN. ERNESTVS GRABIVS in *Notis ad apologiam primam Iuſtini Martyris.*

§. III.

Digitized by Google

§. III. Vt autem accurate diſpiciamus, vtrum Patres Naturaliſtae fuerint, nec ne, obſeruamus:

I) *Patres apologeticos in conſenſum vocari, non vero dogmaticos.* Iam autem conſtat, apologeticos in religione Chriſtiana exponenda, non ſine prudentia, vel parciores, vel obscuriores fuiſſe. Praeter rationes, quas ſupra in *Prolegomenis* adduximus, alia eſt, propter quam beati Patres de gentilium Theologia Naturali praeclare, imo plus aequo, ſentire videntur. Scilicet, vt conuincerent gentiles, paſſim vrgebant conſenſum doctrinae Platonicae et Chriſtianae. Plures Patres hanc in rem adduxit MERICVS CASAVBONVS in *Tractatu de credulitate et incredulitate, pag. 122.* Non ergo in Patribus error erat theologicus, ſed ſingularis prudentia, conſenſum prudentiorum gentilium vrgere, vel ostendere ſaltem, doctrinam Chriſtianam etiam in potiſſimis capitibus PLATONI aliisque tolerabilem viſam eſſe.

II) Obſeruare debemus, *quo pacto Patres vocem λόγου intellexerint.* Scilicet per λόγον non intelligebant *ſanam rationem*, ſed ipſam *de Chriſto notitiam*, quam non exiguam in piis gentilibus ſtatuebant. Hinc apud ORIGENEM Chriſtiani vocantur οἱ ἀπὸ τοῦ λόγου, hoſtes autem Chriſti ἀλλότριοι τοῦ λόγου. Ex hac re videmus, praedictos auctores non habuiſſe veram notionem de λόγῳ. Cur autem Patres crediderint, notitiam quandam Chriſti in piis gentilibus fuiſſe, inde factum omnino eſt, quod crediderint, Genium SOCRATIS ſanctum fuiſſe angelum. Quemadmodum enim Bileamo ſanctus angelus apparuit ſaepius, ita non vana erat coniectura Patrum de ſancto SOCRATIS angelo. Patrum ſententiam publice pluribus argumentis defenderunt THOMAS STANLEIVS in *Hiſtoria philoſophica*, et GOTOFREDVS OLEARIVS in ſingulari diſſertatione. Atque adeo exiſtimarunt Patres, modo extraordinario doctrinam fidei accepiſſe SOCRATEM. Quae Patrum ſententia deinde luculentior euadet, quando infra in *loco de angelis* ſingulari loco agemus, oſtenſuri, quidnam ſenſerint primi Patres de ſuggeſtionibus angelorum. Caeterum, quae SOCRATI obiiciuntur, quaſi communionem vxorum ſtatuerit, iamdudum doctiſſimi viri rectius meliusque expoſuerunt, vt nollent quicquam nomini SOCRATIS detractum.

Digitized by Google

SECTIO II.
Hiſtoriam myſterii Trinitatis per omnia ſecula ſiſtens.

§. I. Nolumus de locis ſacrae Scripturae diſpicere, praeſertim Noui Teſtamenti, cum hoc ad Theologos maxime ſpectet. Interim Arianus ille apud SANDIVM in *Paradoxis interpretationibus, pag. 115.* merito caſtigandus eſt, quando locum illuſtrem Matth. XXVIII, 19. ex Euangelio quodam Apocrypho inſertum eſſe exiſtimat. Merito ſe illi oppoſuit EDVARDVS STILLINGFLEETVS in *Vindiciis S. Trinitatis pag. 173.* Id quoque grauiſſimum eſt, quod non ita pridem multi auſi ſint IVSTINVM *Martyrem*, qui vixit anno 140. primum auctorem facere atque inuentorem Trinitatis. Tales ſcriptores ſunt DANIEL ZWICKERVS in variis ſcriptis, atque auctor *Platoniſmi detecti.*

§. II. Quod ſi vero in argumenta inquiramus, videbimus, primarium fundamentum huius ſententiae eſſe, quod vocabula, quibus Patres vtuntur in perſonis diuinis deſignandis, ex Philoſophia Platonica ſint deſumta, adeoque Patres nimio Platonis amore deinceps tale myſterium Trinitatis effingere anniſos eſſe. Prolixe hoc demonſtrare voluit SANDIVS in ſingulari *diſſertatione de λόγῳ.* Non quidem negauerim, IVSTINVM *Martyrem* fuiſſe PLATONI addictiorem, neque negarim, Platonicorum vocabula eundem adhibuiſſe; interim tamen praecipua lis eſt, vtrum Platonicorum vocabula eundem habeant ſenſum, quem vrget IVSTINVS *Martyr.* Atque ita nego, in iisdem vocabulis vnum eundemque ſenſum eſſe. Praeterquam, quod eruditi diſſentiunt, quid PLATO voluerit voce λόγῳ deſignare. Alii enim exiſtimant, rerum ideas in DEO λόγον vocari; alii tantum virtutes diuinas per vocem λόγȣ atque Spiritus denotari iudicant. B. etiam STOLBERGIVS in *diſſert. de λόγῳ et νῷ Platonico*, et B. CARPZOVIVS in *diſſertatione de Trinitate Platonica,* diſſentientium argumenta non leui brachio refutarunt. Quodſi vero fundamentum facile corruat, videbimus conſectaria minoris ponderis ac pretii. Argumentum noſtrum *primum* eſt, quod TERTVLLIANVS Anno 192. non ſolum primum vſus fuerit *Trinitatis* vocabulo, verum etiam in *libro contra Praxeam* primus inter Patres plenius quoddam ſyſtema de Trinitate conſcripſerit. Iam vero non ad IVSTINVM *Martyrem*, ſed ad Patres

Digitized by Google

Patres longe antiquiores recurrit TERTVLLIANVS. Argumentum *ſecundum* eſt, quod Patres IVSTINO *Martyre* antiquiores de myſterio Trinitatis iam accuratiſſime diſſeruerint. Sic IGNATII *Antiocheni*, CLEMENTIS *Romani*, POLYCARPI, aliorumque teſtimonia egregia collegit BVLLVS in *defenſione fidei Nicenae.* Cumque Sociniani in Anglia, GILBERTVS CLERICVS et LVCAS MELLERIVS, fidem Patrum primorum laceſſerent, eandem dedita induſtria vindicauit IOH. ERN. GRABIVS.

§. III. Cum hoſtes Patrum animaduerterent, hanc imputationem hactenus prolatam minus firmam eſſe, de alia methodo, Patres incuſandi, ſoliciti fuerunt. Adeo igitur aſſeruerunt recentiores ſcriptores, beatos Patres Arianiſmo nimium fauere. Duplicis autem generis ſcriptores ſunt. Aut aperte Patribus Arianiſmum imputant, e. g. CHRISTOPHORVS SANDIVS, GVILIELMVS WHISTONVS et IOHANNES CLERICVS; aut iisdem tecte imputant Arianiſmum, inter quos referas HVETIVM atque PETAVIVM. Interim non deſunt Patribus Patroni, GEORGIVS BVLLVS iam laudatus, SAMVEL GARDINERVS in *Hypotypoſi ſeu delineatione Catholicae circa ſanctam Trinitatem fidei, ex ſcriptis Patrum ante-Nicenorum deſumta*, vt et in *Epiſtolis variis aduerſus Sandium*, STEPHANVS LE MOYNE in *Variis ſacris, a pag.* 137. ad 292. PICTETVS *Tom. I. Theolog. Chriſtianorum, libr. III. cap. 20. pag. 212.* Sunt autem Auctores qui ſparſim defendunt Patres ab Arianiſmo, ad quos referas EDVARDVM STILLINGFLEETVM in *Vindiciis doctrinae de Trinitate*, HENRICVM HAMMONDVM in *Notis ad 1 Ioh. V.* PETRVM IVRIEV in libro, quem inſcripſit *Tabulam Socinianiſmi, part. I. epiſt. 6. pag. 246.* et in alio libro Gallico *de religione Latitudinariorum pro ſancta Trinitate contra Saurinum*, et ALBERTVM ZVM FELDE in *Epiſtola de Dialogo Iuſtini Martyris ad Kochium.* Ceterum vt videas, quomodo beati Patres ab Arianiſmo imputato purgari queant, regulam primariam obſerua, qua adhibita optime dubia euelli poſſunt, iudicio BVLLI in *defenſione fidei Nicenae, ſectione IV. cap. I.* et CAVEI in *Praefatione diſſertationis de Euſebii Caeſarienſis Arianiſmo.* Nimirum ſi quae in ſcriptis Patrum occurrant dicta, quae Filium Patre minorem vel inferiorem facere videantur, referenda ſunt

vel ad ſubordinationem Filii ad Patrem, vel ad progreſſum eius ex Patre ad condenda vniuerſa vel denique ad humanam naturam.

I) Filius, ſecundum Patres, ſubordinatur Patri aeterno, vt principio et auctori ſuo. Filius minor dicitur illis, Patre, non ratione eſſentiae, ſed originis, quam a Patre habet. Filius Patri aequalis natura diuina, Pater maior eſt communicatione.

II) Quando Patres dicunt paulo ante creationem mundi ſecundam perſonam deitatis, Chriſtum, a Patre ſuo progreſſum eſſe ſiue generatum, neutiquam cum Arianis faciunt, ſed vocem generationis ſenſu improprio accipiunt, de illo progreſſu Filii a Patre, quo ſimul cum Patre mundum creauit. Interim aeternam ei generationem, quam propriam maxime credunt, non inficiantur. Ex hac igitur obſeruatione loca Patrum duriora, in quibus generationem Filii Dei proximam ante mundum factam eſſe aſſerunt, exponenda ſunt.

§. IV. Hactenus egimus de Patribus ante-Nicenis, atque inueſtigauimus, vtrum iure meritoque haereſeos accuſentur? Nunc ad Patres Nicenos et poſt-Nicenos pergimus. Atque hic iterum Critici ſunt recentiores, qui Patres Nicenos et poſt-Nicenos tanquam Tri-Theitas, qui tres Deos ſtatuerunt, traducunt. Inter hos primarii ſunt ELIAS SAVRINVS, IOH. CLERICVS, RADVLPHVS CVDWORTHVS et STEPHANVS CVRCELLAEVS. Hi autem praedicti auctores in errorem hunc adducti ſunt, quoniam in lectione Patrum minus verſati erant. *Primo* poſt Concilium Nicenum primum, quod ann. 325. celebratum eſt, GREGORIVS NYSSENVS ann. 370. ſingularem *epiſtolam* ſcripſit, *quod non liceat dicere, tres Deos eſſe.* Quid magis perſpicuum hoc teſtimonio NYSSENI? *Secundo* ex ipſo modo precandi veteris Eccleſiae videmus, Patres non fuiſſe Tri-Theitas. Neque enim antiqua Eccleſia iuncta ſerie, diſtinctis tamen vicibus, Trinitatis perſonas, adorabat, quod in libellis hodiernis precatoriis quotidie non ſine ſcandalo fieri et aperta Tri-Theiſmi ſuſpicione, obſeruat SANDIVS in *Nucleo.* Conf. de hac prudentia vet. Eccleſiae IOHANNEM FORBESIVM *cap. ſing. libr. I. Inſtructionum Hiſtorico-Theologicarum.* Sufficiebat, vnam perſonam Trinitatis adoraſſe, ſimul intellectis reliquis, licet expreſſe haud

haud nominatis. Incipiebant preces a Patre, modo a Filio, modo a Spiritu ſancto, prout ſacra publica poſtulabant, et preces deinceps finiebant in altera deitatis perſona. *Tertio* iſtiusmodi auctores, qui praeter omne fas beatos Patres carpunt, non ſatis accurate iuxta temporum ſeriem hiſtoriam vocis ὑποστάσεως intelligunt. Vox haec modo ſignificat *eſſentiam:* atque tunc dicebant Patres, in Trinitate vnam eſſe ὑπόστασιν; modo ſignificabat *perſonam:* atque tunc tres hypoſtaſes in Trinitate aſſerebant. Eadem variatio fuit terminorum Οὐσίας atque Φύσεως. *Quarto*, quemadmodum praedicta vocabula ὑποστάσεως, οὐσίας, φύσεως a vulgaribus interpretibus non recte intellecta ſunt, ita alios terminos graecos minus recte eosdem accepiſſe, facile intelligimus, v. g. quando Patres graeci vocem διαίρεσιν adhibent, doctiſſimi etiam interpretes, ſtili Patrum ignari, vertunt per *diuerſitatem* atque *ſeparationem;* cum tamen vox haec apud ſcriptores graecos, praeſertim Patres, *diſtinctionem* tantum ſignificet. Igitur beati Patres non ſeparatas, ſed diuerſas in Trinitate credunt perſonas, ſed tantum diſtinctas. Sic porro, quando beati Patres poſt-Niceni ordinem inter perſonas βαθμὸν vocant, vulgares interpretes *gradus* vertunt, ac ſi beati Patres in Trinitate differentiam graduum ſtatuiſſent; cum tamen vox haec graeca ſenſu Patrum nihil aliud ſignificet, quam *ordinem*.

§. V. Magna autem fuit auctoritas Concilii Niceni, vt ATHANASIVS cum reliquis Patribus exiſtimauerit, Symbolum Nicenum ſatis ſufficere, vt aliis Symbolis ad probandam doctrinam Chriſtianam ſuperſedere queamus. Conf. GERH. IOH. VOSSII *Exercitationem de Symbolis*. Num vero Eccleſia antiqua Concilio Niceno canonicam autoritatem adſcripſerit, quia inſtinctu diuino concilium hoc celebratum eſſe tradit, merito disquirit DORSCHEVS in *Exercitatione ad Concilii Niceni διατύπωσιν de ſacra Eucharistia*, *Sect. I.* §. *45. p. 65.* Neque quicquam derogatur Symbolo Niceno, quando videmus toties illud variatum eſſe, non ſolum in verſionibus antiquis, verum etiam in fontibus. Conf. DORSCHEVM *l. c.* Quod vero ad illud elogium de diuino inſtinctu attinet, nihil aliud volunt Patres, quam diuino moderamine, quod et in reliquis conciliis agnoſcunt, rem totam peractam eſſe.

SECTIO

Sectio III.

Hiſtoriam vocis Ὁμοούσιος *ſiſtens.*

§. I. Quoniam in vulgaribus compendiis hiſtoriae eccleſiaſticae accurata hiſtoria deſideratur vocis ὁμοουσίου, quae tot turbas in Eccleſia antiqua excitauit: operae pretium erit tanto accuratius de hac voce diſſerere. Optime autem operam collocauit STEPH. LE MOYNE in *Notis* ad *Varia ſacra.*

§. II. Vox ὁμοούσιος primam ſuam originem debet haereticis; ſed ita tamen illam debet, vt longe alio ſenſu accepta fuerit. MANES, vnde *Manichaei*, anno 277. vocem ὁμοούσιον adhibuit, vt oſtenderet, non ſolum angelos, verum etiam animas noſtras Deo eſſe ὁμοουσίους, ſiue ſpiritum habere ex diuina eſſentia, tanquam particulam quandam, deriuatum. Anno autem 260. iam ante Manichaeos PAVLVS *Samoſatenus* eandem vocem adhibuit; ſed ita, vt in doctrina de Chriſto fucum faceret, atque beatos Patres falleret. Exiſtimauit enim, Chriſtum ſolum hominem eſſe, qui tamen particulam deitatis haberet loco animae, adeoque Patri dici poſſet ὁμοούσιος. Cum hoc animaduerterent Patres in Synodo Antiochena ſecunda anno 265. publico decreto imperarunt, ne quis vocem hanc ὁμοούσιον de Chriſto vſurparet. Conf. praeter STEPH. LE MOYNE citatum GVIL. CAVEVM *part. II. hiſtor. literar. pag. 31.* et IO. GVIL. BAIERVM in *diſſert. de fide Nicena*, §. 74.

§. III. Licet vero ſequioribus ſeculis vox ὁμοούσιος a falſis interpretationibus purgata ſit; multi tamen Patres cauſas ſuas habuerunt, propter quas circa tempora Nicenae Synodi de receptione huius vocis multum addubitarent. Inter hos facile primus eſt EVSEBIVS *Caeſarienſis*, qui vocem hanc primo recipere detrectauit; poſtea vero, cum videret, Synodum Nicenam publica auctoritate eandem vocem introduxiſſe, morem geſſit. Conf. GVIL. CAVEI *diſſert. de Arianiſmo Euſebii, theſi* 4. Deinde etiam plures Patres in Concilio Antiocheno, quod celebratum eſt anno 341. vocem ὁμοουσίου deliberato conſilio in fidei ſuae confeſſionibus omiſerunt, etiamſi optimam de deitate Chriſti ſententiam haberent. Vindicias huius Concilii Antiocheni adornauit IMMANVEL A SCHELSTRATE. Quaenam autem fuerit ratio, etiam poſt Synodum Nicenam vocem ὁμοούσιος non recipere,

pere, liquet inde, quod plures Patres exiſtimauerint, vocem non ſatis exprimere myſterium, praeſertim cum haeretici antiqui abuſi eſſent hoc termino; quod plurium memoriae inhaerebat, plurium quoque mentibus occaſionem dare videbatur, ſimili ratione hanc vocem alias innoxiam detorquendi. Certe EVSEBIVS exiſtimat, vocem ὁμοούσιος nihil aliud ſignificare, quam Chriſti deitatem tanquam particulam quandam eſſentiae Patris ſiſtere. Videmus etiam, non ſolum apud veteres Patres, verum etiam antiquos philoſophos, vocem οὐσίας adhiberi de rei alicuius accidentibus et qualitatibus. Conf. IO. HARDVINI *Notas ad Ioannis Chryſoſtomi epiſtolam de S. coena.*

§. IV. Non vero in Synodo Nicena demum vox ὁμοούσιος de Chriſto adhibita eſt, ſed iam multum ante plerique Patres priuato ſtudio hanc vocem vſurparunt. Multa Patrum loca ſingulari induſtria collegit in *diſſert.* iam laudata BAIERVS §. 73. Idem quoque obſeruauit DORSCHEVS in *collatione ad concilium Sirmienſe*, *p.* 135.

SECTIO IV.

Duriores Patrum locutiones de Filii deitate ſiſtens, cum epicriſi hiſtorica.

§. I. Veteres Patres durius expreſſiſſe ordinem originis, et in primis miſſionis, qui eſt inter Deum Patrem et Filium, ſatis notum eſt; licet vnitatem eſſentiae diuinae inter eosdem diligenter asſeruerint. Sunt inter Patres, qui reſpectu Filii Patrem vocant *cauſam*, *fontem*, *caput.* Poſterius vocabulum deſumſerunt ex 1 Cor. XI, 3. Iidem Patrem vocarunt *principium Filii.* Loca plura collegit PEARSONIVS *ad Symbolum apoſtolicum*, cui adde DORSCHEVM in *Anti-Cornaeo*, *cap. XXXI.* §. *10.* et CAVEVM in *praefat. diſſert. de Euſebii Arianiſmo.* Neque tamen haereſis latet in verbis Patrum, cum nihil aliud ſignificare velint, quam originem atque ordinem inter deitatis perſonas. Cur vero beati Patres ita locuti ſint, facile ex ipſorum prudentia colliges. Dicunt, Patrem genuiſſe Filium, quemadmodum fluuios ſuos fons, ſol lucem, ramos radix; vt alia eius generis taceam. In primis reſpiciebant ad Iac. I, 17. vbi iuxta Graecos fontes prima perſona dicitur Pater luminum, h. e. reliquarum perſonarum deitatis. Interim ipſimet Patres exiſtimarunt, ſimilitudines

Digitized by Google

dines illas non ſatis exprimere myſterii ſublimitatem. Conf. EVSEBII *Demonſtratio euangelica, lib. IV. cap. III. p. 147.* et PETRVS KINGIVS in *Expoſitione Symboli apoſtolici, p. 112.*

§. II. Etiam hoc mirum fortaſſe videtur, quando beati Patres Filium in condenda rerum vniuerſitate *inſtrumentum* vocant atque *organon.* Quando Patres cauſam dixerunt primam perſonam; facile illis erit, Filium inſtrumentum appellare. Neque in hac phraſi eſt haereſis, licet Ariani eandem adhibuerint. Scilicet Patres non loquuntur de inſtrumento extraneo, ſed connaturali, de ſingulari quodam animato viuente ac diuino. Nec aliud ſibi volunt, quam Filium cum Patre creationem in actum perduxiſſe, vt Patri tamen ordo in hac actione primus ſit. Conf. iterum CAVEVM in *diſſ. de Arianiſmo Euſebii.*

§. III. Etiam hoc durum videtur, quando beati Patres Chriſtum *ſeruum Dei* vocant *atque miniſtrum*, qui etiam praeceptis Patris ſui obſequium praeſtare debuit. Hinc beati Patres paſſim eas locutiones S. Scripturae, in quibus obſeruamus, Patrem ad Filium locutum eſſe, exponunt de mandatis Patris, ac ſi Chriſtus obſequium praeſtare debeat Patri ſuo imperanti. Conf. de hac phraſi Patrum PETAVIVM *lib. II. de Trinitate c. VII. n. 7. p. 140.* et DORSCHEVM *ad concilium Sirmienſe, Sect. III. cap. IV. pag. 137.* COTELERIVM in *Notis ad Conſtitutiones apoſtolicas, lib. V. cap. XX.* Neque tamen Patres denegarunt Filio deitatem, vel coexiſtentiam aeternam, ſed Scripturam ſacram imitati ſunt, in qua Filius pluribus in locis *ſeruus Dei* vocatur. Conf. IO. DRVSII *Obſeruationes ſacras.*

§. IV. Aeternitatem Filii negare videntur Patres, quando eam deſcribunt per exiſtentiam ante mundum conditum. Iam vero ſcimus, iſtiusmodi aeternitatem non talem eſſe, qualem in Patre videmus. Multi Patres crediderunt, angelos pluribus ſaeculis ante mundum viſibilem creatos eſſe: quis ideo angelos aeternos dixerit, ſi res ita ſe haberet? Verum hic praeter morem ſuum CLERICVS beatos Patres defendit, quando tradit in *vita Euſebii,* quod ſtilo Patrum priorum *ante conditum mundum exiſtere*, et *aeternum eſſe* fuerit vnum idemque.

§. V. Plures Patres cum ante haereſin Arianam, tum poſt illam, asſeuerarunt, Filium Dei voluntate Patris productum eſſe. Hinc

Critici

Critici quidam colligunt, quod Patres Filium Dei creaturae loco habuerint. Verum, vti probe obſeruant IO. PEARSONIVS in *Notis ad Ignatii epiſtolas* et DORSCHEVS in *Collatione ad concilium Sirmienſe, p. 192.* non negant Patres naturalem neceſſitatem illius aeternae generationis ſimpliciter, ſed eam, quae cum nolitione coniuncta ſit.

§. VI. Quidam etiam Patres, quos inter locum obtinet EVSEBIVS, Filium Dei vocant ἀυτόθεον: vnde quidam Critici colligunt, Patres crediddiſſe, Filium eſſentiam ſuam a ſemet ipſo habuiſſe ſine communicatione Patris. At vero, praeterquam, quod vocem hanc ἀυτόθεος hoc ſenſu de Chriſto vſurpatam ipſi Patres reiiciunt, nihil aliud indicare voluerunt, quam Chriſtum Deum eſſe ſenſu maxime proprio. Id enim in compoſitione valet vox ἀυτὸς, iuxta idiotiſmum Graecae linguae. Conf. VALESIVM *ad lib. IX. Euſebii, cap. IV. p. 375.*

§. VII. Neque porro inficior, a beatis Patribus adhiberi phraſes, quae illis cum ſpurciſſimis quondam haereticis, v. g. Gnoſticis, communes fuerunt. Sic Gnoſtici atque Patres generationem Filii vocant προβολὴν et ἀπόῤῥοιαν, h. e. *emanationem*, ſiue einen Ausfluß aus dem Weſen des Vaters. Plura hanc in rem obſeruarunt IO. ERNEST. GRABIVS in *Notis ad Irenaeum*, et PETRVS FAYDITVS apud MARVILLIVM *tom. I. miſcellan. p. 307.* Interim eaedem voces non ſemper eodem ſenſu acceptae ſunt.

§. VIII. Quidam vehementer carpunt Patres, quod Chriſtum etiam ſecundum diuinam naturam *vnctum* dicant: vnde colligunt et Critici, Patres diuinitatem Chriſti negaſſe, non bene diſtinguentes ipſam vnionem in Chriſto, atque collationem egregiorum donorum, quam vulgo *vnctionem* vocant. At vero illi Critici, quos inter PETAVIVS ponendus eſt, non recte intelligunt ſenſum vocis Χριςῦ. Neque enim ea vox apud ſcriptores profanos et beatos Patres *Subiectum* vnctionis denotat, quo ſenſu in Codice ſacro omnino accipitur, verum potius *materiam*, qua rem aliquam vngimus: vnde non minus pie, quam docte diuinam Chriſti naturam Patres ſigillatim Χριςὸν vocarunt, vtpote quae, ſi ita fas eſt loqui, materia vnctionis fuit, qua humana

mana natura vncta atque delibuta eſt. Conf. PEARSONIVM in *Expoſitione Symb. apoſtol.*

§. IX. Adhuc alii Critici reprehendunt Patres, quod generationem Filii Dei paſſim negare dicantur. Adducunt plurima loca Patrum, in quibus aſſerunt, Chriſtum eſſe ἀγέννητον. At vero, vti bene obſeruant SVICERVS in *Theſauro eccleſiaſtico*, et PETAVIVS in *operibus dogmaticis*, vitioſi ſunt omnes codices Patrum, in quibus Chriſtus dicitur ἀγέννητος. Rectius legitur ἀγένητος. Inter has voces autem maxime cognatas non facile diſcrimen obſeruatum eſt, licet diſcrimen ſit maximum. Nam ἀγέννητος ſignificat *non eſſe genitum*, quod nunquam de Chriſto aſſeruerunt Patres; ἀγένητος autem ſignificat *non factum eſſe*, quod recte de Chriſto negatur.

§. X. Etiam hoc quibusdam Criticis peregrinum videtur, quando beati Patres diuinam Chriſti naturam *Spiritum S.* vocant. In primis hoc in Patribus carpunt PETAVIVS atque SANDIVS. Exiſtimant autem, Patres tantum credidiſſe duas perſonas in Trinitate, vel etiam Spiritum S. cum Filio Dei confundere ſolitos. At vero facile excuſari poterunt Patres, ſi obſerues, illos vocem *Spiritus ſancti*, de Filio Dei vſurpatam, non perſonaliter, ſed eſſentialiter accepiſſe: qua ratione quaelibet perſona deitatis recte dicitur Spiritus S. Plura hanc in rem dicemus infra in loco *de peccato.*

§. XI. Sunt et Patres, quos inter referas BASILIVM et HILARIVM, qui, naturam Patris Filio impreſſam eſſe, dixerunt. Non diffiteor, in tanto myſterio minus commodam hanc eſſe locutionem; attamen inde nihil mali elici poteſt, cum talia, vti monet GROTIVS *ad Hebr. cap. I. verſ. 3.* commode interpretanda, non maligne cauillanda ſint.

§. XII. De vnione quoque, quae inter perſonas deitatis eſt, durius aliquando loquuntur Patres, dum Filium vocant *locum Patris naturalem.* CYRILLI *Alexandrini* atque HIERONYMI loca ſatis nota. Conf. BVLLVM in *defenſione fidei Nicenae, Sect. IV. cap. vlt. §. 12. pag. 502.* Excuſari tamen poſſunt Patres, quia non magis commodus eſt terminus *Perichoreſis*, qui vulgo a noſtris recipitur, atque vnionem perſonarum mutuam exprimit.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio V.

Doctrinam Gnoſticorum de myſterio Trinitatis ſiſtens.

§. I. Vt hanc rem luculenter exponamus, opus erit diſtincte procedere. Conſiderabimus igitur

I. Veram rationem, propter quam haeretici hi in Trinitatis myſterio a conſenſu omnium Chriſtianorum diſceſſerint. Hanc rationem optime tradit PETRVS KINGIVS in *expoſitione Symboli apoſtolici*, *pag.* 110. Scilicet Gnoſtici, generationem propriam Filii Dei negantes, vocabant illam προβολήν, h. e. emiſſionem atque diuiſionem et ſecretionem a natura ſiue eſſentia Patris, a qua emitteretur. Cum igitur ſtatuerent enormem eſſentiae diuinae diuulſionem, facile erat in alios errores impingere, et modo maiores, modo minores Deos in Trinitate fingere.

II. Obſeruamus compendium doctrinae Gnoſticorum de myſterio Trinitatis. Scilicet ſtatuebant XXX. Aeones, quorum XV. maſculi, et totidem feminei. Summum Aeonem vocabant *Bythum*, quem Latini dicerent *profunditatem*. Cum eo docebant exſtitiſſe ἐννοίαν h. e. *cogitationem* eius, quae χάρις, h. e. *gratia*, et σιγὴ ſiue *ſilentium* vocatur. Haec duo ſuprema numina alios genuerunt Aeonas, νοῦν h. e. *mentem*, qui Aeon etiam vocatur μονογενὴς h. e. *vnigenitus*. Hic autem Aeon, νοῦς dictus, genuit alios Aeonas, λόγον, h. e. *verbum*, et ζωήν, h. e. *vitam*. Ex hisce omnibus colligimus, quod Gnoſtici veteres Chriſtum non recte intellexerint. Alium faciunt *vnigenitum*; alium *verbum Dei*, ſiue λόγον. Imo praedicata, quae de Chriſto vſurpantur, v. g. χάρις et ζωή, tanquam peculiaria numina producunt.

III. Hinc multa loca N. T. lucem accipiunt, in primis cap. I. euang. Ioannis. Id agit vir ſanctiſſimus, vt commonſtret, Filium Dei eſſe λόγον et vnigenitum. Vid. vers. 1. collato verſu 14. Idem vir ſanctiſſimus luculenter ostendit, non eſſe numen in Trinitate, quod χάρις ſiue gratia ſit vocandum; cum gratia pleniſſimus ſit ipſe Saluator. Vid. verſ. 14. 16. Idem ostendit, ζωὴν non eſſe numen, ſed ipſum Chriſtum. Vid. verſ. 4. Et quoniam Gnoſtici tradebant, adhuc aliud numen inter XXX. Aeonas eſſe, quod ἀλήθειαν vocant, ſiue veritatem, Ioannes iterum oſtendit, quod Chriſtus ſit veritas; quemadmodum etiam gratia

Digitized by Google

vocatur. Vid. omnino verſ. 14. et 17. Quoniam etiam Gnoſtici fingebant, locum quendam vaſtiſſimum procul ab inferioribus hisce diſtantem, quo Deus ita contineretur, vt otioſam vitam agendo curam rerum humanarum ſuscipere non poſſet, atque illum locum vocarent πλήρωμα, iterum Gnoſticos carpit Ioannes, oſtenditque, alia ratione accipiendam eſſe vocem πληρώματος: quod ſcilicet ſignificet profunditatem diuitiarum diuinarum, non locum otioſum Dei.

§. II. Ex his iam apparet, quid docuerint Gnoſtici, et quomodo ſibi ſolis ſapientes a veritate aberrauerint. Iam vero, quoniam quis in dubium vocare poſſet hanc expoſitionem noſtram, breuibus vindiciae ſunt adornandae. Scilicet obiiceret quispiam, Gnoſticos, cum fuerint Ioannis aetate poſteriores, ab eodem impugnari haud poſſe. At vero hi in eo errant, quod primum auctorem Gnoſticorum faciunt CARPOCRATEM, qui omnino Ioanni coaeuus haud fuit; cum initium Gnoſticorum a SIMONE *Mago* altius ſit arceſſendum. Longius vero illi aberrant, qui cum CALOVIO exiſtimant, Gnoſticos ſyſtema ſuum ex euangelii Ioannis verbis ſiniſtre intellectis deſumſiſſe. Viri harum rerum peritiores vel ex veterum Chaldaeorum doctrina ſyſtema Gnoſticorum compactum eſſe exiſtimant, quos inter refero THOMAM GALEVM in *Notis ad Iamblichum de myſteriis*, vel ex Cabbala antiqua Iudaeorum Gnoſticorum doctrinam deriuant. Primo id ſuboluit IACOBO WINDETO *de vita functorum ſtatu, p. 32.* deinceps IO. FRANC. BVDDEVS in *diſſert. de haereſi Valentiniani* idem luculentius oſtendit. Cum igitur res ita aperta ſit, temerarium erit ad alia argumenta confugere.

§. III. Sunt adhuc alia loca, quae ex doctrina Gnoſticorum illuſtrari posſunt. Huc referas omnino vocem αἰῶνας Hebr. I, 2. Nempe ibi non intelligo *ſaecula*, ſed *angelos*, quos ſingulari ratione ita vocabant Gnoſtici, et in quorum numero ponebant Ieſum noſtrum, negando ipſius deitatem. Vult igitur Apoſtolus dicere: Chriſtum a Gnoſticis male angelis ſiue Aeonibus annumerari, cum ipſe Aeones ſiue angelos creauerit.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VI.

De ritibus veteris Eccleſiae, ex quibus myſterium Trinitatis probare queas.

§. I. Antiquam Eccleſiam omnino credidiſſe myſterium Trinitatis, ex ſequentibus colligi poterit ritibus:

I) Ex trina immerſione, quae contra Arianos aliosque Trinitatis hoſtes in baptiſmo adhibita fuit. Mentio huius antiquiſſimi ritus occurrit apud TERTVLLIANVM, qui vixit anno 192. Quod vero trina immerſio myſterium Trinitatis adumbrarit, prolixe oſtendunt IOH. DALLAEVS *de pſeudepigraphis apoſtolicis, lib. III. p.629.* et GEBH. THEOD. MEIERVS *de initiamentis antiquae eccleſiae, §.62.* Interim non nego, ſaepe vnam immerſionem adhibitam eſſe, vbi a Trinitatis hoſtibus nullum erat periculum. Cur autem trina immerſio praeualuerit, coniicies facile, quod ad inſtitutionem baptiſmi primam oculos ſuos intenderint. Cum enim ſigillatim nominentur perſonae Trinitatis, triplici vice ſubmergebant catechumenos, vt et ore et manu myſterium illud probarent. Falſus autem eſt SANDIVS, quando in *interpretationibus paradoxis, pag. 111.* exiſtimat, antiquam Eccleſiam minus fidelem fuiſſe in obſeruando baptiſmo, cum aetate apoſtolorum catechumeni in nomine Trinitatis baptizati fuerint, poſteriori aetate in nomine Chriſti. Magna inde, non diffiteor, promanat difficultas, quam tamen tolles, ſi in ſubſidium vocaueris philologiam ſacram. Nimirum baptiſmus in nomine Chriſti, atque in nomine Trinitatis vnus idemque eſt, et quovis aeuo eadem ratione, non interrupto ordine perſonarum, baptiſmus celebratus eſt. In nomine Chriſti baptizari eſt praeuia confeſſione de Chriſto in nomine Trinitatis baptizari. Conf. locum luculentum Act. VIII, 36. et IO. HARDVINI ſingularem de hac re *diſſertationem.*

II) Ex hymnis antiquae eccleſiae probare quoque poſſumus, myſterium Trinitatis ſemper fuiſſe creditum. Exſtant adhuc hymni in honorem Trinitatis conſcripti a CLEMENTE *Alexandrino* et ab ATHENOGENE circa annum 192. Ediderunt hos THOMAS SMITHVS in *Miſcellaneis*, et VSSERIVS in *Collectione Symbolorum veteris eccleſiae.*

III) Myſterium quoque Trinitatis colliges ex literis veterum Chriſtianorum ſiue epiſtolis. Quotiescunque enim vel mutuam pacem et eccleſiarum communionem teſtari volebant, vel aliquid dignum memoriae prodere, in honorem Trinitatis has literas Graecas apponebant Π. Υ. Α. Π. Conf. de hoc ritu veterum Chriſtianorum ITTIGIVM *de bibliothecis Patrum, p. 239.* et DORSCHEVM in *collatione fidei Nicenae, pag. 83.* Iſtiusmodi epiſtolae Chriſtianorum ob illas literas vocabantur *formatae.*

§. II. Neque quicquam derogatur antiquae Chriſtianorum fidei, quando in precibus atque hymnis Patri honores diuinos conferebant per Filium in Spiritu S. Nam eiusmodi praepoſitiones reliquas deitatis perſonas nullatenus inferiores faciebant; ſed potius ὁμουσίαν eorundem luculenter asſerebant. Probauit id pluribus IO. ANDR. SCHMIDIVS in ſing. *diſſert. contra antiquos haereticos ſyllabicos.*

SECTIO VII.

Hiſtoriam controuerſiae de proceſſione Spiritus S. ex Filio ſiſtens.

§. I. Vnanimis Patrum conſenſus eſt, ex Patre et Filio aeque Spiritum S. procedere. Interim circa annum 370. primus BASILIVS fuit, qui cum minus commode dixiſſet, Spiritum S. a Patre eſſe per Filium, occaſionem dedit reliquis de hoc dogmate prorſus dubitandi. Circa annum igitur 407. THEODORVS *Mopſueſtenus* luculentius rem negauit, ita tamen, vt poſterioribus ſaeculis in ipſa eccleſia Graeca non omnes conſentirent in neganda Spiritus S. ex Filio proceſſione. Tandem ſaeculo XI. THEOPHYLACTVS in *Comment. ad cap. III. Ioannis* iterum hoc negauit, et ſignum quaſi ſuſtulit, ita, vt deinceps vniuerſa eccleſia Graeca a Latina immani eccleſiae decremento deſciuerit. Plura de hac controuerſia ex Reformatis ſuppeditant RICHARD. MONTACVTIVS in *Notis ad epiſtolas Photii*, GERH. IO. VOSSIVS in *Hiſtoria trium Symbolorum;* ex Pontificiis IO. GARNERIVS in *diſſert. de vita et doctrina Theodoreti.* Scripta vero Graecorum ſingularia de proceſſione Spiritus S. agentia accurate collegerunt LEO ALLATIVS et PETRVS ARCADIVS.

Digitized by Google

§. II. Mirum profecto eſt, hanc controuerſiam, quae tanti haud eſt, in cauſa fuiſſe, vt eccleſia orientalis et occidentalis perpetua lite diſcinderetur. Doctiſſimus WERENFELSIVS in *diſſertat. de logomachiis eruditorum* ad oculum oſtendit, litem inter vtramque eccleſiam non fuiſſe realem, ſed verbalem. Si ſpectetur in Patre et Filio communis vis ſpiratiua, qua ambo ſimul ſpirant, certum eſt, Spiritum S. ab vtraque perſona immediate, et non a Patre per Filium procedere. Si vero ſpectes Patrem tanquam fontem deitatis et primam perſonam, a qua ordine quodam originis aliae duae perſonae procedunt, recte dicitur, Spiritum S. a Patre per Filium, mediante ſcilicet ordine, procedere.

SECTIO VIII.

Duriores Patrum locutiones de diuinitate Spiritus S. ſiſtens, cum epicriſi hiſtorica.

§. I. Multi inter Patres exiſtimant, Spiritum S. in forma columbae non deſcendiſſe in Chriſtum, quae viſio commemoratur Matth. III, 16. Et ſane Patres deſumſerunt argumenta ex ſacra Scriptura atque antiquitate. Luc. III, 22. occurrit phraſis: σωματικῷ εἴδει, quam beati Patres non ad ſimilitudinem columbae referunt, ac ſi vera fuiſſet columba, quod vulgo fit, ſed ipſum Spiritum S. vel potius ad apparentem eius deſcenſionem, quae luculenta et viſibilis fuit. Iidem vrgent particulam ὡσεὶ, atque iudicant, Spiritum S. motum feciſſe atque deſcendiſſe inſtar columbae, quae breui et ſine leuiſſima alarum agitatione quam celerrime ac facillime deſcendit in tabernas ruſticorum. Conf. plura in hanc rem apud BOCHARTVM *part. II. hierozoici, lib. I. cap. II. pag. 35.* et ALMELOVEENIVM *Amoenitatum theologico-philologicarum pag. 202.* Antiquitatem quoque conſulunt beati Patres, quos inter eſt IVSTINVS *Martyr*, commemorans, communi fama apud antiquos Chriſtianos receptum eſſe, quod Spiritus S. ſub forma ignis deſcenderit. Hinc etiam factum, vt in antiqua eccleſia apoſtolica in ſignum donorum miraculoſorum ignis quoque in baptiſmo ſuper catechumenos apparuerit. Hinc quidam Patres exiſtimant Hebr. VI, 4. iſtiusmodi catechumenos dictos eſſe φωτισθέντας, quaſi coeleſti lumine atque igne colluſtratos. Conf. DODWELLVM *diſſert. II. ad Irenaeum*, §. 9. et

Digitized by Google

GROTIVM *ad Matth. III, 6.* Impius vero in Patres quis fuerit, ſi innoxiam hanc ſententiam Socinianiſmi poſtularet. Similem locum, ex quo Patrum ſententia probatur, videbis Luc. X, 18. Ibi dicit Chriſtus, ſe vidiſſe diabolum e coelo delabentem inſtar fulminis. Non tamen inde aliquis probarit, diabolum habuiſſe formam fulminis.

§. II. Ex hoc loco Matthaei nonnulli antiqui Chriſtiani inducti ſunt, vt Spiritum S. dicerent matrem Chriſti: quae phraſis hodiernis Socinianis arridet, ſcilicet non recte inſpiciendo textum, vocem Patris Spiritui S. adſcripſerunt, vti pluribus obſeruat GRABIVS in *Notis ad Spicilegii tom. I. pag. 327.* FABRICIVS in *Notis ad codicem apocryphum N. T. pag. 362.* et SANDIVS *pag. 19. problematis paradoxi de Spiritu S.* Impropria autem fuit magis Patrum locutio, quam propria, qualis eſt Socinianorum. Porro conſtat, Patres ita non credidiſſe: quia haereticos illos, qui Spiritum S. vel inferioris naturae eſſe volebant, vel Chriſti ſororem dicebant, (tales vocabantur *Helceſaitae*) prolixe refutarunt.

§. III. Etiam hoc quosdam Criticos male habet, quod Patres Spiritum S. *ſeruum Patris atque Chriſti* vocant. At vero facile ſe excuſare poſſunt Patres, quando miſſionem aeternam a miſſione in tempore factam luculenter diſtinguunt. Conf. quae ſupra prolixe diximus *Sect. IV. §. 3.* Ceterum has atque alias Patrum accuſationes falſiſſimas eſſe, contra SANDIVM perſpicue euincit CALOVIVS in *Bibliis illuſtratis ad cap. I. euangelii Ioannis.* CALOVIO addi poſſunt WITTICHIVS atque SCHOMERVS, qui ſubinde Patrum in ſe ſuſcipiunt partes contra dictum SANDIVM defendere.

§. IV. Etiam hoc obſeruatu digniſſimum, quod, vti pluribus exemplis probant PETAVIVS atque GROTIVS, ſancti Patres proceſſionis terminum ſine vllo diſcrimine vſurpant et de Filio et de Spiritu S. contra quam poſterioribus ſaeculis factum eſſe videmus.

§. V. Inter tot Patres autem, qui minus dextre de diuinitate Spiritus S. ſcripſerunt, multi collocant BASILIVM M. Hic enim, vti ipſemet GREGORIVS *Nazianzenus* refert, non eſt auſus dicere, Spiritum S. eſſe Deum. Difficilis haec eſt accuſatio.

Facile

Digitized by Google

Facile tamen eadem tolli poterit ex monumentis hiſtoricis eius aeui. Scilicet cum animaduerteret BASILIVS, Macedonianos vi controuerſias decidere velle, eliminando ipſum BASILIVM M. atque expellendo, ſi ſeuerius aliquantum atque moroſius voci *Dei* inhaereret, circumſpecte eandem omiſit; *Domini* tamen titulum, qui idem cum *Dei* eſt, Spiritui S. vindicauit, ſecutus apoſtolos, qui, in vna ſerie tres perſonas deitatis adducentes, primam θεὸν vocant, reliquas perſonas *Dominos*, ne polytheoteta ſiue multitudinem deorum, quam in gentilibus damnabant, ipſimet aſſerere viderentur. Plura hac de prudentia BASILII M. commentantur VEDELIVS in *libris de prudentia veteris eccleſiae*, et EVLOGIVS in *Ecloga de oeconomia veteris eccleſiae*. Denique ſe ipſum abſoluit BASILIVS de imputata Arianiſmi ſuſpicione. Nam anno 370. cum perſecutiones Macedonianorum ceſſarent, primus inter omnes Patres peculiarem atque egregium librum *de Spiritu S.* ſcripſit. Eodem tempore ad imitationem BASILII M. ſingularem librum *de Spiritu S. eiusque deitate* ſcripſit S. DIDYMVS. Ex vtroque argumenta ſua deſumſit AMBROSIVS, cum anno 374. peculiarem quoque librum exararet *de diuinitate Spiritus S.* Neque Spiritui S. operam ſuam negauit PASCHASIVS, diaconus eccleſiae Romanae, qui anno 501. pios atque doctos libros de diuinitate Spiritus S. ſcripſit.

LOCVS III.

DE CREATIONE ET PROVIDENTIA.

SECTIO I.

Patres, qui Articulum de creatione accurate expoſuere, ſiſtens.

§. I. Nullum ferme Articulum fidei tanto molimine illuſtrarunt Patres, quam hunc Articulum de creatione. Plures cauſae Patres ad id adduxerunt. Partim videbant, aeternitatem mundi a gentilium philoſophis adſtrui; partim videbant, creationis virtutem non Deo, ſed angelis vindicari, atque alios errores fidei ſaluificae contrarios diſſeminari. Quos inter referas errorem Manichaeorum de duobus principiis coaeternis.

§. II. Patres autem huc maxime ſpectantes ſequentes ſunt: Anno 140. IVSTINVS *Martyr* ſingularem librum ſcripſit *de creatione mundi.*

Digitized by Google

Anno 189. RHODON itidem edidit peculiarem librum.

Anno 290. VICTORINVS *Afer* peculiarem librum edidit *de fabrica mundi.*

Anno 325. EVSTATHIVS ſcripſit *Commentarium in* ἑξαήμερον.

Anno 370. GREGORIVS *Nyſſenus* itidem hiſtoriam creationis ſingulari libro expoſuit.

Anno 370. BASILIVS M. IX. *homilias de creatione* euulgauit.

Anno 374. AMBROSIVS *libros VI. de creatione* luci dedit.

Anno 398. CHRYSOSTOMVS homiliis aliquot hiſtoriam creationis illuſtrauit.

Anno 401. SEVERIANVS *Gabalitanus* orationes VI. *de creatione mundi* conſcripſit.

Anno 407. THEODORVS *Mopſueſtenus* in *Commentario in Pentateuchum* hiſtoriam creationis expoſuit.

Anno 412. CYRILLVS *Alexandrinus* in *Commentario in Pentateuchum* copioſe creationem mundi expoſuit.

Anno 550. CYRILLVS *Africanus Commentarium* ſcripſit *in III. priora capita Geneſeos.*

Anno 561. ANASTASIVS *Sinaita libros XII. anagogicarum contemplationum* in ἑξαήμερον ſcripſit.

Anno 601. IOANNES PHILOPONVS *Commentarium* ſcripſit in ἑξαήμερον.

Anno 648. GEORGIVS PISIDES eleganti carmine hiſtoriam creationis delineauit, ita tamen, vt exegetae munere paſſim fungeretur.

SECTIO II.

Patrum ſingulares opiniones in Articulo de creatione ſiſtens.

§. I. Inter Patres primus fuit ORIGENES, qui mundos innumerabiles aeternis ſibi ſaeculis ſuccedentes credidit. Plura ORIGENIS loca collegit SPENCERVS *ad Origenis libros contra Celſum, pag. 58.* Sunt, qui iam ante ORIGENEM ita CLEMENTEM *Romanum* in *Epiſtola I. ad Corinthios, §. 2.* docuiſſe exiſtimant. At vero inſigniter falluntur. Nam CLEMENS *Romanus* antipodes, vel regiones Americanas intelligit, vti pluribus probat IOH. FELLVS. Ceterum recentiores philoſophi Angli, quorum magnum numerum ſiſtit FABRICIVS *lib. I. bibliothecae Graecae,*

Digitized by Google

Graecae, cap. XX. pag. 133. auctoritate ORIGENIS plurimum nituntur.

§. II. Idem ORIGENES, quem AMBROSIVS ſtrictim ſequitur, asſeruit, ſolem, lunam atque reliquas ſtellas rationales eſſe poteſtates atque animatas. Hanc in rem abutebantur Patres verbis Pauli de creatura gemebunda, Rom. VIII, 19. et 23. ORIGENIS aliorumque loca diligenter collegerunt SPENCERVS *ad Origenis libros contra Celſum pag.* 62. ITTIGIVS in *Diſſert. de creatura gemebunda* §. 16. et HVETIVS in *Origenianis, lib. II. cap. II. quaeſt. VIII.* §. 3.

§. III. Etiam peculiare ſyſtema vniuerſi tradiderunt veteres Chriſtiani, cuius delineationem videas in aere apud FABRICIVM *lib. III. bibliothecae Graecae cap. XXV. pag.* 613. Scilicet tradiderunt, coelum non eſſe orbiculari figura, nec terram adeo, ſed illud fornicis (conf. LXXviralem verſionem, qua maxime Patres nituntur, ad Eſa. XL, 22.) inſtar terrae incumbere; hanc longiorem eſſe, quam latiorem, et extrema coeli vltimis iungi; angelos non in coelo verſari, ſed tantum infra firmamentum nobiscum degere. Plura hanc in rem ſuppeditabit MELCHIOR INCHOFERVS in *Tractatu ſylleptico, in quo, quid de terrae ſolisque motu vel ſtatione ſecundum ſanctos Patres ſentiendum, ostenditur.* Quodſi vero Patres adeo aberrant in ſyſtemate mundi deſignando, id adſcribendum eſt ignorantiae matheſeos. Hinc GREGORIVS M. matheſin exulare iuſſit, quemadmodum oſtendit TOLANDVS in *diſſert. de ſuperſtitione.* PHILASTRIVS etiam in catalogo haereſium illos nota haereticorum ſignauit, qui antipodes crediderunt; vt taceam nunc, VIGILIVM quendam epiſcopum in ſynodo quadam damnatum eſſe, quod antipodes asſereret.

§. IV. In hoc quoque errant Patres, quod crediderunt, angelos per plurima ſaecula ante mundum hunc viſibilem creatos eſſe. GREGORII *Nazianzeni* et HIERONYMI loca plurima collegit BARTOLOCCIVS *Tom. I. p.* 265. Huic errori ſimilis alius eſt, quo crediderunt, animas omnes a primordio mundi ſimul creatas eſſe, atque deinceps cum pro meritis, tum peccatis, in corpora modo elegantiora, modo obſcuriora depulſos eſſe. Plurima Patrum loca collegerunt HVETIVS in *Origenianis* atque SANDIVS in ſingulari libro.

Digitized by Google

§. V. Iterum ORIGENES in ius vocatur, quando hiſtoriam paradiſiacam μῦθον ſiue *fabulam* appellat. At vero facile excuſari poterit ORIGENES, ſi quis conſideret, vocem μῦθȣ apud Graecos, et vocem *fabulae* apud Romanos veram hiſtoriam denotare. Caeterum licet ORIGENES hiſtoriam creationis paſſim allegorice exponat, non tamen ipſam hiſtoriam negat, ſecutus PHILONEM Iudaeum, qui pari ratione in ſingulari libro hiſtoriam creationis allegorice expoſuit. Neque in ius ſtatim vocandus eſt AMBROSIVS, quando ORIGENIS veſtigiis inſiſtit. Nam in plerisque locis literae etiam AMBROSIVS inhaeret: vt adeo non recte dicatur, AMBROSIVM negaſſe, veram eſſe hiſtoriam creationis. Conf. NICOL. NOURRYVM in *praefat. ad Tom. I. operum Ambroſii*, et HVETIVM in *Origenianis*, *lib. II. cap. II. quaeſt. XII. §. 7.* Idem de GREGORIO *Nyſſeno* ſtatuendum eſt, quemadmodum oſtenditur in *vindiciis Patrum aduerſus Dallaeum*, *p. 25.* Nihil igitur inde lucratur THOMAS BVRNETVS, quando in *archaeologiis philoſophicis*, *lib. II. cap. II.* inde vult extorquere, Patres nouo ſyſtemati vniuerſi, quod plerique philoſophi recentiores Angli produnt, asſenſum praebere. Nam, vti iam obſeruatum eſt, ſenſui quidem myſtico multum tribuunt Patres, literam tamen non plane negligunt.

§. VI. Vt vero iterum ad hiſtoriam paradiſiacam redeamus, non ſatis demirari posſumus vel Patrum quorundam ingenii imbecillitatem, vel eorundem nimiam in coniiciendo libertatem, quando exiſtimant, paradiſum terreſtrem, vnde Adamus expulſus eſt, nunc coeleſte habitaculum eſſe piarum animarum. Conf. TERTVLLIANVM, LACTANTIVM aliosque Patres ita ſentientes apud BLONDELLVM *de Oraculis Sibyllinis lib. II. cap. II.* VALESIVM *ad Euſebium pag. 257.* et HVETIVM in *Origenianis*, *pag. 149.*

§. VII. Cur autem beati Patres ita ſenſerint de paradiſo, facile quis ex ipſorum ſcriptis colliget. Nam cum ſemel animo ſuo inbibiſſent opinionem illam de hiſtoria mundi myſtice exponenda, eo deuenerunt, vt paradiſum terreſtrem Adami typum ſtatuerent vitae aeternae, a qua ſententia non abludit Spiritus S. Conf. IAC. WINDETVM *de ſtatu animarum ſeparatarum.* Interim non nego, Patres vocem paradiſi coeleſtis longe alio accepiſſe ſenſu, quam Scriptura accepit.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII. Denique abiiciemus criminationem Patrum, qua ab hodiernis criticis conſpurcantur, ac ſi duo aeterna principia ſtatuiſſent, palpum Manichaeis atque Marcionitis obtendendo. Ex horum ſocietate eſt PETRVS BAYLIVS in *dictionario hiſtorico-critico.* In primis ad cenſuram vocatur LACTANTIVS, a cuius tamen partibus ſtat GEORGIVS BVLLVS in *defenſione fidei Nicenae.* Non nego tamen, quosdam Patres minus accurate inter peccati poſitiuum et priuatiuum diſtinguendo, anſam tum ſibi, tum aliis errandi dediſſe. Ceterum ex ſcriptis antiquiſſimis Patrum, quae vel MARCIONI, vel *Manichaeis* oppoſuerunt, quaeque longa ſerie recenſet SAGITTARIVS in *introduct. ad hiſt. eccleſiaſt.* luculenter conſtat, Patres contrarium ſtatuiſſe. Primos in horum ordine pono IRENAEVM, TERTVLLIANVM, ORIGENEM atque PRVDENTIVM. Omne vero punctum tulit AVGVSTINVS, qui plurimis ſcriptis Manichaeos deuicit.

SECTIO III.

Haereticorum veterum Syſtema in articulo de creatione ſiſtens.

§. I. Antequam errores haereticorum recenſeamus, opus eſt diſpicere, quibus rationibus in errores inducti fuerint. Atque ita duplicem cauſam perſpicimus, quarum vna teſtatur ignorantiam philoſophiae, altera ignorantiam Codicis N. T. Quod ad ignorantiam philoſophiae attinet, fouebant abſurdos boni malique conceptus, exiſtimantes, bonum et malum non rerum modos eſſe et attributa, verum res, et, vt in ſcholis loqui amant, ſubſtantias; omnes res in ſe atque ſubſtantia ſua vel bonas eſſe, vel malas, atque adeo originem et cauſam veram deſiderare concludebant. Pluribus hanc cauſam exponit PETRVS KINGIVS in *hiſtoria Symboli apoſtolici*, *pag. 52.* et *75.* Quod ad ignorantiam Codicis N. T. attinet, certum quoque eſt, ſi conſulamus IRENAEVM *lib. I. cap. I. pag. 18.* antiquos haereticos mox nominandos, quia in S. Scriptura inueniebant, diabolum κοσμοκράτορα, h. e. den Fürſten der Welt, appellari, eum tanquam primum principium mali, et quidem aeternum, produxiſſe. Debebant autem haeretici antiqui diſtinctius exponere, quidnam ſit κοσμοκράτωρ et παντοκράτωρ, praeſertim cum S. Scriptura vtrumque vocabu-

vocabulum luculenter diſtinguat, et poſtremam vocem Deo adſcribat, priorem daemoni. Κοσμοκράτωρ autem ideo vocatur diabolus, quia praeter fas imperium in mundum ſibi vindicat; Deus contra παντοκράτωρ vocatur, vti ex Patrum lectione ostendit KINGIVS *pag. 66.* quia vox illa primo declarationem continet infinitae Dei potentiae, qua mundum ex nihilo produxit, a nullo ſiue angelorum, ſiue aliarum rerum quarumcunque adiutus. Deinde vox haec ſignificat dominium Dei abſolutum et ſupremum, cum prouida omnium gubernatione coniunctum. Tum ſignificat comprehenſionem omnium rerum, quod non locus ſit in mundo, in quo viuere dici queat.

§. II. Cum igitur vox παντοκράτωρ parum obſeruata eſſet ab antiquis haereticis, errores deinde varii propullulabant. Primus haereticorum, vti iterum KINGIVS *pag. 82.* obſeruat, SIMON Magus ab angelis conditum eſſe mundum docebat, qua quidem in re plures haereticos ſuccenturiantes habuit. Baſilidiani ſtatuebant, 365. coelos cum peculiari ſibi angelo ſingulos creatos eſſe, vnum poſt alium. Reliqui haeretici omnem quoque creationis virtutem ad angelos referebant, ſummum atque aeternum numen praecipuo ſapientiae, potentiae atque gloriae ſuae ſpecimine ſpoliantes.

§. III. Manichaei atque Marcionitae duo crediderunt principia aeterna, Deum ac diabolum. Pluribus horum haereſin exponunt ITTIGIVS in *diſſert. de haereſiarchis apoſtolicis*, atque STRAVCHIVS in *tract. de origine et progreſſu Manichaeiſmi.* Iidem Manichaei mundos infinitos crediderunt, atque habitacula animarum defunctarum in ipſis aſtris poſuerunt, quemadmodum IAC. THOMASIVS in *diſſert. de Manetis dogmate,* quo ſolem et lunam habebant pro receptaculis animarum poſt mortem, ostendit.

§. IV. Qui plura deſiderat reſcire, quidnam crediderint Patres et haeretici de creatione mundi, adire debet THOM. BVRNETVM in *archaeologiis philoſophicis*, PETAVIVM in *libro de opificio mundi*, et GERH. IO. VOSSIVM in *theſibus theologico-hiſtoricis, diſput. I. de creatione.*

SECTIO

Digitized by Google

Sectio IV.

Patres per omnia ſaecula, qui doctrinam de prouidentia ſcriptis vindicarunt, enumerans.

§. I. Cum Chriſtiani primaeui male audirent ethnicis, ac ſi Atheiſmi vindices eſſent, ideoque publicarum calamitatum in imperio Romano auctores vulgo dicerentur, iidem Chriſtiani non ſolum in apologiis, verum etiam ſingularibus libris calumniam impactam a ſe propulſarunt, et doctrinam de prouidentia vindicarunt. Accedebat et hoc, quod antiqui philoſophi, fatum asſerendo, negotium quoque Chriſtianis faceſſerent.

§. II. Ex Patribus, qui doctrinam de prouidentia probe vindicarunt, ſequentes ſunt primarii:

Anno 172. BARSEDANES, Syrus, elegantem conſcripſit *dialogum contra doctrinam de fato.*

Anno 177. ATHENAGORAS in *apologia pro Chriſtiana religione* ſatis perſpicue defendit prouidentiam diuinam, et, quod mirum adeo eſt, eandem ad minutiſſima quaeque ſe exſerere docet. Locum hunc aureum ATHENAGORAE maximo opere laudat GROTIVS *ad Matth. X, 29.* et PAVLVS LEOPARDVS *lib. XIX. emendationum, cap. IX.*

Anno 230. ORIGENES cum in *libris contra Celſum*, tum in *commentario in Geneſin*, fatum philoſophorum refellit.

Anno 378. DIODORVS, epiſcopus Tarſenſis, ſcripſit *libros VIII. contra aſtronomos et aſtrologos.*

Anno 398. CHRYSOSTOMVS ſcripſit *orationes VI. de fato et prouidentia.*

Anno 410. SYNESIVS ſcripſit *libros II. de prouidentia.*

Anno 423. THEODORETVS ſcripſit *orationes X. de prouidentia.*

Anno 440. SALVIANVS ſcripſit *libros VII. de prouidentia et gubernatione Dei, deque iuſto ac praeſenti eius iudicio.*

Anno 507. FVLGENTIVS, Afer, *librum* ſcribendo *de noxiorum et vilium animalium creatione*, prouidentiam Dei exacte asſeruit.

§. III. Plures Patrum libros recenſent PETAVIVS in *opere de opificio mundi*, et FABRICIVS *lib. III. bibliothecae Graecae, cap. XX. pag. 516.* Ceterum in actis publicis atque ſcriptis varia monu-

Digitized by Google

monumenta fidei de prouidentia diuina exſtare voluerunt antiqui Chriſtiani. Hinc imperatores et reges in mandatis ſuis hanc piam formulam *regnante Chriſto*, primo loco ponebant. Conf. de hac pia veterum formula DAVIDIS BLONDELLI ſingularem *diſſertationem*, et STEPH. BALVZII *notas ad capitularia veterum regum Francorum.*

§. IV. Male tamen quis vitio verteret Patribus, ſi quos inter illos Atheorum patronos diceret. Non nego, plures ex Patrum ordine cauſam DIAGORAE MELII aliorumque Atheorum defendendam in ſe ſuſcepiſſe, vti oſtendit FABRICIVS *lib. II. Biblioth. Graecae*, *pag.* 775. At vero beati Patres cum ſecum mente recolerent, quam vim ethnici philoſophis prudentioribus intuliſſent, DIAGORAM MELIVM aliosque minus recte Atheiſmi accuſatos eſſe, exiſtimarunt.

SECTIO IV.
Patrum peculiares opiniones de prouidentia Dei ſiſtens.

§. I. Cenſuram inter Patres incurrit S. HIERONYMVS, vtpote qui viſus eſt negare prouidentiam diuinam in viliſſimis atque leuiſſimis animalculis. Dicam hic HIERONYMO ſcribunt LVDOV. ELLIES DV PIN *Tom. III. Biblioth. nouae*, *pag.* 163. et IO. ADAM. SCHERZERVS in *ſyſtemate theologico*, *pag.* 129. At vero HIERONYMI cauſam defendunt GROTIVS *ad Matth. X*, 29. IVRIEV in lib. Gallico *de religione Latitudinariorum*, *part. II. cap. IV.* exiſtimantes, HIERONYMVM non tam de ipſa prouidentia Dei, quam de modo prouidentiae diuinae erga animalcula longe inferiori gradu, quam quidem erga homines fit, ſeſe exſerentis intelligendum eſſe.

§. II. Simili ratione SYNESIVS in ius vocatur a IO. CASP. SVICERO in *Theſauro Eccleſiaſtico*, *voc.* ἐκλειτεργέω. At vero facili negotio purgari poterit SYNESIVS, ſi dixeris, hunc quoque de gradibus prouidentiae diuinae diſtinctius diſſerere.

§. III. Sanctus METHODIVS, qui vixit circa annum 290. apud EPIPHANIVM asſerit, prouidentiam Dei non niſi cauſas vniuerſales curare, et particularia quaeque angelis committere. Hoc in primis ſancto METHODIO vitio vertit DALLAEVS *de abuſu Patrum*, *p.* 265. Sic et alii Patres angelos faciunt praeſides

et

Digitized by Google

et cuſtodes rerum inanimatarum atque minutiſſimarum, quorum catalogum recenſet COTELERIVS in *notis ad lib. I. Hermae,* ad *viſionem IV.* §. 2. Inprimis S. HIERONYMVS rebus inanimatis et viliſſimis angelorum cuſtodiam praefigit. Sed facile cum veritate religionis beatos Patres conciliat BARTOLOCCIVS *Tom. I. p. 275.* dicendo, nihil derogari prouidentiae diuinae, quando Patres rebus particularibus et leuioribus curam angelorum aſſignant. Nam inde liquet, angelos diuinae prouidentiae exſecutores eſſe. Iam vero ſub cauſa principali bene militat cauſa inſtrumentalis ſecundaria.

§. IV. Magnae quoque ſunt lites de doctrina AVGVSTINI circa prouidentiam diuinam. MALEBRANCHIVS cum in ſcriptis ſuis doctrinam de concurſu et efficacia cauſarum ſecundarum aliter, quam vulgo fit, exponeret, atque doceret, quod creaturae tantum ſint cauſae occaſionales, tantumque agant per deſideria, Deus autem ſolus vere et realiter, in partes ſuas trahere voluit S. AVGVSTINVM. Vindicauit autem AVGVSTINVM pro merito ANTON. ARNALDVS in *diſſert.* qua exhibet *rationem diuinam patrandi miracula in V. T. miniſteriis angelorum, cap. III. §. 5.*

§. V. Cum miracula praecipuam partem prouidentiae diuinae conſtituant, ſunt ex recentioribus ſcriptoribus, qui inter Patres CHRYSOSTOMVM ex eo capite accuſant, quod in Eccleſia antiqua anno 398. miracula iam defeciſſe ſtatuat, atque adeo relationem veterum de miraculoſa et horrenda IVLIANI *Apoſtatae* morte dubiam faciat. At ſcriptor quidam Anglus anonymus, qui anno 1683. in 8. edidit *Triumphum Chriſtianiſmi,* bene obſeruat, CHRYSOSTOMVM tantum loqui de paucitate et infrequentia miraculorum temporis ſui: vt adeo in morte IVLIANI omnino aliquid diuini fuerit.

SECTIO VI.

Syſtema haereticorum in doctrina de prouidentia Dei ſiſtens.

§. I. Cum Gnoſtici male ſentiant de creatione, mirum non eſt, ſi de prouidentia quoque male ſentiant. Vti ex IRENAEO obſeruat KINGIVS *pag. 37.* Supremum Numen imaginario quodam loco, tanquam certo limite, circumſcripſerunt, et locum illum

Digitized by Google

illum πλήρωμα vocarunt, in coelo ſeptimo ſitum; diabolum autem inferiorem hunc mundum habitare, regere et tyrannide opprimere permiſſu ſupremi numinis. Induxit autem illos in errores, quia, vt ſupra iam obſeruauimus, vocem Graecam N.T. κοσμοκράτορα, h. e. den Fürſten der Welt, non recte intelligerent.

§. II. Marcionitis quoque aliud in mentem venit, quando diabolo imperium mundi adſcribunt. Ignorantia Scripturae ſacrae, quae et Gnoſticos fefellit, eosdem in errores deduxit. Sanctus IRENAEVS, qui Gnoſticis obuiam iuit, nec his ſuffragari potuit, quemadmodum KINGIVS oſtendit. Etiam S. CHRYSOSTOMVS in ſingulari *homilia* expoſuit, a diabolo nunquam prouidentiam circa res mundanas arceſſendam eſſe.

LOCVS IV.

DE ANGELIS ATQVE STATV INTEGRITATIS PRIMI HOMINIS.

SECTIO I.

Singulares Patrum opiniones in doctrina de angelis ſiſtens.

§. I. Singularis Patrum opinio eſt de angelorum malorum notitia in rebus ſpiritualibus, praeſertim illis, quae ſpectant ad myſterium incarnationis. Inducti autem Patres ſunt in hanc opinionem occaſione tentationis Chriſti a Matthaeo cap. IV. conſignatae. Ex illo colligunt, myſterium incarnationis diabolo ignotum fuiſſe, quia alias neutiquam Chriſtum tentaſſet. De hac Patrum ſingulari opinione agunt COTELERIVS *in epiſtolas Ignatii ad Magneſios, p. 16.* et *ad Philippenſes;* HALLOIXIVS in *apologia pro ſcriptis Ignatii ad Magneſios et Philippenſes, cap. V.* GROTIVS *ad Matth. IV.* VEDELIVS in *Notis criticis in epiſtolam Ignatii ad Philippenſes*, et VSSERIVS in *Prolegom. ad Ignatium, cap. XII.* Quodſi argumenta Patrum ponderemus, eo rem deuenire videmus, vt merito medium quis teneat. Simpliciter non ignorauit diabolus myſterium, quicquid etiam Patribus videatur; dubius tamen fuit, quod et viſum eſt Patribus poſterioris aeui.

§. II. Grauior error videtur, quando beati Patres corpora angelis adſcribunt. Primus ad examen vocatur TERTVLLIANVS a DALLAEO *de abuſu Patrum, pag. 216.* Erroris ſocius tradi-

traditur S. HILARIVS a DV PINIO *Tom. II. Bibliothecae nouae, pag. 96.* Non recte quis conſiderare poterit Patrum ſententiam de ſubſtantia corporea angelorum, niſi prius perſpexerit, quid per vocem *corpus* velint deſignare. Scilicet, vti obſeruat SCRIVENERIVS in *Apologia pro S. Patribus contra Dallaeum*, *p. 160.* antiqui Chriſtiani quodlibet ſubſiſtens atque permanens ſtilo ſingulari *corpus* nuncuparunt. Hinc TERTVLLIANVS in *Libro de carne Chriſti*, *cap. VI.* angelis corpus tribuit, ſed ſui generis corpus, quia procul dubio, ſummi et incircumſcripti ſpiritus comparatione, naturam ſpirituum creatorum aliter exprimere haud potuit. Conf. Patrum defenſores, BVLLVM in *defenſione fidei Nicenae*, SVICERVM in *Theſauro eccleſiaſtico*, in *voce* ἄγγελος, PETRVM POSSINVM in *Collectione ſcriptor. aſceticor.* et HVETIVM in *Origenianis*, *lib. II. cap. II. quaeſt. V. §. 5.* Praedictis auctoribus adiiciendus eſt PETRVS COVTANTIVS, qui in *Prolegomenis ad Hilarium* luculenter oſtendit, quo pacto non ſolum HILARIVS, ſed et reliqui Patres cum recepta veritate conciliandi ſint.

§. III. De lapſu angelorum etiam Patres ſingularem fouent ſententiam. Scilicet exiſtimant, diabolum ignoraſſe, vtrum aeternis cruciatibus vexandus ſit, nec ne, antequam Chriſtus publice illud praedicauerit, Plures in ea fuere ſententia apud EVSEBIVM *lib. IV. hiſtor. eccleſ. cap. XVIII.* EPIPHANIVS apud DALLAEVM *pag. 273.* ISIDORVS PELVSIOTA *lib. II. epiſt. XC.* Atque hoc pacto putant, ſe rationem reddere poſſe, cur diabolus tot homines tempore Chriſti obſeſſione corporali diſcruciarit.

§. IV. S. HIERONYMVS quoque male audit, quando, teſte et iudice DALLAEO *pag. 276.* angelos bonos peccato inuidiae obnoxios facit, etiam in ſtatu confirmationis. At vero facile excuſari poterit HIERONYMVS, ſi dicas, illum more ſuo non propriam ſententiam referre, ſed aliorum. Iam vero, vti obſeruauit GROTIVS *ad Gal. I, 8.* antiqui Ebraei (Iudaeis autem doctoribus vſus eſt HIERONYMVS) credunt, angelos etiam in ſtatu integritatis mali aliquid facere poſſe. Deinde credo, reſpicere beatum HIERONYMVM ad conflictus bonorum angelorum, qui in ipſa Scriptura S. recenſentur. Sic v. g. Daniel. cap. X. prin-

 ceps

ceps regni Perſarum angelus cum Michaële principe, angelo Iſraelitici populi, litem habet. Hac ratione ab omni haereſeos macula HIERONYMVS immunis eſt. Denique haec ſententia promanauit a Patrum communi principio, asſeuerantium, quod cuilibet genti ſingulares angelos Deus asſignauerit. Conf. SPENCERVM *ad Origenis libros contra Celſum, pag. 89.* Hanc doctrinam autem deſumſerunt Patres ex verſione LXX. interpretum ad Deuter. XXXII, 8. vbi fines gentium dicuntur diſpoſiti iuxta numerum angelorum Dei. Singularis quoque Patrum opinio eſt, exiſtimantium, angelos ſuperiores ſemper coram Deo ſtare; reliquos vero hominibus miniſtrare. Patrum loca collecta videas apud COTELERIVM *ad Clementis conſtitutiones*, et BARTOLOCCIVM *Tom. I. Biblioth. Rabb. pag. 274.* Quod tamen effatum contra Scripturam S. videtur nonnullis eſſe.

§. V. Et hoc quoque ſingulare quibusdam videtur, quod asſerunt, angelos daemonibus, tanquam praeſides, datos eſſe atque imperare. Ex hac asſertione illuſtrant difficilia Scripturae loca, in quibus asſeritur, diabolum in medio filiorum Dei apparuiſſe. Scilicet illa geſta non ſunt coram Deo in coelo et immediate, ſed in terra, mediante angelo, qui nomen obtinet, atque cum diabolis ea ratione, quae ſpiritibus conuenientisſima eſt, colloquitur. Conf. iterum BARTOLOCCIVM *Tom. I. Biblioth. Rabb. pag. 301.*

§. VI. Quando plurimi Patres Gen. VI, 2. male interpretantur de angelis Dei, qui cum mulieribus conſueuerunt, hic error promanauit ex vitioſa verſione antiqua, Graeca et Latina, vbi angeli Dei pro filiis Dei in textu reperiuntur. Conf. SPENCERVM *ad Origenis libros contra Celſum, pag. 69.* et SCALIGERVM in *Notis ad Chronicon Euſebii, pag. 404.* Enochi quoque liber ſuppoſititius beatis Patribus impoſuit.

§. VII. Denique et hoc commemorandum eſt, quod beati Patres cuilibet homini ſingularem angelum cuſtodem asſignent, qui moneat non ſolum ad virtutes, verum etiam increpet, atque hominem contumacem opprobrio exponat coram Deo, ſi obſequium deneget. Obſeruandum autem eſt, hanc opinionem non ab omnibus eſſe receptam. Certe CLEMENS *Alexandrinus* anno 192. dubitat de angelo cuſtode, ſingulis hominibus asſigna-

ſignato. Patres in errorem induxit Scriptura perperam intellecta. Vid. Matth. XVIII, 10. Act. XII, 14. Ex philoſophia quoque Platonica atque Stoica (conf. LIPSII *Phyſiologiam Stoicorum lib. I. cap. XIX.*) Patres hunc errorem deſumſerunt. Conf. plura de hac Patrum opinione apud VECHNERVM *de palo Paulli, Sect. LIII. pag. 213.* SPENCERVM *ad Origenem, pag. 91.* et STEPH. CLERICVM in *quaeſtionibus ſacris, pag. 331.* Atque ita Patres philoſophos antiquos ſecuti, et malum et bonum genium cuivis homini vindicarunt.

SECTIO II.

Scripta Patrum per omnia fere ſaecula de doctrina, quae ad angelos ſpectat, ſiſtens.

§. I. Poſt beatos apoſtolos, qui diſtinctius doctrinam de angelis tradidit, eſt IGNATIVS *Antiochenus.* Ille gloriatur in quadam *epiſtola*, quod ſibi poſt apoſtolum Paullum innotuerint non ſolum nomina, ſed et officia angelorum. Locum hunc IGNATII ſuſpectum reddit IO. WINCKLERVS in dem Bedencken von den Aſſeburgiſchen Offenbarungen gegen D. Peterſen, ſed fruſtra, ſi audias PEARSONIVM perſonam IGNATII ſtrenue defendentem. Eadem aetate fere apoſtolus BARNABAS in ſua *epiſtola* multa de angelo tenebrarum tradit, oſtenditque, officium angelorum conſiſtere non ſolum in defendendis corporibus noſtris, verum etiam in piis ſuggeſtionibus ſuppeditandis. TERTVLLIANVS mox diſtinctius doctrinam de angelis tradidit, exiſtimans, cuilibet angelo cuſtodi ſingularem virtutem demandatam eſſe, quam in homine quolibet inſtituendo excolat. Sic v. g. orationi fidelium et poenitentiae ſingularem adſcribit angelum.

Anno 230. ORIGENES (de cuius ſingularibus erroribus deinceps diſtinctius agemus) de angelorum ſuggeſtionibus idem cum reliquis Patribus asſeruit; hoc addendo tamen, quod reliqui minus accurate expoſuerant, ſcil. doctrinam de diuinatione daemonum in explorandis cogitationibus noſtris.

Anno 290. S. METHODIVS in *tractatu de Saga Endorea atque apparitione* Samuelis multa habet, quae huc ſpectant.

Digitized by Google

Anno 325. EVSTATHIVS eandem rem, quam exponere ſusceperat METHODIVS, ſingulari libro expoſuit, in primis ORIGENEM ad examen vocauit.

Anno 362. Auctor ille, qui ſub DIONYSII *Areopagitae* nomine *hierarchiam coeleſtem* ſcripſit, multa habet de nominibus atque officiis angelorum. APOLLINARI Seniori hunc librum vindicat CAVEVS. Ego cum EDVARDO STILLINGFLEETO in *reſponſione ad Creſſii apologiam de fanaticiſſmo Eccleſiae Romanae, cap. II. p. 130.* adſcribere malim DIONYSIO cuidam, APOLLINARIS Senioris diſcipulo, qui hoc opus condiſcipulo ſuo TIMOTHEO dedicauit. Integrum ſyſtema ex Platonicorum ſcriptis, IAMBLICHI, PLOTINI, PROCLI aliorumque deſumtum eſt. Neque mirum hoc: nam APOLLINARIS philoſophiae Platonicae, imo vniuerſae profanae eruditionis plus aequo ſtudioſiſſimus fuit. Ceterum hanc DIONYSII doctrinam cum antiquis Iudaeorum placitis conciliare laborauit BARTOLOCCIVS.

Anno 396. S. AVGVSTINVS librum egregium ſcripſit *de diuinatione daemonum,* in quo doctrinam de ſuggeſtionibus Satanae cum Patre CASSIANO in *collationibus monaſticis* profunde examinauit.

Anno 398. S. CHRYSOSTOMVS ſingularem conſcripſit *homiliam de diabolo tentatore.*

Anno 595. ISIDORVS Iunior in *libro de ordine creaturarum* non pauca de angelis habet.

Anno 629. SOPHRONIVS *duas homilias* edidit *de archangelis atque angelis, eorumque virtutibus ſingulis.*

§. II. Ex ſaeculis adhuc ſequioribus adiicere licet MICHAELEM PSELLVM, qui *de operationibus daemonum* ſingularem librum conſcripſit. Addes quoque IOANNIS GERSONIS ſingularem librum *de diſcretione ſpirituum*, et IO. BONAM, qui in ſpeciali libro omnia Patrum loca ad doctrinam de diſcretione ſpirituum ſpectantia diligenter excuſſit.

§. III. Quoniam ORIGENES in antiqua Eccleſia multos habuit patronos ſententiae ſuae de angelis; iam vero circa annum 270. THEOGNOSTVS exacte ORIGENIS ſyſtema ſecutus eſt: operae pretium erit, breuibus ORIGENIS ſyſtema ob oculos ponere.

Digitized by Google

ponere. Conſulendus autem eſt CAVEVS in *Hiſtoria literaria part. I.*

I) Aſſeruit, angelos ab aeterno conditos eſſe.

II) Docuit, propter varios motus et diuerſum liberi arbitrii vſum in varios ordines, cum antea omnes eiusdem fuiſſent naturae, diſtinctos fuiſſe.

III) Credidit, modo grauiora, modo ſubtiliora corpora pro criminum modo ac menſura angelos indutos eſſe. Antea enim, exiſtimant, angelos fuiſſe νόας, h. e. mentes corpore plane carentes.

IV) Omnes angelos, quotquot ſint, et in quantacunque etiam dignitate conſtituti, ſubtili quodam corpore inſtructos eſſe docuit, ſimul aſſerens, incorporeos eosdem dici poſſe, reſpectu tantum corporum terreſtrium.

V) Statum confirmationis bonorum angelorum plane negauit ORIGENES, dum docet, angelos modo in ſuperiorem gradum virtutis aſcendere, modo in inferiorem deſcendere.

VI) Hinc etiam credidit, angelos in futuro demum die praemium obtinere iuxta ſingularem induſtriam, quam in homine defendendo et monendo adhibuerint. Conf. SPENCERVM *ad Origenem contra Celſum, pag. 62.* et GROTIVM *ad 1 Cor. VI, 3.* qui nouo quodam figmento errorem ORIGENIS ornare voluit.

§. IV. Ad calcem huius ſectionis adiicimus beatos Patres, qui, doctrinam de vitioſis cogitationibus ſingulari induſtria exponentes, doctrinam de ſuggeſtionibus Satanae perſpicue expoſuerunt.

Anno 373. S. MACARIVS eximium *librum* ſcripſit de *cuſtodia cordis.*

Anno 380. EVAGRIVS *Ponticus* peculiarem *librum* ſcripſit *de vitioſis et blaſphemis cogitationibus.*

Anno 440. NILVS *duos libros* ſcripſit *de vitioſis cogitationibus.*

Anno 571. SIMEON *Stylita orationem* ſcripſit, ſiue *preces pro vitioſis cogitationibus eliminandis.*

Anno 614. S. ANTIOCHVS monachus peculiarem *librum de blaſphemis cogitationibus* ſcripſit.

Ex ſequioribus ſaeculis his addere poteris S. BERNHARDVM, HVGONEM *de Sancto Victore*, GVILIELMVM *Pariſienſem.*

Digitized by Google

SECTIO III.

Singulares Patrum opiniones de ſtatu hominis primi ſiſtens.

§. I. Singularis fuit Patrum opinio *de lapſu primi hominis*, exiſtimantium, eo turpiorem hunc fuiſſe lapſum, quo debilior fuit hoſtis, qui Adamum in errores induxit. Exiſtimant enim, id ex Ioh. VIII, 44. colligi poſſe, quod ſcilicet non ſupremus quidam ex diabolis, ſed inferior daemon primis parentibus inſidias ſtruxerit. Vocem autem πατὴρ de auctore atque principe acceperunt, quemadmodum ſignificatus huius vocis Gen. IV. occurrit. Vocem ἀυτȣ̃ non retulerunt ad vocem ψεῦδος remotiorem, ſed ad proximam ψεύςης.

§. II. De *corpore Adami* ſingularem quoque fouent ſententiam, exiſtimantes, corpus admodum pellucidum fuiſſe, atque illo ſplendore inſtructum, quem in vita aeterna habebit.

§. III. De *imagine Dei* minus diſtincte loquuntur Patres. Maxima pars aſſerit, imaginem Dei nihil aliud eſſe, quam dona Spiritus ſancti, quae in regeneratione homines accipiunt. De concreata iuſtitia et ſanctitate vix vlla eſt mentio: quia partim philoſophiae amor nimius, partim temporis ratio, atque aduerſariorum abſentia non ſuppeditabant anſam diſtinctius loquendi. Atque hinc factum eſſe exiſtimauerim, vt de theologia naturali Adami minus praeclare ſentirent Patres. Exiſtimarunt enim, producta lege Moſaica decalogi normam dictinctius hominibus innotuiſſe. Sic e. g. AMBROSIVS, iudice DALLAEO *pag. 271. de abuſu Patrum*, adulterium non fuiſſe illicitum exiſtimat, antequam lex Moſis promulgaretur. Partes quidem AMBROSII tuetur hic NICOL. NOURRIVS, qui exiſtimat, AMBROSIVM πολυγαμίαν hic ſignificare nomine *adulterii*, vt DALLAEVS ex ignorantia ſtyli *Ambroſiani* lapſus ſit. At vero, quicquid ſit, ex ORIGENE et AMBROSIO perſpicuum eſt de theologia Patrum naturali, non ſatis diſtincte illos locutos eſſe.

§. IV. Cum igitur de ſtatu primo hominis integri minus accurate locuti ſint Patres, dubii quoque fuerunt de imagine diuina deperdita. Certe de libero arbitrio etiam in ſpiritualibus reliquo ita loquuntur Patres, vt iacturam imaginis exiguam faciant. Sic ſtatim male audiunt IVSTINVS *Martyr*, CLEMENS *Alexandrinus* atque alii Patres, qui primis ſaeculis vixerunt. Equidem excuſari poſſunt Patres, ſi audiamus GROTIVM, *ad Matth.*

Digitized by Google

Matth. XIX,17. et SVICERVM in *Theſauro eccleſiaſtico*, ſi attendamus, Patres multam litem habuiſſe cum ſcriptoribus gentium, qui fatum, quo voluntas hominis cogatur, ſtrenue asſeruerunt. SVICERI locus eſt in *voc. αὐτεξούσιον.*

§. V. Vt autem ita de libero arbitrio Patres ſentirent, aliis quoque rationibus inducti ſunt. Scilicet cum viderent, gentiles ſcriptores, v. g. PLATONEM, PYTHAGORAM aliosque, de impietate cordis humani ſatis pie loqui, (Patrum quidem iudicio) noluerunt in hanc arenam deſcendere, et in fontem tantae malitiae (quod tamen maxime neceſſarium erat) inquirere. Sunt, qui beatos Patres ideo in cenſuram vocant, et de lapſu generis humani parum recte iudicaſſe exiſtimant. Inter hos primus eſt praecipuusque ELLIES DV PIN, qui in *Bibliotheca noua* aſſerit, CYPRIANVM demum anno 248. inter Patres omnium primo perſpexiſſe, quantum mali e lapſu Adami in poſteros ſit deriuatum. Idem exiſtimat, nullam mentionem huius doctrinae eſſe apud IVSTINVM *Martyrem*, IRENAEVM, TERTVLLIANVM, CLEMENTEM *Alexandrinum* et ORIGENEM. Laudatum DV PIN ſecutus eſt BASNAGIVS in *Hiſtoria Eccleſiae Chriſti*, qui in primis CLEMENTI *Alexandrino* et IOANNI CHRYSOSTOMO dicam ſcribit. Sunt tamen, qui vindicias Patrum in ſe ſuſceperunt, quos inter primarius eſt MATTHAEVS PETITDIERIVS in *Annotationibus ad Du Pinii Bibliothecam* Gallice conſcriptis. Cum hoc facit COUTANTIVS in *prolegomenis ad S. Hilarii opera*, SVICERVS in *Theſauro eccleſiaſtico, Tom. I. pag. 210.* Cum his auctoribus coniungendus etiam eſt SPENCERVS, qui CLEMENTEM *Alexandrinum*, ORIGENEM aliosque primorum ſaeculorum Patres ita defendit in *libris ad libros Origenis contra Celſum, pag. 54.* vt lector colligere queat, Patrum verbis, ſi emolliantur, aliquid veniae dari poſſe. CHRYSOSTOMVS autem ſemetipſum optime vendicat in aliquot *homiliis* et *epiſtolis*, in quibus oſtendit, nihil magis homini nocere, quam contagio peccati, atque labes a primis parentibus nobis inflicta.

§. VI. Quod ignorauerint illum lapſum Adami, etiam anſam dedit quibusdam Patribus, de *peccatorum illecebris atque lenociniis* minus accurate diſſerendi. Hic iterum in cenſuram vocatur CLEMENS *Alexandrinus*, ac ſi ſtatuiſſet, hominem, etiamſi

iamſi Adamus lapſus ſit, ita ſe perfectum reddere poſſe, vt nec tentationum quidem primo impetu percellatur. Doctrinam hanc hauſit ex ORIGENE, qui impaſſibilitatem animae aſſeruit. Etiam EVAGRIVS *Ponticus* ſingulari libro ἀπάθειαν aſſeruit. Plura hanc in rem habent IO. CLERICVS in *epiſtola critica*, ITTIGIVS in *diſſertatione de haereſiarchis*, *pag.* 181. THOMASIVS in *ſchediaſmate de philoſophiae definitione*, et HVETIVS *in Origenianis*, *lib. II. cap. II. quaeſt. VII.* §. 19. At vero ſunt iterum, qui beatorum Patrum phraſes mollius exponunt, vt COTELERIVS *ad lib. V. recognitionum Clementis Romani*, §. 2. GVILIEL. CAVEVS in *epiſt. apologet. pag.* 60. NOURRIVS in *apparatu ad Bibliothecam Patrum Lugdunenſem.* Ex poſtremis autem auctoribus facile conciliare poteris beatos Patres, ſi, quod ipſorum etiam ſcripta indicant, dixeris, voces *impaſſibilitatis* et *impeccabilitatis* laxius vſurpatas eſſe, pro eo ſtatu, in quo viri pii nec grauioribus peccatis ſuccumbunt, nec tentationibus grauioribus obnoxii ſunt, vt Deum eiusque partes deſerant.

SECTIO IV.

Auctores, qui doctrinam de ſtatu hominis primi expoſuerunt, ſiſtens.

§. I. Auctores, qui doctrinam de imagine Dei et hominis prima creatione expoſuerunt, ſunt ſequentes:

Anno 192. TERTVLLIANVS ſcripſit librum *de anima*, in quo multa habet huc ſpectantia.

Anno 290. METHODIVS edidit librum *de libero arbitrio.*

Anno 325. EVSTATHIVS *Antiochenus* librum *de anima* exarauit.

Anno 370. GREGORIVS *Nyſſenus* peculiarem librum ſcripſit *de imagine et ſimilitudine Dei in homine; orationes II. de hominis primi creatione*; librum *de anima; librum* denique *de communibus notionibus aduerſus Patres.*

Anno 374. AMBROSIVS librum ſcripſit *de dignitate humanae conditionis*, atque alterum *de paradiſo.*

Anno 378. HIERONYMVS ſcripſit ſingularem *epiſtolam ad Marcellinum de illis Patribus et philoſophis, qui de origine animae aliquid memoriae mandarunt.*

Anno 378. DIODORVS *Tarſenſis* contra diuerſas ſectas *de anima*

ma ſcripſit. Cum hoc coniungere potes ANONYMVM quendam Scriptorem *de diuerſis circa animam opinionibus*, quem IOANNES TARINVS *Philocaliae Origenis* ſubiecit.

Anno 380. NEMESIANVS elegantem librum ſcripſit *de natura hominis*, cum quo LACTANTII *librum de Dei opificio* conferre poteris.

Anno 396. S. AVGVSTINVS peculiarem librum ſcripſit *de animae immortalitate*, atque alterum *de quantitate animae.* Ceterum quaenam doctrina fuerit AVGVSTINI cum de natura, tum de origine animae, ſingulari libro expoſuit MICHAEL ANGELVS FARDELLA, theologus Italus.

Anno 398. S. CHRYSOSTOMVS ſcripſit ſingularem *homiliam in illa Geneſeos verba: Faciamus hominem.*

Anno 405. PRVDENTIVS in *hamartigenia* originem peccati deſcripſit.

Anno 487. AENEAS *Gazaeus* ſcripſit *dialogum*, quem *Theophraſtum* vocat, *de animarum immortalitate.*

Anno 514. CASSIODORVS *librum de anima* ſcripſit.

Anno 526. EPHRAEMVS *Antiochenus libro II. pro eccleſiaſticis dogmatibus et ſynodo Chalcedonenſi* accurate diſputauit, quomodo Adamus, ſi compoſitum quid creatus ſit, immortalis eſſe potuit? quaenam eius in ſtatu integritatis ignorantia? et quid velint verba: *Adam factus eſt, ſicut vnus ex nobis?*

Anno 780. FLACCVS ALCVINVS ſcripſit *librum in illa verba Geneſeos: Faciamus hominem;* item alium *de animae ratione.* Vid. ITTIGIVM in *Bibliotheca Patrum.*

§. II. Quod ad praedictos auctores attinet, obſeruandum eſt, illos ſingulares habuiſſe hypotheſes de immortalitate animae humanae. Scilicet TERTVLLIANVS, IVSTINVS *Martyr* aliique docuerunt, mentibus noſtris non eſſe datam naturam immortalem, quin potius praeter naturam poſt fata conſeruari, vel per Dei omnipotentiam ad poenas infligendas, vel per Spiritum Chriſti in baptiſmo acceptum et ab anima hominis diſtinctum, ad vitae ſempiternam fruitionem. Conf. pluribus de hac Patrum opinione diſſerentes GROTIVM *ad Matt. XXV, 46. 1 Theſſ. V, 23.* et *1 Tim. VI, 16.* DV PINIVM *Tom. I. Biblioth. nouae, pag. 73.* et

HENRICVM DODWELLVM in *diſſert. epiſtolica*, Anglice dicta. Sunt tamen nonnulli, qui Patrum opinionem hanc mollius exponunt atque excuſant: quos inter praecipue ſunt PETITDIERIVS in *cenſura Bibliothecae du-Pinii*, TILLEMONTIVS in *memoriis ad hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantibus*, *Tom. III. pag. 626.* et ALB. ZVM FELDEN in *epiſt. ad Kochium*, *pag. 110.*

§. III. Alii Patres corpus animae adſcribunt, quos inter praecipue ſunt IRENAEVS atque TERTVLLIANVS, qui exiſtimant, animas, licet corpore ſolutas, characterem corporis et veluti hominis figuram habere, imo lineamenta, vt cognoſcantur. Conf. DALLAEVM *de abuſu Patrum*, *pag. 257.* et GROTIVM in *Commentario ad Luc. XVI, 23.* DV PINIVS tamen Patrum honori conſulit, dum exiſtimat, Patres ita locutos eſſe, vt tantum animas a ſe inuicem diſtinguerent. Eadem igitur ratione excuſare poſſumus S. MACARIVM atque HILARIVM, qui tribuunt angelis corpus quoddam: ſcilicet vocem *corpus* acceperunt improprie pro re vere exiſtente. Conf. PETRI POSSINI *Theſaurum ſcriptorum aſceticorum*, et COUTANTIVM in *Prolegomenis ad Hilarium.* Vide ſupra *Sect. I. §. 2.*

§. IV. Quemadmodum ſupra dixi, S. AVGVSTINVS inter Patres de anima et copioſiſſime et doctiſſime commentatus eſt, adductis paſſim variis argumentis philoſophicis, quae ſubtiliſſimis etiam philoſophis ad palatum fuerunt. Hinc recentiſſimi ſcriptores opinantur, ex AVGVSTINO et CLAVDIANO MAMERTO omnia CARTESIVM deſumſiſſe, quae de anima literis commendauit. Vid. MARVILLIVM *Tom. II. miſcellaneorum*, *pag. 316.* PETRVM *Syluanum* in *curſu integro philoſophiae, ſiue ſyſtemate generali ſecundum principia Carteſii*, Gallice conſcripto, DV PIN *Tom. IV. Biblioth. nouae*, *pag. 226.* et LVDOVICVM FORGIVM in *praefat. libri de anima hominis.*

§. V. Neque ipſis brutis beati Patres rationem denegarunt. LACTANTII atque ARNOBII loca in medium a recentioribus philoſophis proferuntur. Conf. prolixe de hac re diſſerentem PETRVM BAELIVM in *dictionario hiſtorico-critico.*

LOCVS

Digitized by Google

Locvs V.

DE LIBERO ARBITRIO ATQVE PECCATO.

Sectio I.

Scriptores per omnia fere ſaecula, qui doctrinam de libero arbitrio expoſuere, ſiſtens.

§. I. Dolendum omnino eſt, quod GERH. IO. VOSSII liber ſingularis, quo teſtimonia veterum de libero arbitrio collegerat, in lucem haud prodierit, ob inſtans auctoris fatum. Conf. ANTON. BORREMANSIVM in *veſperis Gorinchemenſibus*, *pag. 112.* Subſidii tamen aliquid ex eiusdem hiſtoria Pelagiana repetere poſſumus.

§. II. Antequam vero ſigillatim Patrum ſcripta recenſeamus, omnino discrimen eſt tenendum de Patribus Graecis et Latinis. Patres Graeci, quia a controuerſia cum PELAGIO remotiores erant, de libero arbitrio ita loquuntur, vt Proteſtantibus placere nequeant. Certe Patres Graeci a primae Eccleſiae infantia colluctati ſunt vel cum haereticis, qui ſtatuerunt, homines natura eſſe vel bonos vel malos; vel cum fato Stoicorum. De gratia diuina atque fide nulla controuerſia diſtincte erat propoſita. Hinc ISAACVS HABERTVS, epiſcopus Vabrenſis, vindicias Graecorum Patrum circa gratiam adornauit. Et Pontificii fere omnes de conſenſu Patrum Graecorum gloriantur. Conf. SIMONII *epiſtolas ſelectas*, *num. 14.* His adde FRANCISCVM COMBEFISIVM in *Notis ad Clementis Alexandrini libellum: Quis diues ſaluandus ſit?* Nam cum CLEMENS *Alexandrinus* de libero arbitrio plane dubius eſſet, vti ſupra iam monuimus, et SVICERVS in *Theſauro eccleſiaſtico*, *voce πίςις*, obſeruauit; dictus COMBEFISIVS inde patrocinium CLEMENTIS *Alexandrini* ſuscepit.

§. III. Latini Patres, ſi AVGVSTINVM et PROSPERVM *Aquitanum* conſulas, Proteſtantibus fauent; reliqui Patres Latini, licet Graecis Patribus diſtinctius loquantur de libero arbitrio, cum AVGVSTINO tamen et PROSPERO non conſentiunt ex omni parte, ſed inter praedictos auctores atque Graecos Patres ſunt medii, adeoque nec ipſis Proteſtantibus ex omni parte placere poſſunt. Inprimis in Eccleſia Gallicana antiqua peſſime habita eſt doctri-

Digitized by Google

doctrina AVGVSTINI, vtpote quae omnia gratiae diuinae adſcribendo liberum arbitrium tollere viſa eſt. Adducti igitur Patres Galli, vt et alii Patres ex Britannia ortum trahentes, ſunt ſequentes:

Anno 420. FASTIDIVS *Londinenſis* in *libro de vita Chriſtiana* Semi-Pelagianis fauere viſus eſt, iudice NORISIO in *hiſtoria Pelagiana*. Interim pro hoc FASTIDIO verba facit STILLINGFLEETVS in *originibus eccleſiarum Britannicarum cap. IV*.

Anno 424. CASSIANVS Semi-Pelagianiſmi accuſatur. Vid. DVPINIVM in *vita Caſſiani*, et CAVEVM in *hiſtoria literaria*. Interim non defuit CASSIANO defenſor, ſcilicet GERH. IO. VOSSIVS in *hiſtoria Pelagiana*.

Anno 430. HILARIVS *Arelatenſis* in doctrina de libero arbitrio contradixit AVGVSTINO, vti iterum obſeruat DV PINIVS.

Anno 434. VINCENTIVS *Lirinenſis* Semi-Pelagianiſmi ſuſpectus eſt. Vid. IOSEPHVM ANTELMIVM *diſſert. critic. IX. de veris operibus Leonis M. et Proſperi Aquitani*. Interim tamen VINCENTIVM defendunt FRANCISCVS MACEDO in ſingulari *apologia*, et SERAPHINVS PICCINARDI in *quaeſt. hiſtorico-theologica de nouitio opere, quod inſcribitur Praedeſtinatus*.

Anno 439. VALERIANVS *Cemelienſis* in ſcriptis ſuis Semi-Pelagianiſmum fouere viſus eſt. Sed purgant hunc auctorem THEOPH. RAYNAVDVS in *Apologia* ſingulari, IACOBVS SIRMONDVS in *epiſtola ad Cardinalem Barberinum*, et in breuibus *pro Valeriani ſanctitate et orthodoxia vindiciis*.

Anno 507. FVLGENTIVS *Ruſpenſis* in *libro de praedeſtinatione et gratia* Pelagianiſmi ſuſpectus videtur. Sed verba pro ipſo iterum facit RAYNAVDVS in *cenſura inofficioſae cenſurae Bellarmini, Poſſeuini aliorumque*.

Anno 507. LAVRENTIVS *Nouarienſis* in *homilia de muliere Cananaea* Pelagianiſmi accuſatur a MABILLONIO. Sed partes LAVRENTII ſuſcipit IOSEPHVS MARIA DE NOVARIA in *vitis Gaudentii et Laurentii*, et in peculiari *admonitione*, addita nouae editioni Mediolanenſi anni 1692. in 4.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. Quodſi autem breuiter conſignare velimus Patrum Gallorum, quos hactenus recenſuimus, ſententiam de libero arbitrio, ea haec eſt: Cenſent quidem, admittendum eſſe peccatum originale, et gratiae diuinae neceſſitatem, non modo cooperantis, ſed et praeuenientis; in plerisque tamen hominibus praecedere initium fidei ac conuerſionis deſiderium, ſolis naturae viribus excitatum: vt adeo hominem ad recipiendum verbum Dei praeparet. Hi primi naturae conatus gratiam diuinam deinceps non promerentur proprie; tamen occaſionem ſubminiſtrant, qua moueatur Deus, vt gratiam ſuam donet, tam eximium auſum boni luculento praemio rependens. Conf. CAVEVM *part. I. hiſt. liter. pag. 227.*

§. V. Ad Graecam eccleſiam nunc pergimus, vt ibi quoque videamus, quaenam ſit origo et progreſſus doctrinae de libero arbitrio. Atque iam ſupra annotauimus, cur Graeci Patres, praeſertim priores, minus diſtincte loquantur. Adduximus itidem eos, qui Patres vel impugnant, vel defendunt. Nunc diſtinctius de praecipuis agemus. GREGORIVS *Nyſſenus* cum IO. CHRYSOSTOMO Pelagianiſmi accuſatur a DALLAEO *de abuſu Patrum, pag. 220.* et *273.* Poteſt tamen defendi *Nyſſenus* ex *oratione*, qua *baptiſmum non eſſe differendum* cenſet. CHRYSOSTOMVM exacte defendit VOSSIVS in *hiſtoria Pelagiana*, cui adde SVICERVM *tom. I. Theſ. eccleſ. pag. 210.* ISIDORVS quoque *Peluſiota* in ſuſpicionem Semi-Pelagianiſmi venit; ſed laudatus VOSSIVS eundem purgauit.

§. VI. Quodſi breuiter conſignare velimus epicriſin quandam de hisce Patribus Graecis, crediderim, eos non PELAGIO conſenſum praebere, ſed Semi-Pelagianis, h. e. Patribus Gallicanis. Etenim initium fidei homini adſcribunt, incrementum Deo. Priores enim Patres Graeci, et quidem remotiores, durius adhuc locutos eſſe, exiſtimo.

SECTIO II.

Syſtema haereticorum de libero arbitrio ſiſtens.

§. I. Inter haereticos primi fuerunt Gnoſtici, qui homines natura vel bonos vel malos aſſeruerunt, diſtinguentes omne genus hominum in *animales*, (ψυχικὺς), *ſpirituales* (πνευματικὺς) atque

atque *terrenos* (χοϊκὲς). Syſtema horum haereticorum breuiter conſignauit ITTIGIVS in *diſſertatione de haereſiarchis apoſtolicis.*

§. II. Grauior lis de *libero arbitrio* orta eſt, cum anno 405. PELAGIVS doctrinam de libero arbitrio vulgo receptam in dubium vocaret. De hoc PELAGIO ex profeſſo agunt GERH. IO. VOSSIVS, HENR. NORISIVS, IO. GARNERIVS atque IACOB. BASNAGIVS. Hiſce obſeruatis, breuibus conſignabimus Syſtema errorum Pelagianorum:

I) Peccatum originis funditus PELAGIVS ſuſtulit, docens, Adami peccatum ſoboli eius non imputari;

II) Vnumquemque e contrario in eadem, qua Adamus creatus eſt, voluntatis perfectione naſci;

III) Mortem temporalem ſubire nos, non ob Adami lapſum, ſed naturae neceſſitate;

IV) Baptiſmum originalis peccati remedium non eſſe.

§. III. Hactenus Syſtema eius de libero arbitrio. Nunc Syſtema eius de *gratia Dei* recenſebimus.

I) De gratia Dei nec idem ſemper ſenſit, nec dixit. Antea omnia naturae tribuebat, poſtea, a Patribus conuictus, mutato nomine, ſententiam non mutauit. Etenim

II) Per gratiam potentiam naturae a Deo creatae, ſcilicet rationalem voluntatem, intellexit.

III) Gratiam Chriſti nihil aliud eſſe voluit, quam eius doctrinam et exemplum.

IV) Omnia virtutis officia, ipſam adeo poenitentiam quoque, a nobis ſine particulari diuino auxilio impleri poſſe adeo, vt, ſi gratia diuina admittenda ſit, inter vtilia ſolum, non autem neceſſaria ſit numeranda.

V) Liberum arbitrium eo vsque ampliauit, vt hominem ſine peccato viuere poſſe, totique Dei legi ad amuſſim ſatisfacere valere cenſeret.

VI) Homines, pleroſque ſaltem, non gratiae diuinae beneficio, ſed propter operum ſuorum merita iuſtificari et ad vitam aeternam praedeſtinari. Conf. CAVEVM *part. I. hiſtor. liter. pag.* 207.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. Ex integra errorum recenſione videmus, quam callidus fuerit PELAGIVS, et quinam terminorum luſus. Hinc quoque beati Patres *Commentario* PELAGII *in epiſtolas Paullinas* ita innocenter vſi ſunt, vt pro orthodoxo auctore illius Commentarii auctorem haberent; donec fraus a prudentioribus Patribus detecta eſt. Vid. CAVEVM *loc. cit.*

SECTIO III.

Auctores, qui doctrinam de peccato originis per omnia fere ſaecula expoſuerunt, ſiſtens.

§. I. Iam ſatis erat expoſuiſſe ſuperiori loco, quaenam ſit Patrum ſententia de ſtatu primi hominis: vbi videmus, ante CYPRIANVM, h. e. ante annum 248. neminem fuiſſe, qui diſtinctius ſit locutus de ſtatu primi hominis. At vero, vt diſtinctius res concipiatur, ſingulos auctores excutiemus de peccato originis ſcribentes. Seriem praecipuam debemus SPENCERO in *Notis ad Origenis libros contra Celſum, pag. 54.*

Anno 140. IVSTINVS *Martyr* in *expoſitione fidei* et *dialogo cum Tryphone Iudaeo* peccatum originis ſatis luculenter aſſerit.

Anno 162. IRENAEVS *lib. III. cap. XX. lib. IV. cap. V. lib. VIII. cap. XIV. XVI.* et *XVII.* ſatis luculenter itidem peccatum originis oſtendit.

Anno 192. CLEMENS *Alexandrinus lib. III. ſtromatum pag. 453. 463.* et *469.* idem praeſtitit.

Anno 192. TERTVLLIANVS paſſim peccatum originis profitetur, nempe in *libro de habitu mulierum, cap. I.* et *libro de anima, cap. XL.* et *libro de teſtimonio animae, cap. III. de poenitentia, cap. II.* et *aduerſus Marcionem, cap. II.*

Anno 230. ORIGENES paſſim in ſcriptis ſuis peccatum originis confitetur.

Anno 248. CYPRIANVS luculentiſſimus peccati originis teſtis fuit.

Anno 396. AVGVSTINVS primus fuit inter Patres, qui ſingularibus libris doctrinam de peccato originis atque libero arbitrio expoſuit. Inprimis noti ſunt et commendandi *libri*

Digitized by Google

libri eius *II. de gratia Chriſti et peccato originis contra Pelagium.*

Anno 405. PRVDENTIVS egregium *carmen* ſcripſit de origine peccati, ἁμαρτιγένειαν vocans.

Anno 416. PAVLVS OROSIVS ſcripſit *apologeticum aduerſus Pelagianos.*

Anno 444. PROSPER *Aquitanus* non ſolum in plurimis ſcriptis proſaicis doctrinam de libero arbitrio expoſuit, ſed et elegans *carmen* heroicum ſcripſit *de ingratis*, h.e. Pelagianis.

Anno 490. AVITVS, epiſcopus Viennenſis, in libris V. inter alia de origine peccati ſatis luculenter agit.

§. II. Quoniam AVGVSTINVS praecipuus auctor eſt doctrinae de peccato originis, et multi in hunc ideo ſunt iniurii, quod dicat, ſtimulos concupiſcentiae poſt baptiſmum nullos eſſe; hunc Patrem vindicabimus duce GERH. TITIO in *diſſert. de phraſibus veterum eccleſiae doctorum*, *pag. 52.* Nempe AVGVSTINVS, quando conſiderauit concupiſcentiam, prout baptizatos non amplius facit reos coram Deo, negat, quod ſit peccatum, ſicque populari ſenſu loquitur. Etenim peccatum non cenſetur, quod non facit reum, nec poenae ſubiectum reddit. Quando vero conſiderauit concupiſcentiam adhuc repugnantem legi, mentis peccatum eam eſſe faſſus eſt, et peccatum proprie vocauit.

SECTIO IV.

Singulares Patrum opiniones de peccato actuali ſiſtens.

§. I. Difficilis quaeſtio eſt apud Patres: quomodo ſe fides habeat in lapſu piorum? num totaliter et finaliter tolli poſſit? an vero fides ſit inſtar ignis gliſcentis vel latitantis ſub cinere? vtrum habitus fidei plane tollatur, an tantum operatio fidei ceſſet, manente fidei habitu? Inter beatos Patres nemo clarius hanc quaeſtionem enodauit beato AVGVSTINO in *libris II. de praedeſtinatione ſanctorum et bono perſeuerentiae.* Quod ad lapſum Petri attinet, qui exempli loco eſſe poterit, ſcriptores antiqui non eodem modo loquuntur. CHRYSOSTOMVS, PRVDENTIVS et SALVIANVS aliique multi exiſtimant, fidem in Petro ſeruatam eſſe; AMBROSIVS contra periiſſe ait. Conf. de hac lite Patrum HVG. GROTIVM *ad Luc. XXII, 32.* AMBROSIO fauet

textus

Digitized by Google

textus ἐκλείπειν, quae vox talem defectum indicat atque interitum, qualem mors corpori humano infert.

§. II. Quoniam pariter ſatis vexata eſt quaeſtio de perfectione ſanctorum, per integra ſaecula Patrum doctrinam exponamus. Antequam vero id fiat, diſpiciendum eſt de cauſis, quibus inducti Patres hanc quaeſtionem ventilarunt. *Primo* gentiles philoſophi Pythagorici atque Platonici, imo et Stoici ſummam perfectionem vrgebant. Horum praecipua loca collegit GROTIVS *ad Matth. X, 41.* Contra hos ostendebant Patres, quod ad maiorem perfectionem non ſolum ratione ſcientiarum, verum etiam exercitiorum pietatis religio tendat. Hinc apud IVSTINVM *Martyrem* Chriſtianum fieri, et τέλειον γίνεσθαι h. e. *perfectum eſſe*, erant Synonyma. *Altera* ratio erat, quod Iudaei antiquiores, quos inter locum obtinet TRYPHO *Iudaeus*, aſſererent, fictitiam illam eſſe perfectionem morum, quae in N. T. commendatur. Huic autem IVSTINVS *Martyr* os omnino obſtruit, ostendendo, talem morum perfectionem non ſolum commendari verbis, ſed et a diſcipulis Chriſti ipſa vita exprimi. Denique *tertio* quando Patres de perfectione nonnunquam ſublimius loquuntur, hoc faciunt, vt vel martyrium plus aequo commendent. Nam martyrium vocabant τελείωσιν, die Vollkommenheit. Conf. SVICERVM in *Theſauro eccleſiaſtico*, hac voce, CLERICVM in *Animaduerſionibus ad Hammondi paraphraſin ad Phil. III, 11.* ZIMMERMANNVM in *Analectis*, *pag.* 423. et VALESIVM *ad Euſebii hiſtoriam*, *pag.* 150. Licet non negem, beatos Patres etiam ad baptiſmum reſpexiſſe, quem itidem vocabant τελείωσιν, die Vollkommenheit, et baptizatos die Vollkommenen. Quae poſtrema obſeruatio deriuanda eſt ex diſtinctione veterum catechumenorum. Nam ſupremus eorundem gradus erat perfectorum ſiue illuminatorum. Hisce praemiſſis, nunc per omnia ſaecula diſpiciemus, qua ratione veteres Chriſtiani perfectionem Chriſtianiſmi inculcarint.

Anno 140. IVSTINVS *Martyr* in *epiſtola ad Diognetum*, et in *dialogo cum Tryphone Iudaeo* multa habet de perfectione Chriſtianiſmi.

Anno 192. TERTVLLIANVS in *apologia contra gentiles* ſatis his verbis: *Chriſtiani fiunt, non naſcuntur*, ſignificauit,

 quo-

Digitized by Google

modo Chriſtiani ad perfectionem contendere debeant; licet non ignorem, aliquando TERTVLLIANVM in examinandis moribus ſui temporis rigidiorem fuiſſe.

Anno 192. CLEMENS *Alexandrinus* de perfectione Chriſtianiſmi ita loquitur, vt displiceat recentioribus theologis. Multa tamen pro defenſione eius dici poſſunt, quemadmodum et ſupra *Loco IV. Sect. III.* ex CAVEO et NOVRRIO ostendi. Stoicorum theologiae morali addictior fuit, atque ostendit quaſi in σκιαγραφῇ, quem perfectionis gradum Chriſtianiſmus poſtulet, licet non omni ex parte ad illum peruenire queant Chriſtiani. Diſtinguit Chriſtianos ſui temporis in κλητὺς, h. e. *vocatos*, et ἐκλεκτὺς, h. e. *electos*, et τελείυς, h. e. *perfectos et baptizatos*.

Anno 230. ORIGENES ita de perfectione loquitur, vt ἀπάθειαν aſſerere videatur et perfectionem in ſummo gradu adſtruere. Multa tamen pro defenſione ORIGENIS dici poſſunt, quae congeſſit HVETIVS in *Origenianis*.

Anno 375. HIERONYMVS perfectionem vitae Chriſtianae ita vrget, vt dicat, praecepta Dei ex omni parte fere impleri poſſe.

Anno 380. EVAGRIVS *Ponticus* ſingularem ſcripſit *librum* περὶ τῆς ἀπαθείας, qui tamen aetatem non tulit.

Anno 396. S. AVGVSTINVS eximium librum ſcripſit *de perfectione iuſtitiae contra Coeleſtium.*

Anno 398. S. CHRYSOSTOMVS ad Philip. III, 12. de perfectione et imperfectione Chriſtianiſmi optime loquitur.

Anno 424. IO. CASSIANVS de perfectione Chriſtianorum ſingulares fouet ſententias, quas recenſet CAVEVS *part. I. hiſt. liter. pag. 228.* Aſſerit, omnes iuſtorum iuſtitias eſſe peccata; bonum eſſe, quod concupiſcit caro aduerſus ſpiritum, malum vero fore, ſi voluntas tota ſpiritui adhaereat, penitusque carnem vincat. Natae ſunt hae duriores ſententiae ex nimio ſtudio oppugnandi PELAGIVM.

§. III. Quodſi de perfectione Chriſtianorum ſublimius hactenus commemorati Patres loquantur, eos ductu TITII in tractatu *de phraſibus veterum Eccleſiae doctorum* facile excuſare poſſumus. Scilicet perfectum dicunt Chriſtianum iuxta temperamentum pacti

cti euangelici, ſub quo Deus contentus opera iuſtorum beneuolo vultu reſpicit.

§. IV. Sunt nonnulli Patres, qui grauia quaedam peccata inter peccatilla referunt. Sic v. g. CHRYSOSTOMVS atque CASSIANVS ex Luc. XXIV, 28. probare volunt, mendacium ſaepe licitum eſſe. At vero ORIGENES, CLEMENS *Alexandrinus*, et AVGVSTINVS in ſingulari *libro de mendacio* theſin hanc impugnant, oſtendendo, ne mendacium quidem iocoſum vel officioſum licitum eſſe, imo denegari facultatem geſtus externos propter ſimulationem fingere. Neque mirum eſt, antiquioribus ſaeculis morum atque dictorum pigmenta doloſque exoſos fuiſſe, cum multi Chriſtiani ne fugam quidem in perſecutione admitterent. Vide ſingularem TERTVLLIANI *librum de fuga*. Non tamen nego, alios fuiſſe prudentiores et moderatiores, inter quos referas CYPRIANVM, CLEMENTEM *Alexandrinum*, ORIGENEM, ATHANASIVM in ſingulari *libro de fuga*, et AVGVSTINVM in ſingulari *epiſtola ad Honoratum*. Conf. de his Patrum locis prolixius diſſerentem GROTIVM *ad Matth. X, 23.* et PETRVM NANNIVM *lib. II. miſcellan. cap. X.*

§. V. De *peccato* quoque *in Spiritum S.* ſingulares ſunt opiniones Patrum. Nos h. l. peculiarem ATHANASII atque ANASTASII *Sinaitae* ſententiam commemorabimus; de reliquis Patribus infra mentionem facturi. Opinatur autem ATHANASIVS, peccatum in Spiritum S. eſſe, quando quis neget deitatem Chriſti; peccatum in Filium hominis eſſe, quando quis neget Chriſti humanam naturam. Inde probatur ATHANASII ſententia, quia Chriſti diuina natura vocatur Spiritus ἁγιωσύνης, h. e. Spiritus ſanctificationis, Rom. I, 14. Sic et eadem vocatur Spiritus aeternus in aliis N. T. locis. Poſt S. Scripturam, perſonam ſecundam deitatis Patres aetate proximi Spiritum S. appellarunt, quorum loca diligenter annotarunt BVLLVS in *defenſione fidei Nicenae*, GROTIVS in *annotationibus ad Marcum*, SVICERVS in *Theſauro eccleſiaſtico* et SANDIVS in *problemate paradoxo de Spiritu S.* Crediderunt autem Patres, quotquot a partibus ATHANASII ſunt, grauius illum peccare, adeoque difficilius conuerti, qui deitatem Chriſti impugnat, quam qui

impugnat humanitatem. Etiam S. HIERONYMVS de peccato in Spiritum S. ſingularem libellum ſcripſit lectione digniſſimum.

§. VI. De *induratione hominum*, an illa vel ex natura hominis, vel ex praeſcientia Dei et neceſſitate quadam deriuanda ſit, omnino diſpiciendum eſt. Antequam autem Patres per omnia fere ſaecula recenſeamus, tenendum eſt, quod duplex ratio ſuppeditarit Patribus de induratione Dei diſtinctius loquendi. Non ſolum Iudaei antiqui, verum etiam haeretici primaeui de induratione cordis humani ſiniſtre locuti ſunt. Aut enim asſeruerunt, homines natura ad malum conditos eſſe, adeoque extrema quadam neceſſitate peccare; aut praeſcientiae diuinae vim quandam adſcripſerunt, qua homines ad peccatum impellantur. Hisce obſeruatis, diſtinctius per omnia ſaecula fere Patrum doctrinam repetemus.

Anno 140. IVSTINVS *Martyr* in *dialogo cum Tryphone Iudaeo* loquitur de induratione cordis humani.

Anno 167. IRENAEVS in ſingulari *epiſtola contra Florinum* probauit, quod Deus non ſit conditor malorum, adeoque nec cauſa peccati.

Anno 192. CLEMENS *Alexandrinus lib. VII. ſtromatum* de induratione orthodoxe loquitur.

Anno 230. ORIGENES non ſolum in *libris contra Celſum*, ſed et in *philocalia, cap. XX.* de induratione Pharaonis optime loquitur, adeo vt GROTIVS *ad Rom. IX, 17.* hunc ORIGENEM excerpere non dedignatus ſit.

Anno 248. CYPRIANVS paſſim indurationem diuinam accurate exponit.

Anno 398. S. CHRYSOSTOMVS, obſeruante GROTIO *ad Lucae XXII, 22.* de induratione recte diſſerit.

Anno 440. SALVIANVS in *libris de prouidentia Dei* omnem culpam mali a Deo in hominem induratum deriuat.

Anno 444. PROSPER *Aquitanus* in ſcriptis ſuis, quibus doctrinam AVGVSTINI de praedeſtinatione vindicat, AVGVSTINVM ita purgat, vt oſtendat, AVGVSTINVM in praedeſtinationem nequaquam fuiſſe iniurium, neque vllo modo indurationis cauſam Deo adſcripſiſſe.

§. VII.

§. VII. De peccatis, quae *peccata ignorantiae* vocamus, prolixe quoque Patres agunt. Inter omnes tamen rem perſpicue expoſuit THEODORETVS in fine *orationis aduerſus Graecos*. Non vero in ea ſunt ſententia Patres, ac ſi peccata ignorantiae non eſſent peccata, ſed tantum indicare volunt, his peccatis leuiorem a Deo imponi poenam. Haec tamen eſt quaedam ſingularis opinio, quando docent, illud dictum Ioannis: *Mundus quieſcit in malo*, de ignorantia gentilium exponendum eſſe, ac ſi vox κεῖται deſignet, mundum *eſſe obnoxium* malo. Conf. KINGIVM in *expoſitione ſymboli apoſtolici*. Maior emphaſis ſubeſt, quam vt de ignorantia gentilium, quae orbem primis euangelii annis occupauit, exponere velimus. Nam vox κεῖται, quae proprie deſumitur a rebus, quae non facile loco mouentur, deſignat perpetuam mundi atque diaboli communionem, quae ſaepe inſeparabilis ſit. Ex his iam conſtat, non de prima gentilium ignorantia ſermonem eſſe.

§. VIII. Ceterum, quod ad hunc locum de peccato actuali pertinet, ſancti Patres quovis fere ſaeculo egregios ſcripſerunt libros, quibus *de peccati dominio tollendo* agunt. Huc ſpectant AVGVSTINI *liber de agone ſpirituali*, NILI *liber de conflictu virtutum et vitiorum*, MACARII et CHRYSOSTOMI *libri de compunctione cordis*. Plures libros infra adducemus in *loco de poenitentia et conuerſione*. Interim commemorandi ſunt PRVDENTIVS atque GREGORIVS *Nyſſenus*, quorum ille ſcripſit *carmen* elegantiſſimum *de conflictu vitiorum et virtutum*, hic edidit *orationem, quid nomen Chriſtiani et profeſſio ſecum ferat*.

§. IX. Quod ad *luctam renatorum* attinet, qua caro cum ſpiritu vehementer colluctatur, in primis luctam illam ſpiritualem Pauli, atque palum crucis in carne, plures Patres ſingulares fouent opiniones. Scilicet plurima loca de ſtimulis Pauli venereis exponunt, ac ſi praecipue in his lucta fuiſſet poſita. In primis AVGVSTINVS *lib. V. aduerſus Iulianum cap. IV.* corpus peccati a Paulo commemoratum Rom. VI, 6. de concupiſcentia carnis exponit. Sic et locum de palo Pauli in eundem ſenſum accipit, atque adeo cum multis aliis Patribus a CORNELIO A LAPIDE maximopere commendatur. Sunt tamen, qui AVGVSTINVM, vt et reliquos multis verbis purgant, inter quos referas

Digitized by Google

CHAMIERVM *de votis lib. XX. cap. XIX.* et VECHNERVM *de palo Pauli, pag. 26.* et *68.*

LOCVS VI.

DE INCARNATIONE FILII DEI.

SECTIO I.

Singulares Patrum opiniones de incarnatione Filii Dei ſiſtens.

§. I. Licet S. CYRILLVS *Alexandrinus* hunc Articulum prae reliquis Patribus ex profeſſo illuſtrarit, magnamque ideo nominis famam conſecutus ſit; nihilo minus tamen a multis in examen vocatur. Inter hoſtes CYRILLI praecipui ſunt DAVID DERODON in *libro de ſuppoſito,* ELIAS SAVRINVS in *defenſione doctrinae ſuae, part. II. cap. XIII.* DV PINIVS in priori *bibliothecae nouae* editione, IO. BAPT. RENOVLTVS in libro Gallico *de nimio beatae virginis honore*, et in *epiſtola* quadam *ad Paulum Iunium* ſcripta. Inter defenſores praecipui ſunt LEO ALLATIVS in *vindiciis Synodi Epheſinae*, PETAVIVS in peculiari *libro,* quem reliquis *libris de incarnatione* inſeruit, LVDOVIC. DOVCINIVS in *hiſtoria Neſtorianiſmi.* Imputant in primis CYRILLO nimium Mariae cultum, ac ſi primus fuerit, qui anſam dederit, diuino cultu Mariam proſequendi. At vero iam dudum ante CYRILLVM Maria θεοτόκος dicta eſt, vti pluribus obſeruant SVICERVS in *Theſ. eccleſ. voce* θεοτόκος, et PEARSONIVS *ad Symbolum apoſtolicum, pag. 219.* et *317.* Etiam grauiter accuſant CYRILLVM, quod de vnione perſonali minus diſtincte ſaepius loquatur. Nempe paſſim dicit, vnam in Chriſto eſſe φύσιν. Interpretes Latini, qui ſtylo CYRILLI non adſueti ſunt, vertunt, vnam in Chriſto eſſe naturam. At falluntur. Nam vox φύσις pro perſona a CYRILLO vſurpatur. Conf. SVICERVM *loc. cit.* in *voce* φύσις, et FORBESIVM in *inſtructionibus, lib. XIII. cap. XXI. §. 16.* Ex hoc igitur capite facile excuſari poterit CYRILLVS, qui vtramque porro naturam commiſceri, conglutinari dicit, vt alias duriores phraſes nunc praetermittam. Certe alii Patres ante CYRILLVM et poſt eundem easdem phraſes adhibuerunt, incommodas quidem, attamen probe emolliendas. Conf. de iſtiusmodi Patrum phraſibus COTELERIVM *tom. I. monumentorum*

Digitized by Google

rum eccleſiae Graecae, pag. 402. THOMASSINVM *loco citato*, LAVRENT. ALEX. ZACCAGNIVM in *collectaneis monumentorum veterum eccleſiae Graecae ac Latinae*, CARPZOVIVM in *prolegomenis ad opera Hieronymi Welleri*, et SVICERVM *loc. cit.* in *vocibus* θεός et ὁμόθεος.

§. II. CLEMENS quoque *Alexandrinus* a multis in iudicium vocatur, ac ſi ſtatuiſſet, humanam Chriſti carnem omnis doloris fuiſſe penitus expertem: qui error, ſi certa quadam ratione probari poſſet, multum incommodi doctrinae de redemtione crearet. Interim grauiter CLEMENTEM *Alexandrinum* accuſant NOVRRIVS *tom. III. apparatus ad bibliothecam maximam* Lugdunenſem, *diſſert. II.* CLERICVS in *vita Clementis Alexandrini*, vt et in *exemplis criticis*. Verum pro CLEMENTE noſtro verba facit CAVEVS in *epiſtola apologetica, pag. 50.* aſſerendo, quod, quoniam dicit CLEMENS, Chriſtum omnis voluptatis et doloris fuiſſe expertem, intelligat affectus peccato vel originali, vel actuali contaminatos. In eundem errorem veluti ſocium quendam HILARIVM trahit DALLAEVS in *libro de abuſu Patrum*. At magna eſt vel DALLAEI ignorantia, vel malitia. Quoniam ſcilicet S. HILARIVS in *libris de Trinitate* Chriſtum doloris expertem facere videtur, non negat veritatem paſſionis Chriſti; ſed cum videt, ſibi cum haereticis quibusdam rem eſſe, h.e. Theopaſchitis, qui ex doloribus aſſumtae carnis infirmitatem Dei aſſumentis adſtruxerunt, recte affirmauit, Chriſtum doloris expertem fuiſſe. Confer, quae pro defenſione HILARII adducunt COVTANTIVS in *prolegomenis ad nouam S. Hilarii editionem*, et DV PINIVS *tom. II. biblioth. nou. pag. 96.*

§. III. S. AMBROSIVM atque HILARIVM accuſat SVICERVS *loc. cit. voce* ἐγκατάληψις, quod verbum a Chriſto moriente ſeceſſiſſe ſtatuerint. At vero COVTANTIVS atque NOVRRIVS optime hos Patres defendunt, indicando, quod non de vnionis ſolutione, ſed de ſubtractione protectionis loquantur. Idem HILARIVS accuſatur ab ERASMO atque SCVLTETO, ac ſi affirmauerit, Chriſtum non ex matris ſubſtantia natum, ſed ex Spiritus S. ſubſtantia, adeo, vt Spiritum S. matrem Chriſti aſſerere viſus ſit. At vero poſt COVTANTIVM etiam PEARSONIVS *ad ſymb. apoſtol. pag. 297.* oſtendit multa loca in contrariam par-

Digitized by Google

tem, ex quibus colliges, iniuriam HILARIO allatam eſſe. Nam nihil aliud vult indicare, quam quod Maria non virtute quadam naturali, ſed diuini ſpiritus operatione foetum conceperit.

§. IV. S. CHRYSOSTOMVS in Neſtorianorum coetum detruditur, ac ſi duas perſonas in Chriſto ſtatuiſſet. Inprimis hanc in rem adducitur locus quidam difficilis ex *homilia* eius *III. in epiſt. ad Hebraeos*. At vero vox perſonae de relatione Chriſti duplici a CHRYSOSTOMO accepta eſt. Conf. plura pro defenſione CHRYSOSTOMI apud SIMONIVM in *hiſtoria critica praecipuor. commentator. N. T. cap. XII.*

§. V. Plures quoque phraſes adhibuerunt Patres, quae Neſtorianis etiam ſunt vſurpatae. Eadem igitur verba ſunt haereticorum et Patrum, ſed non idem ſenſus. Sic v. g. Neſtoriani ſtatuerunt, humanam Chriſti naturam, velut veſtem diuinae naturae, conſiderandam eſſe. Eandem comparationem a Patribus adhibitam eſſe, nemo ignorat. Interim tamen hi Patres ductum Scripturae ſecuti ſunt, nec ideo hanc phraſin vſurparunt, vt vnionem in Chriſto ſimili multa ex parte diſſimili vel imminuerent, vel impugnarent. Sic et videbis, Mariam a Patribus non θεοτόκον, ſed χριϛοτόκον, more NESTORII, vocari. Abeſt tamen omnis haereſeos ſuſpicio. Sic et Neſtoriani aeque, ac Patres dixerunt, deitatem Chriſti in humanitate, veluti in templo quodam, habitare. Haec tamen comparatio verae in Chriſto vnioni nihil derogauit.

§. VI. Quid beati Patres de *ſudore ſanguineo* ſenſerint, omnino conſiderandum eſt. Multis viſa eſt res omnem fidem excedens, adeoque duos verſus Luc. XXII, 43. 44. ex codicibus biblicis eliminarunt. Seculo XII. autem EVTHYMIVS ZIGABENVS ex profeſſo probare voluit, ſudorem in Chriſto non fuiſſe ſanguineum, ſed guttas ſudoris, inſtar ſanguinis concreti, fruſtulatim deſcendiſſe. Si tamen accuratius rem conſideremus, per omnia fere tempora fuerunt Patres, qui ſudorem ſanguineum crederent. IVSTINVM *Martyrem*, IRENAEVM aliosque fere per omnia ſaecula adducit STEPHANVS CLOZIVS in *libro* ſingulari *de Chriſti ſudore ſanguineo*. Conf. interim de hac voce difficili CALOVIVM in *Bibliis illuſtratis* ad hunc locum, THOM. BARTHOLINVM in ſingulari diſſertatione, VOETIVM in *diſſert.*

de

Digitized by Google

de deſertione Chriſti, et KIPPINGIVM *exercit. XXXI. de cruciariis pag. 196.*

§. VII. De *corpore Chriſti glorificato* ſingularis quorundam Patrum opinio eſt. Ex recentioribus ſcriptoribus PETRVS ALLIXIVS in *disquiſitione de ſanguine corporis Chriſti poſt reſurrectionem*, et BASNAGIVS in *hiſtor. eccleſ. N. T. lib. XVIII. cap. VIII. pag. 846.* plurium Patrum loca adducunt, in quibus aſſerere videntur, corpus Chriſti poſt reſurrectionem vero ſanguine carere, adeoque veri corporis deſcriptionem non obtinere. Videas ibi ATHENAGORAM, CLEMENTEM *Alexandrinum*, ORIGENEM, HILARIVM *Pictauienſem*, GREGORIOS *Nazianzenum* et *Nyſſenum*, BASILIVM *M.* ATHANASIVM et alios plures. Inprimis ad examen vocatur AVGVSTINVS, qui *epiſt. CXLVI. ad Conſentium* hanc erroneam ſententiam propugnaſſe dicitur. Sed Patres optime defendunt NATALIS ALEXANDER *tom. VI. hiſtoriae eccleſiaſticae, diſſert. XII. pag. 938.* et IACOBVS BOILAVIVS in peculiari *diſſert. de ſanguine Chriſti*, ALLIXIO oppoſita. Obſeruant autem illi, quod Patres non negent, etiam poſt reſurrectionem ſanguinem Chriſti vitalem, ſed ſanguinem degenerem, ex felle flauo et nigro aliisque infirmitatibus efformatum. Plura de corpore beatorum, adeoque etiam corpore Chriſti glorificato dicemus infra in *loco de reſurrectione.* Ceterum confer hanc in rem SPENCERVM *ad Origenis libros contra Celſum pag. 41.* et GROTIVM *ad Luc. XXIV, 31.*

§. VIII. Quomodo Filius Dei, ſecundum humanam naturam conſideratus, Filius Dei dici queat, ex Patrum lectione diſpiciendum eſt. HILARIVS atque VICTORINVS inter Latinos Patres aſſerunt, Chriſtum ſecundum humanam naturam in Filium Dei adoptatum eſſe: quae phraſis, vti infra videbimus, haeretica multis Patribus audit. At vero DORSCHEVS in *collatione ad concil. Francof. pag. 126.* et *143.* pluribus oſtendit, vtrumque Patrem ab haereſeos ſuſpicione vindicari poſſe, ſi dicas, vocem adoptandi pro voce aſſumendi accipiendam eſſe.

§. IX. Quod ad *Chriſti lacrymas* attinet ſaepius effuſas, multi Patres EPIPHANII tempore exiſtimarunt, eas Filio Dei indignas fuiſſe. Hinc Luc. XIX, 41. verba illa: *et fleuit*, ex plurimis codicibus ſuſtulerunt. Imprudentia autem talium Pa-

Digitized by Google

trum maxima eſt, cum apud Ioan. XI, 35. verba occurrant de lacrymis Chriſti ob Lazarum profuſis, neque tamen a Patribus antiquis expuncta. Alii ex Patribus non de lacrymis, ſed de ſignis quibuslibet externis luctus vocem fletus accipiunt. Conf. RAYNAVDVM *de pileo*, *Sect. II. pag. 10.*

§. X. De *partu Mariae dolorifico* nonnulla habent etiam Patres, praeſertim HELVIDIVS, cuius ſententiam tamen antea defendit TERTVLLIANVS, perpetuam Mariae virginitatem negando, partum eiusdem cum dolore in lucem editum exiſtimat. Imo in antiqua Eccleſia ſingularis quondam exſtitit *liber* apocryphus *de Maria virgine atque obſtetrice.* Plura hanc contra ſententiam obſeruaui in diſſertat. *de hymnorum Latinae Eccleſiae collectionibus*, *pag. 14.* Virginitatem autem perpetuam Mariae poſt HIERONYMVM optime defenderunt ſingularibus libris BERTRAMVS et PASCHASIVS RADBERTVS.

§. XI. Vltimi tamen laudati auctores BERTRAMVS atque RADBERTVS, nec non alii doctores Eccleſiae Latinae et Graecae, ſingularem habuerunt opinionem *de virtute Spiritus S. Mariam obumbrantis.* Scilicet tradiderunt, quemadmodum in vtero virginis Spiritus S. Chriſtum formauit, ita quoque eundem pari miraculoſa ratione operam dare, vt in S. Coena corpus Chriſti ex pane et vino formet. Hinc in S. Coena magis ad Spiritum S. quam ad ipſum Filium Dei preces ſunt directae. Plura adducemus infra in *loco de S. Coena.*

§. XII. S. IGNATIVS *Antiochenus* in *epiſtola ad Epheſios*, §. *19.* vt et reliqui Patres myſterium incarnationis, quod ab aeterno a Patre decretum eſt, vocant *myſterium ſilentii*, quod ſcilicet Deus in ſummo ſilentio et quiete illam myſterii rationem excogitauit; quatenus autem in tempore exſecutioni decretum datum eſt, vocarunt *myſterium clamoris.* Multi ex hac locutione exſculpere volunt, ac ſi primi Patres adſtipulati ſint antiquis Gnoſticis, qui docuerunt, Deum aliquando otioſum fuiſſe in coelo, cum in ſumma quiete degeret. At optime THOM. SMITHVS exponit verba IGNATII. Scilicet exiſtimat, ideo *myſterium clamoris* vocari, quia illud myſterium inter omnes gentes propoſitum eſt publice atque peruulgatum; *myſterium* autem *ſilentii*,

Digitized by Google

ſilentii, vt indicetur, nullam aliam rationem reſtituendae ſalutis excogitari potuiſſe a Deo.

SECTIO II.

Scriptores, qui per omnia fere ſaecula myſterium incarnationis vindicarunt, ſiſtens.

§. I. Antequam auctores per omnia ſaecula adducamus, monendum eſt, iam beatum WAGENSEILIVM in *prolegomenis* ad *tela ignea Satanae* copioſe commemoraſſe, quinam ex Chriſtianis contra Iudaeos myſterium incarnationis primis ſaeculis defenderint. GESNERVS autem ſingulari volumine praeſtantiores Patrum libros, qui de myſterio incarnationis agunt accurate, complexus eſt. Praeſtantiſſimos igitur tantum Patres iuxta temporum ſeriem indicabimus.

§. II. Saeculo I. BARNABAS in epiſt. ſua myſterium incarnationis luculenter exponit.

Anno 140. IVSTINVS *Martyr* cum TRYPHONE *Iudaeo* dialogum habuit.

Anno 170. MELITO *Sardenſis* ſingularem librum ſcripſit περὶ Θεȣ̃ ἐνσωμάτȣ, quod cum multi interpretes antiqui haud intelligerent, tradiderunt, MELITONEM Deum corporeum ſtatuiſſe, ac ſi titulus libri fuiſſet *de Deo corporeo*.

Anno 192. TERTVLLIANVS ſingularem librum ſcripſit *de carne Chriſti*.

Anno 220. HIPPOLYTVS *Portuenſis* varios libros *de incarnatione* edidit. Multi quidem ſub eius nomine hac de re occurrunt, ſed falſo ipſi ſunt ſuppoſiti.

Anno 220. IVLIVS *Africanus* Matthaeum atque Lucam de generatione Filii hominis diſſentientes conciliauit.

Anno 248. S. CYPRIANVS *libros tres teſtimoniorum contra Iudaeos* edidit.

Anno 315. EVSEBIVS libros IV. ſcripſit eclogarum propheticarum de Chriſto, vt et libros aliquot *demonſtrationis euangelicae*.

Anno 336. S. ATHANASIVS multa opuſcula de myſteriis incarnationis edidit.

Anno

Digitized by Google

Anno 374. AMBROSIVS ſingularem *homiliam* conſcripſit *de incarnationis diuinae ſacramento.*

Anno 398. CHRYSOSTOMVS egregiam conſcripſit *homiliam de precibus Chriſti in miraculis*, item *homiliam* aliam *in natiuitatem Saluatoris noſtri.*

Anno 412. CYRILLVS *Alexandrinus* impugnando NESTORIVM myſterium incarnationis expoſuit. In primis noti ſunt eius *XII. anathematiſmi contra Neſtorium.* Praeſtantiora ſcripta concilio Epheſino ſunt inſerta.

Anno 423. THEODORETVS libris IV. myſterium incarnationis expoſuit. Prius NESTORII partibus addictus erat, deinde cum CYRILLO *Alexandrino* in gratiam rediit.

Anno 424. CASSIANVS *libros VII.* ſcripſit *de myſterio incarnationis.*

Anno 434. SEDVLIVS *libris V.* et quidem carminice omnia Chriſti miracula eleganter deſcripſit.

Anno 440. LEO *M.* ſcripſit *X. homilias de natiuitate Domini.*

Anno 492. GELASIVS elegantem librum ſcripſit *de incarnatione.*

Anno 507. FVLGENTIVS *Ruſpenſis* varia ſcripta de myſterio incarnationis edidit.

Anno 590. LEONTIVS *Byzantinus* ſcripſit elegantes *libros III. de myſterio incarnationis.*

§. III. Si quis ſingulares Patrum homilias, quae agunt de myſterio incarnationis, perlegere cupit, euoluat CHRIST. DAVMII *collectionem Patrum.*

SECTIO III.

Haereticorum ſyſtema de myſterio incarnationis ſiſtens.

§. I. IOANNES FORBESIVS *libro II. hiſt. inſt. theol. cap. I.* inſignem catalogum profert omnium haereticorum, qui Articulum de incarnatione impugnarunt. Nos praecipuos tantum haereticos hac vice recenſebimus.

§. II. *Apollinariſtarum* haereſis non exigua fuit in antiqua eccleſia. Caput illa agnoſcit APOLLINAREM iuniorem. De haereſi hac ex recentiſſimis ſcriptoribus docte agunt PET. KINGIVS in *expoſit. ſymb. apoſtolici*, et IACOBVS BASNAGIVS in *hiſt.*

Digitized by Google

hiſt. haereſeos Apollinariſtarum. Errores autem APOLLINARIS hi ſunt: Chriſtum humanam naturam de coelo detuliſſe, animam Chriſti cum corpore arctiſſime coniunctam eſſe, ſed deitatem vnigeniti mentis locum ſupplere. Addunt etiam veteres auctores, quod crediderit, Chriſtum mortalem eſſe, et in propria deitate paſſum; in triduana morte corporis diuinitatem quoque ei commortuam fuiſſe, Patris demum beneficio ex morte reuocatam.

§. III. MONOTHELETAE ab ipſis *Eutychianis* originem ducunt. Haereſin illorum optime deſcripſit FORBESIVS *lib. V.* integro *inſtit. hiſt. theol.* Haeretici autem hi non ſolum vnam voluntatem, ſed et vnam operationem in Chriſto ſtatuerunt. Eo autem deuenerunt, vt ſimul aſſererent, Dei atque omnium ſanctorum vnam eſſe voluntatem. Error inde ortus eſt, quod minus diſtincte operationes in Chriſto conſiderarent, nec voluntatem vtrique naturae recte aſſererent, diſtinguendo ſaepius inter volitionem, deſideria atque vota carnis Chriſti, atque inter voluntatem decretumque diuinae naturae. Dum annisi ſunt probare, nullas in Chriſto contrarias eſſe voluntates, in extremum aliquod prolapſi ſunt. Quodſi altius haereſin hanc repetere velimus, ab ipſis *Eutychianis* eadem deriuanda eſt. Horum vero haereſin optime deſcripſit MATTH. ZIMMERMANNVS. Magna autem fuit Eutychianorum fraus, qui, vt haereſi ſuae multum ponderis adderent, Luc. I, 33. deprauarunt atque corruperunt. Nonnunquam etiam iis phraſibus locuti ſunt, quibus orthodoxi vſi ſunt. Chriſtum dixerunt perſonam eſſe ex duabus naturis conſiſtentem. Ita quoque orthodoxi locuti ſunt. Sed Eutychiani exiſtimarunt, ita de Chriſto enunciari poſſe, quia ante vnionem duas habuerit naturas, non poſt vnionem. Vt vero fraudes Eutychianorum apertas redderent Patres, dixerunt, Chriſtum eſſe perſonam non ſolum in duabus naturis, verum etiam ex duabus naturis ſubſiſtentem.

§. IV. *Melchiſedeciani* hoc loco pariter commemorandi ſunt. Varii autem haeretici fuerunt, qui hoc nomine inſignes ſunt, quorum catalogum recenſet IO. FRANC. BVDDEVS in diſſ. *de peccatis typicis*, cui addes ITTIGIVM in *appendice diſſertat. de haereſiarchis*, *pag. 93.* atque SAGITTARIVM in *introductio-*

Digitized by Google

ductione ad hiſtoriam eccleſiaſticam. Alii enim exiſtimarunt, Melchiſedecum fuiſſe virtutem quandam Dei ſuperiorem, ad cuius imaginem Chriſtus ſit formatus; alii tradiderunt, Melchiſedecum coeleſtem hominem fuiſſe, nec ex Adami ſtirpe progenitum, ſed ante Adami, imo ante lucis creationem et primum mundi diem a Deo procreatum. Conf. PETAVIVM *lib. I. de opificio VI. dierum, cap. VI.*

§. V. Quod ad haereſin *Neſtorianam* attinet, falſo vulgo traditur, quod primus fuerit, qui duas in Chriſto perſonas ſtatuerit. Iam ante NESTORIVM ſatis craſſe illos errores defendit THEODORVS *Mopſueſtenus libris XV. de incarnatione*, cui addes etiam LEPORIVM *Maſſilienſem*, qui itidem ante NESTORIVM eandem haereſin propoſuit. Poſterior mentem tamen mutauit, et eccleſiae orthodoxae iterum acceſſit. Hactenus hiſtoria Neſtorianiſmi ſatis obſcura fuit, ſed eandem illuſtrarunt GARNERIVS, CHRIST. LVPVS atque DOUCINIVS.

§. VI. *Theopaſchitarum* haereſis magna quoque fuit in eccleſia antiqua. Praecipuus huius haereſeos reſtaurator fuit PETRVS GNAPHEVS, qui anno 471. ſingulares motus excitauit, quod hymno eccleſiae, Triſagio dicto, verba illa addidiſſet: *vnus ex Trinitate crucifixus eſt.* De hac controuerſia ac lite, et quomodo vel haec phraſis orthodoxa vel heterodoxa ſit, ſingulari diſſertatione agit NORISIVS. De hymno vero atque PETRI additione et motibus inde excitatis plurimos auctores collegit CAVEVS in *diſſertatione de libris eccleſiaſticis Graecorum.* Sunt et plures veterum epiſtolae ad PETRVM hac de additione editae, quas iunctim luci expoſuit GRETSERVS.

§. VII. In antiqua pariter Eccleſia haeretici quidam *Alogi* dicti ſunt, vel quod crederent, λόγον ſolum hominem eſſe, vel quod euangelium Ioannis ſingulari odio proſequerentur. De hiſce *Alogis* praeclare agunt IO. CLERICVS et THOM. ITTIGIVS.

§. VIII. HERMOGENES quoque haereticus de corpore Chriſti glorificato peculiarem fouet ſententiam, asſerendo, quod illud aliquando in ſole ſit depoſitum, iuxta illud Dauidicum: *In ſole poſuit tabernaculum.* vid. KINGIVS in *expoſit. ſymboli apoſtol.* Reliqui haeretici, qui contra myſterium incarnationis ſcripſerunt,

pſerunt, nihil ſcriptorum, vnde ſententiam illorum elicere poſſes, reliquerunt. Tales ſunt *Marcionitae*, qui duos asſeruere Chriſtos, alterum, qui in ſalutem gentilium ſub Tiberio paſſus ſit, alterum, qui in ſalutem Iudaeorum ſit venturus. *Ebionitae* atque *Gnoſtici*, nec non CERINTHI asſeclae Ieſum a Chriſto diſtinxerunt, docentes, quod Chriſtus ſemper fuerit impaſſibilis, Ieſus autem morti obnoxius. Hos haereticos in primis tangere viſus eſt Ioannes in priori epiſtola cap. II, 22. Confer etiam cap. IV, 2. et quae ad illum verſum obſeruauit STEPH. LE MOYNE.

SECTIO IV.
Hiſtoriam fidei antiquae de deſcenſu Chriſti ad inferos ſiſtens.

§. I. Non vna eademque notio fuit vocis ᾅδυ apud Patres; plerumque tamen vox illa accipitur de communi animarum receptaculo, ſiue animae illae beatae ſint, ſiue minus. Probarunt id luculenter KINGIVS in *hiſtoria ſymboli apoſtolici*, GROTIVS *ad Lucae XXIII.* IAC. WINDETVS in *epiſtola de ſtatu animarum poſt mortem.* Imo ab antiquis Chriſtianis vox ᾅδης ſpecialiſſime de coelo accepta eſt. Sic in antiquiſſimis quibusdam codicibus oratio dominica tale habet exordium: Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν ᾅδῃ. Conf. COLOMESIVM in *opuſculis*, *cap. XXVIII. pag. 62.* et CRENIVM *part. I. animadu. philol. pag. 119.*

§. II. Quod vero ad originem huius Articuli attinet, obſeruandum eſt, Articulum hunc in libris apocryphis atque fictis luculentiſſime poſitum eſſe; in genuinis autem Patrum ſcriptis obſcurius eſſe propoſitum. Patres quidem apoſtolici locum de deſcenſu Chriſti ad inferos ex S. Codice citant, v. g. POLYCARPVS in *epiſtola ad Philippenſes*, *part. I.* IGNATIVS in *epiſt. ad Trallianos* itidem vnum alterumque locum ex S. Scriptura citat. Sed hi Patres antiquiſſimi nullam addunt vocem, ex qua colligere poſsis, quod vocem ᾅδυ de ſuppliciorum infernalium loco acceperint. Cum igitur apud antiquiſſimos Patres nulla facta ſit mentio vocis ᾅδυ, de inferno acceptae, demum apud EVSEBIVM *lib. I. hiſtoriae eccleſiaſticae, cap. vltimo, in apocryphis actis* THADDAEI ſiue *ſermone ad Abgarum* locus de deſcenſione Chriſti ad inferos ea ratione, qua hodie a nobis creditur, exponitur.

Vide-

Videbis quoque apud auctorem *euangelii Nicodemi*, *§. 21. pag. 282.* et ABDIAM in *hiſtoria apoſtolorum lib. IX. pag.* 724. locum de deſcenſu Chriſti ad inferos clarius exponi.

§. III. Cum igitur ex apocryphis libris et maxime fabuloſis doctrina de deſcenſu Chriſti ad inferos genuinis Patrum ſcriptis, v. g. IGNATII, ſit inſerta, opera omnis danda eſt, vt de genuinis fontibus magis ſimus ſoliciti. Et quidem quod ad PETRVM KINGIVM attinet, qui hiſtoriam huius Articuli omnium accuratiſſime expoſuit, ille exiſtimat, Articulum hunc tum demum ſymbolo inſertum eſſe, cum haereſis Apollinariſtarum Eccleſiam Chriſti vexaret.

§. IV. Quod vero ad Patrum ſententiam attinet de deſcenſu Chriſti ad inferos, plerique exiſtimarunt, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, vt pios ex inferno reduceret. Hi Patres voce ᾅδου pro communi receptaculo animarum vſi ſunt: ideoque mirum non eſt, ſi crediderint ex inferno redemtionem. Iidem Patres docuerunt, quod apoſtoli in inferno Euangelium praedicarint. Quod iterum non accipi debet de voce ᾅδου, quatenus exponitur de loco ſuppliciorum. Namque apoſtolos in infernum, locum ſuppliciorum, deſcendiſſe, nunquam crediderunt Patres. Quaenam vero fuerit Patrum ratio, vtramque vocem Graecam et Latinam ita accipiendi, ex hiſtoria Marcionitarum facile perſpicias. Scilicet cum hi haeretici crederent, Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, vt Cainum, Iudam aliosque vitae profligatiſſimae homines ex inferis liberaret, Patres contrarium asſeruere, indicando, quod vox ᾅδης non ſignificet ſpeciatim locum ſuppliciorum, ſed commune animarum receptaculum, quemadmodum ſupra iam diximus.

§. V. Qui plura deſiderat reſcire de ſingularibus Patrum opinionibus circa Articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos, adire omnino debet ITTIGII *diſſert. de loco Petrino* 1 Epiſt. III, 19. qui agit de deſcenſu Chriſti ad inferos, vbi hoc praeſertim annotat, quod apoſtoli fere omnes poſt Chriſtum ad inferos deſcendentes pariter Euangelium praedicauerint, praeſertim illis, qui in V. T. minus diſtinctam habuerunt notitiam de myſteriis N. T. Ex quibus omnibus iterum colliges, deſcenſum Chriſti ad inferos nihil tale indicare, quale momentum fidei hodierni theologi in hoc Articulo ponunt.

LOCVS

Digitized by Google

Locvs VII.

DE CONVERSIONE ET POENITENTIA.

Sectio I.

Singulares Patrum opiniones de conuerſione atque poenitentia hominis ſiſtens.

§. I. Antequam ſingulares Patrum opiniones recenſeamus, indicandi ſunt auctores, qui hiſtoriam poenitentiae atque diſciplinae eccleſiaſticae apud antiquos Chriſtianos conſignarunt. Ex ſcriptoribus Pontificiis praecipui ſunt IO. MORINVS, DIONYSIVS PETAVIVS, IO. FILESACVS, GABRIEL ALBASPINAEVS, LVDOV. THOMASINVS, IAC. SIRMONDVS, LVDOV. ELLIES DV PIN, IAC. PETITVS, Cardinalis DE AGVIRRE atque LEO ALLATIVS; ex Reformatis IO. FORBESIVS et MATTHAEVS DE LA ROQVE; ex Lutheranis AEGIDIVS STRAVCHIVS, IOACH. HILDEBRANDVS atque IO. BARTH. NIEMEIERVS.

§. II. Quando in prima Eccleſia ſingulares Patrum opiniones de poenitentia exortae ſint, merito diſpiciendum eſt. Satis fidenter ſcribit ITTIGIVS in *diſſert. de haereſiarchis*, *pag. 225.* quod ante MONTANVM et adhuc circa MONTANI tempora orthodoxi quidam eccleſiae doctores grauioribus peccatis abſolutionem haud denegarint. Quodſi vero vel illa tempora, quae MONTANO anteriora ſunt, accuratius conſideres, videbis, ITTIGII aſſertum eſſe falſiſſimum. Sic v. g. CLEMENS *Romanus epiſt. II. ad Corinthios*, §. *6. et* 7. peccatoribus poſt baptiſmum plus vice ſimplici minatur, indicando, quod ſalus illorum ſit dubia admodum. Huc referas etiam IRENAEVM *lib. IV. aduerſus haereſes*, *cap. XLV.* Mallem igitur diſtinguere Eccleſias atque obſeruare, quod in vna Eccleſia facilior fuerit venia peccatorum, quam in altera. Sic v. g. Eccleſia Romana facilius veniam peccatoribus dat et dedit, vti obſeruauit GROTIVS *ad Hebr. VI*, 4. et *5.* ideoque etiam illum librum Pauli ob duriora quaedam contra poenitentiam verba e canone eliminauit. Ceterum quaenam fuerit prudentia Patrum, pro varietate temporis veniam concedendi, pluribus probant COTELERIVS *ad lib. II. Hermae, mandat. IV.* §. *1.* atque ITTIGIVS in *epiſtola*

ſtola dedicat. praefixa *ſupplemento operum* CLEMENTIS *Alexandrini.*

§. III. Quaenam autem fuerit ratio ſeueritatis Patrum in condonandis, vel etiam ligandis peccatis, facile inde colligere poſſumus, quod 1 Ioan. V, 16. Hebr. VI, 4. non recte intellexerint. Addo etiam, peccatum in Spiritum S. minus recte intellectum in cauſa fuiſſe. Peccata ad mortem erant haec tria, homicidium, idololatria, adulterium. In aliquot Eccleſiis peccata haec ſemel commiſſa condonabantur, in aliquot Eccleſiis nunquam, ſi vel ſaltem vna vice commiſſa eſſent. Tanta erat varietas Eccleſiae in hoc ritu, pro varietate rerum atque temporum. Peccata praedicta, vt et alia grauiora crimina, duplici vice perpetrata, in nulla Eccleſia venia digna viſa ſunt. Non denegabant quidem iſtiusmodi peccatoribus omnes preces. Nam priuatas concedebant, non publicas, atque homines tales miſericordiae diuinae relinquebant, vt teſtaretur Eccleſia, quam difficilis ſit ad poenitentiam reditus.

§. IV. Quemadmodum beati Patres hactenus rigidiores viſi ſunt: ita deinceps praeſertim CHRYSOSTOMI tempore magna eſt poenitentiae publicae facta neglectio atque remiſſio. Certe CHRYSOSTOMVS dicto ſuo: *Millies peccaſti, millies poenitentiam age*, multas dedit turbas, ac ſi grauiſſimis peccatoribus hoc dicto ſuo ſuppetias tuliſſet. Confer de hoc dicto CHRYSOSTOMI, atque agitatis ideo controuerſiis ſingularem *diſſert.* ELIAE VEIELII, atque CAVEVM *part. II. hiſtor. liter. pag. 52.* Studio autem Nouatianis contradicendi hoc dictum a CHRYSOSTOMO prolatum eſt.

§. V. Quodſi vero Patres ſibi contradicere videantur etiam in Articulo de poenitentia, hae potiſſimum regulae ſunt obſeruandae:

I) Semper diſpiciendum eſt, de quibus peccatoribus loquantur Patres. In haereticis iterum admittendis faciles omnes fere fuerunt; in admittendis aliis peccatoribus nonnunquam difficiliores.

II) Semper attendendum eſt, contra quos ſcribant Patres, qui laxius de poenitentia, vel ſeuerius etiam iudicant; deinde quae-

quaenam fuerit illo tempore, quo Patres ſcripſerunt, in Eccleſia poenitentiae cura atque cuſtodia.

III) Semper conſiderandum eſt, quod beati Patres non de venia coram Deo impetranda loquantur, eamque praecluſam eſſe ſtatuant, ſed de venia in conſpectu Eccleſiae obtinenda, in qua difficiliores admodum Patres viſi ſunt.

IV) Conſiderandum eſt, de quibus peccatorum gradibus Patres loquantur. In condonatione criminis vna vice admiſſi non parum indulgentes erant; ſeueriores autem, ſi vnum idemque crimen plus vice ſimplici commiſſum eſſet.

§. VI. Inter ſingulares Patrum opiniones illam quoque referas, quam in AMBROSIO notat SARRAVIVS in *epiſt. pag. 289.* Scilicet AMBROSIVS ſtatuit, peccata in V. T. non ea ratione condonata eſſe, qua condonata videmus in N. T. Atque ita AMBROSIVS Cocceianiſmum paſſim in ſcriptis exſerit, vti obſeruat SARRAVIVS *pag. 292.* et *296.*

§. VII. Hactenus quidem adduximus ſingulares Patrum opiniones, nunc quoque ad ſinceram Patrum fidem in Articulo de poenitentia deueniendum eſt. Atque ita certum eſt, credidiſſe antiquos Patres, gratiam Dei in conuerſione erga omnes homines vniuerſalem eſſe atque ſufficientem. Plura Patrum teſtimonia collegerunt VOSSIVS in *hiſtoria Pelagiana, part. I. lib. VII. th. 3.* atque DALLAEVS in *Apologia pro ſynodo Alenconienſi, part. IV. pag. 753.* qui poſtremus auctor 120. Patrum teſtimonia coaceruauit.

SECTIO II.

Patres, qui doctrinam de poenitentia per omnia ſaecula fere expoſuerunt, ſiſtens.

§. I. Antequam Patres ſigillatim recenſeamus, adducendi ſunt auctores, qui Patrum ſcripta de poenitentia ſingularibus libris collegerunt. Huc ſpectant ANTONIVS *Auguſtinus* in *collectione librorum poenitentialium antiquae Eccleſiae*, IO. MORINVS in *commentario hiſtorico de ſacramento poenitentiae*, PETRVS STEVARTIVS in *tomo* ſingulari *inſignium Patrum, tam Graecorum, quam Latinorum*, et LVCAS DACHERIVS in *ſpicilegio aliquot veterum ſcriptorum.*

Digitized by Google

§. II. In Latina Eccleſia doctrinam de poenitentia praecipue expoſuerunt, et quidem ſaeculo II. TERTVLLIANVS *libro* ſingulari *de poenitentia*; ex ſaeculo III. CYPRIANVS in *libro de lapſis* et in *epiſtolis* paſſim; ex ſaeculo IV. S. PACIANVS in *admonitione ad poenitentiam*, AMBROSIVS *libris II. de poenitentia*; ex ſaeculo V. BACHIARIVS in *epiſt. de recipiendis lapſis*, et LVCIFER *Calaritanus* in *libro*, cui titulus: *Non ignoſcendum eſſe iis, qui contra Deum peccant*; ex ſaeculo V. itidem LEO *M.* paſſim in ſcriptis ſuis; ex ſaeculo VI. LAVRENTIVS *Nouarienſis* in ſingularibus *homiliis*.

§. III. In Eccleſia Graeca non defuere Patres, qui doctrinam de poenitentia ſingularibus ſcriptis illuſtrarunt. Ex ſaeculo III. GREGORIVS *Thaumaturgus* canonem poenitentialem conſignauit, PETRVS *Alexandrinus* edidit *XV. canones poenitentiales*; ex ſaeculo IV. exſtat GREGORII *Nyſſeni* ſingularis *epiſtola de ritibus poenitentiae publicae*, item BASILII *M. tres epiſtolae de poenitentia publica veterum*, et denique IO. CHRYSOSTOMI *VI. homiliae de poenitentia*; ex ſaeculo V. MARCI *Aſcetae* liber ſingularis *de poenitentia*; ex ſaeculo VI. IOANNES IEIVNATOR ſingularem *libellum poenitentialem* ſcripſit, *ſiue ordinem erga eos, qui peccata confitentur, obſeruandum*; ex ſaeculo IX. METHODIVS quidam, *Homologeta* dictus, ſingulares *canones poenitentiales* edidit.

§. IV. Conſtat ex horum auctorum recenſione, quo pacto pauci Patres de *interna poenitentia* rite peragenda conſilium inierint, magis ſoliciti de *poenitentia externa*. Imo poſt IOANNEM IEIVNATOREM Patres Graeci operam dederunt, vt confeſſio auricularis, quae poenitentiae externae ſingulari ornamento eſſe debebat, in Eccleſiam introduceretur. Ille autem IEIVNATOR, qui anno 585. vixit, peculiarem *methodum abſoluendi confitentem* conſignauit, quam ex MS. edidit LEO ALLATIVS *lib. III. de conſenſu Eccleſiae Orientalis et Occidentalis, cap. 17.*

§. V. Vt autem luculentius conſtet, quaenam fuerit ratio *confeſſionis priuatae*, breuibus originem atque facta conſignabimus. Inter ſcriptores Reformatos IO. DALLAEVS huncce ritum optime expoſuit, fruſtra impugnatus a ſociis. Origo confeſſionis

nis ex perſecutione Decii deriuanda eſt. Nam cum in illa plurimi Chriſtiani peſſime fidem Chriſtianam desererent, non ſine magno Chriſtianae religionis ſcandalo, viſum eſt Eccleſiae antiquae, iſtiusmodi lapſos Chriſtianos non ſine confeſſione publica recipere; et quoniam non ſufficerent epiſcopi confeſſionibus publicis lapſorum audiendis, peculiarem *poenitentiarium* conſtituerunt veteres, qui iſtiusmodi confeſſiones audiret, atque reos deinceps abſolueret. Anno 370. ſub NECTARIO, patriarcha Conſtantinopolitano, poenitentiarii munus ob publicum ſcandalum ceſſauit, de quo agit CAVEVS. Ex prioribus igitur ſaeculis nullum poteſt peti teſtimonium pro confeſſione priuata; ſed omnia teſtimonia, quaecunque demum adducuntur, de poenitentia publica agunt atque confeſſione publica. Vt vero accuratius res innoteſcat, ſequentes ſuppeditabimus regulas:

I) Quando Patres antiqui, v.g. TERTVLLIANVS et CYPRIANVS, vocem ἐξομολογήσεως atque *confeſſionis* adhibent, omnes poenitentiae actiones intelligunt.

II) Quando Patres, contra Nouatianos disputantes, confeſſionem peccatorum, tanquam optimum medium lapſis peccatoribus, commendant, non debet intelligi confeſſio priuata.

III) Bene obſeruandum eſt, quod Eccleſia habuerit ſingulares rationes, propter quas non priuatam, ſed publicam confeſſionem introduxerit. Scilicet quia diſceſſus a Chriſtianiſmo publicum erat ſcandalum, neceſſarium ducebant veteres, vt tales peccatores publice peccatum confiterentur. Permiſſum tamen eſt quibusdam, vel ob conſcientiae angores, vel ob maiorem zelum exprimendum, etiam de peccatis priuatim commiſſis confeſſionem publice edere. Vbi tamen tenendum eſt, quod confeſſio publica de peccatis publicis maxime neceſſaria viſa ſit; confeſſio autem publica de priuatis offenſis cuiuslibet libero arbitrio fuerit permiſſa. Adeo quoque poenitentiarius in antiqua Eccleſia non priuatus, ſed publicus fuit. Poſtremis demum ſaeculis confeſſio priuata ex confeſſione publica ortum trahebat, praeſertim, ſi poſterioris aetatis ſcriptores in Eccleſia Latina conſulas. Huc referas HINCMARVM *Rhemenſem*, qui alteri epiſcopo grauiter aegrotanti, poſt miſſam confeſſionem ſcriptam, per literas iterum

rum abſolutionem miſit, ex quo exemplo colliges, quantae neceſſitatis viſa fuerit poſtremis ſaeculis confeſſio priuata.

Sectio III.

Ritus circa poenitentiam publicam obſeruatos ſiſtens.

§. I. Quoniam certa fuit ratio in antiqua Eccleſia, haereticos eiiciendi, operae pretium erit, primum agere *de poenitentia haereticorum*, deinceps ad reliquos poenitentes pergere. Ritus autem circa poenitentiam haereticorum obſeruatos, prudentiam itidem veteris Eccleſiae in hac parte, optime expoſuerunt ex antiquis Patribus TIMOTHEVS *Conſtantinopolitanus* et METHODIVS, patriarcha Conſtantinopolitanus. Ex recentioribus ſcriptoribus praecipui ſunt VEDELIVS, VEIELIVS et STRAVCHIVS, quibus adiungere poteris WACHTERI *librum de haereſi circa menſas*. Antequam autem ſigillatim de ritibus agamus, de *teſſeris* cum orthodoxorum, tum haereticorum primum agendum eſt. Sub Iudaeorum nomine primo Chriſtianos ethnicis innotuiſſe, certiſſimum eſt; quicquid etiam in contrariam partem viſum ſit WORMIO. Certe ſcriptores gentiles Chriſtianos cum Iudaeis paſſim confundunt. Poſtea Chriſtiani illuſtri quadam ratione nomen hoc proprium obtinuerunt. Deinde Chriſtiani ſolo nomine *Chriſtianorum* contenti erant; quemadmodum non ſolum ex S. Scriptura conſtat, verum etiam ex IGNATII *epiſtola ad Magneſios*, §. *10.* vbi dicit vir ſanctus, illum non a Deo eſſe, qui alio, quam Chriſtianorum, nomine vtitur. Sed non multo poſt, vti obſeruat SMITHVS ad praedictum IGNATII locum, *pag. 80.* Ebionaei et Gnoſtici primum detrectabant illud commune Chriſtianorum nomen, et peculiare aliquod affectabant. Cum vero viderent Chriſtiani orthodoxi, quod haereticis ob ſingularem ſuperbiam nomen Chriſtianorum non ſufficeret; ſtatim cogitarunt de nouorum nominum cumulo. Igitur *catholicos* ſe vocarunt. VALESIVS *ad Euſebium* confeſſus eſt, ſe ignorare, quo ſaeculo hic titulus ortum habuerit. Sed ſtatim poſt apoſtolorum tempora innotuit. Nam IGNATIVS in *epiſtola ad Smyrnaeos*, §. *8.* Eccleſiam Chriſti vocat *catholicam*. Neque titulus *catholicorum* ſufficiebat, praeſertim cum haeretici, qui magnum hominum habebant numerum, v. g. Ariani et Dona-

Digitized by Google

Donatiſtae, idem nomen catholicorum affectarant. Hinc Eccleſia antiqua *orthodoxorum* nomen accipiebat, quod nomen in primis clarum erat et multis meritis inſigne ſaeculo IV. Sequioribus ſaeculis, cum pugna inter Chriſtianos de cultu imaginum exorta eſſet, illi Graeci, qui imagines diuino cultu proſequebantur, quique alios disſentientes eliminarant extra Eccleſiam, *orthodoxorum* titulum ſibi vindicabant. Qui vero ab orthodoxis disſentiebant, nominabantur *heterodoxi*. Interim de hoc vocabulo obſeruandum eſt, quod primis ſaeculis, et quidem apoſtolicis, heterodoxi appellati ſint, non, qui in Articulis fidei disſentirent, ſed qui pure omnes Articulos fidei credebant, peſſima autem vita myſterium pietatis denegabant. Sic IGNATIVS in *epiſtola ad Smyrnaeos*, §. 6. Chriſtianos in pia vita ab aliis disſentientes nominat ἑτεροδοξοῦντας. Eodem ſenſu vocem *heterodoxi* adhibuerunt ORIGENES et CLEMENS *Alexandrinus*, vti probat PEARSONIVS in *Notis ad Ignatii locum*.

§. II. Obſeruatis hisce haereticorum et orthodoxorum titulis, *de modo procedendi cum haereticis* agemus. At conſtat, veteres Chriſtianos haereticum extra Eccleſiam eliminaſſe multis lacrymis, precibus, ſuſpiriis, pullatos etiam inceſſiſſe eo tempore, cum haereticum exilio multarent. Vide, quae obſeruant GROTIVS atque HAMMONDVS *ad Rom. XII, 15*. Notae quoque ſunt preces veterum Chriſtianorum pro conuerſione haereticorum. Inſignis locus eſt apud IGNATIVM in *epiſt. ad Smyrnaeos*, §. 4. et IRENAEVM *lib. III. cap. XLVI*. Talis oratio pro haereticis conuertendis exſtat in *libris ſacramentorum IV. feria magnae hebdomadis et paraſceues*, *pag. 62*. Sed mox ſequiori tempore pietas et charitas erga haereticos ceſſauit. Sic v. g. anno 313. ALEXANDER, patriarcha Alexandrinus, vehementi oratione coram Deo contra ARIVM depugnauit, adeo, vt mors eius funeſta mox conſequeretur. Anno 370. DIDYMVS Iulianum Apoſtatam ita precibus ſuis apud Deum commendauit, vt morte miſerrima vitam finiuerit. Magis culpandum eſt, quod ipſi orthodoxi in antiqua Eccleſia ob leuiorem diſſenſum mutuis anathematiſmis ſe condemnarint. Sic CHRYSOSTOMVS EPIPHANIO male precatus dixit: *In patriam non reuerteris feliciter*. EPIPHANIVS autem ita deuouebat CHRYSOSTOMVM: *In dignitate*

gnitate patriarchali vitae finem non conſequeris. Vtrumque anathemizantem vltio diuina conſecuta eſt. Conf. de hisce anathematiſmis SMITHVM in *diſſertatione de abuſu pſalmi CIX. imprecatorii, pag. 22.* A ritu priſco excommunicandi et a ſtylo apoſtolico plane aliena eſt excommunicationis formula, quam in *Concilio Aquisgranenſi* anno 816. praeſcriptam legimus, et cuius nos participes fecit BOXHORNIVS ex antiquo Aquenſis Bibliothecae MS. Integrum quoque inſeruit anathema STRAVCHIVS *diſſertationi de priſcae Eccleſiae aequitate in cenſendis haereticis.* Aliae excommunicandi formulae recenſentur a RHEGINONE, abbate Prumienſi, in tractatu *de diſciplina Eccleſiaſtica veterum, praeſertim Germanorum, lib. II. num. 408. ſqq.* Poſt excommunicationem infallibile haeretici ſignum erat, quod nomen alicuius e diptycho tolleretur, ita, vt preces quoque publicae tali homini denegarentur. Erant autem *diptycha* duplicis generis. In aliis diptychis nomina virorum commemorabantur atque conſcribebantur, vt veluti ſeriem quandam haberent orthodoxorum, vno tempore viuentium. In aliis diptychis commemorabantur nomina eorum, qui in pace et communione Eccleſiae deceſſerant, quive cum orthodoxis in vita ſemper fecerant. Denique hoc quoque indicium verae communionis erat, ſi vel *literas*, quas *formatas* vocabant, ad ſe mutuo mitterent, vel etiam panes conſecratos, quos *eulogias* vocabant, invicem mitterent.

§. III. Hactenus egimus de haereticis more veterum Chriſtianorum recipiendis. Nunc quoque agemus de *ritibus poenitentiae publicae*, erga quosvis poenitentes vſurpatis. Primo autem agemus *de titulis poenitentiae*, qui in Eccleſia Latina et Graeca varii erant. In Eccleſia Latina iam tempore TERTVLLIANI poenitentia vocabatur *ſatisfactio*, de quo nomine, quia eodem Pontificii abutuntur, breuibus agendum eſt. Scilicet veteres Chriſtiani per vocem *ſatisfactionis* nullatenus intelligebant compenſationem poenae temporalis, quam Deus poſt remiſſum peccatum adhuc infligendam reſeruat ſacerdotibus, cum homines iam defuncti ſunt. Longe aliter ſeſe habebat *ſatisfactio* in antiqua Eccleſia. Nam per ſatisfactionem indicantur ritus, qui a poenitentiae publicae ſubiectis hominibus neceſſario requirebantur, vti bene obſeruat TITIVS in *diſ-*

ſertat.

Digitized by Google

ſertat. de phraſibus veterum Eccleſiae doctorum, pag. 170. Quatuor autem *gradus poenitentium* erant. *Primi ordinis* poenitentes vocabantur προσκλαίοντες ſiue *lugentes*. His autem certo modo accenſere poteris illos, quos Patres vocant χειμαζομένους, ſiue *hyemantes*. Stabant autem hi poenitentes ante fores templorum ſub frigido coelo, lacrymis et veſtibus laceris incedentes, vt Chriſtianorum miſericordiam ſibi exorarent. *Secundi gradus* poenitentes vocabantur ἀκροώμενοι ſiue *audientes*. Hi ſtatim non admittebantur, vt omnes ſacris adeſſent, ſed ſtabant prope ianuas in loco, quem Patres vocant νάρθηξ. His quoque licitum erat, audire conciones, ſed deinceps cum catechumenis ſacris abeſſe iuſſi ſunt. *Tertii gradus* erant ὑποπίπτοντες ſiue *genua flectentes*. Nam hi poſt auditam concionem genua flectebant cum tota Eccleſia, epiſcopus autem illorum nomine confeſſionem recitabat, atque oblata abſolutione ſacris euchariſtiae abeſſe iubebat. *Quarti gradus* poenitentes vocabantur συνιστάμενοι, h.e. qui cum reliquis Chriſtianis in templis remanebant, atque adſpicere poterant euchariſtiae celebrationem. Hi vocantur etiam *competentes*, die Bettler; quia plurimis precibus ſolicitabant Eccleſiam, vt ad ſacram communionem admitti poſſent. Ex hisce omnibus conſtat, quod nemo accurate ritus veteris poenitentiae conſiderare queat, niſi probe perſpectam habeat ſtructuram templorum in antiqua Eccleſia. Operae igitur pretium erit, optimos commendare auctores, ex quibus non ſolum delineationem templorum, ſed ipſorum poenitentium ſtationes perſpicias. Ex ſcriptoribus huc referas LEONEM ALLATIVM in *epiſtola* ſingulari *de templis recentiorum Graecorum*, POMPEIVM SARNELLVM in *antiqua Baſilicographia*, IO. IVSTINVM CIAMPINVM in ſingulari *libro de ſacris aedificiis a Conſtantino M. exſtructis;* ex Reformatis GEORGIVM WHELERVM in libro ſingulari *de ruderibus antiquorum templorum in Oriente adhuc conſpicuis*, BEVEREGIVM in *notis ad ſynodicum magnum, pag.* 71. ex noſtris LVDOLFVM in *commentario hiſtor. Aethiopicae, pag.*371. Antequam ad nomina poenitentiae, in Eccleſia Graeca celebrata, pergamus, duriores quaedam Patrum locutiones de ſatisfactione poenitentiae propter Pontificios bene ſunt emolliendae atque exponendae. Quando igitur Patres dicunt,

cunt, peccata ſatisfactionibus redimi, tolli, purgari, ablui atque deleri, de ſatisfactionibus internis potius loquuntur, quam externis, voluntque, vt ex exterioribus ſignis de interiori poenitentia colligamus. Ceterum ipſi termini, *redimere, tollere* metaphorice accipiuntur ſaepiſſime pro *abrumpere, tollere* atque *abiicere peccata.* Ceterum nonnunquam moderatio quaedam erat in iſtiusmodi ſatisfactionibus, quam moderationem cum ſuis indulgentiis peſſime confundunt Pontificii. Poſt DALLAEVM huc interim conferri meretur TITIVS *pag. 173.* Relaxationes autem in antiqua Eccleſia potiſſimum ſuscipiebantur commendatione martyrum, qua de re luculenter paſſim agit CYPRIANVS.

Secundo de titulis poenitentiae in Eccleſia Graeca diſpiciendum eſt. Poenitentia apud Graecos venit μετανοίας nomine; modus autem poenitentiam publice inſtituendi vocatur κάνων. Plura de poenitentia Graecorum dabit IO. MORINVS.

SECTIO IV.

Syſtema poenitentiae apud haereticos receptae ſiſtens.

§. I. *Montaniſtae* ſaeculo II. rigidiores poenitentiae obſeruatores fuerunt, carpentes paſſim diſſolutioris vitae homines in antiqua eccleſia. Niſi plurimum fallitur ITTIGIVS, fides ei adhibenda eſt, quando aperte tradit, *Montaniſtas* ſaepius peſſime traductos fuiſſe a Patribus eccleſiae antiquae, cum mores horum non adeo improbandi ſint. Maior igitur error fuit in doctrina, cum viſionibus propheticis nimium indulgerent.

§. II. Saeculo III. *Nouatiani* auctore NOVATIANO, non NOVATO, eccleſiam Chriſti turbarunt, reiiciendo omnes, qui in grauiora peccata, v. g. idololatriae, vel ſemel tantum prolapſi erant.

§. III. Saeculo IV. *Donatiſtae* ſub ſpecie pietatis atque poenitentiae publice reſtaurandae varias turbas excitarunt in eccleſia antiqua. Huius haereſeos hiſtoriam debemus VALESIO, ITTIGIO atque WITSIO, cum quibus omnino conferre debes OPTATI *Mileuitani libros VII. contra Donatiſtas*, ex editione DVPINII.

§. IV. Quodſi vero de hisce haereticis iudicium ferre velis, videbis, peſſimos in hoc genere fuiſſe *Donatiſtas*, mediocris admodum

modum pietatis *Nouatianos*, melioris autem ex parte ſortis *Montaniſtas*.

Locvs VIII.

DE IVSTIFICATIONE ET SANCTIFICATIONE.

Sectio I.

Hiſtoriam Articuli de iuſtificatione in prima Eccleſia ſiſtens.

§. I. Quoniam ſcriptores Pontificii, quos inter eminet NATALIS ALEXANDER, non erubeſcunt aſſerere, quod doctrina noſtra de iuſtificatione per ſolam fidem SIMONEM *Magum* habeat auctorem: qua de re confer VRSINVM *part. II. analect. lib. V. cap. VII. pag. 271.* ITTIGIVM in *diſſertat. de haereſiarchis apoſtolicis*, et SPANHEMIVM in *introductione ad hiſtoriam eccleſiaſt. pag. 32.* operae pretium erit, fata huius Articuli ſecundum ſeriem temporum exponere.

§. II. Antequam vero diſtinctius hac de re agamus, ad examen omnino vocandus eſt DIPPELIVS, qui in ſcriptis ſuis paſſim tradit, AVGVSTINVM primum eſſe inuentorem doctrinae de iuſtificatione ex ſola fide. Verum ignorantia rerum eccleſiaſticarum ſatis fidenter hoc effutiuit DIPPELIVS.

§. III. Ex Patribus apoſtolicis plura adducere poſſumus loca, ex quibus Lutheranorum doctrina luculenter aſſeritur. Vide IGNATIVM in *epiſt. ad Epheſios*, §. *14.* et de hoc loco egregie diſſerentem VEDELIVM in *exercitationibus ad Ignatii epiſtolas*, *pag. 240.* In eadem epiſtola §. *9.* inſignis locus exſtat, de quo vide diſſerentem COTELERIVM, adiuncto PEARSONIO in *vindiciis Ignatianis*, *part. II. cap. XIV.* Conf. et CLEMENS *Romanus* in *epiſtola I. ad Corinthios*, §. *32.* TERTVLLIANI tempore diſſenſus quidam videtur a Patribus ſaeculi primi haud eſſe exiguus. Scilicet TERTVLLIANVS in *apologetico cap. L.* aſſerit, beatos martyres gratiam diuinam proprio ſanguine redimere, atque adeo ſibi omnium peccatorum veniam comparare. Eadem deinceps mens fuit ORIGENIS atque CYPRIANI. Plurium Patrum loca diligenter collegerunt IO. ANDR. SCHMIDIVS in *program. de libellis pacis*, et DODWELLVS *diſſertat. XII. ad Cyprianum.* Ex his aliorumque Patrum verbis quidam conclude-

Digitized by Google

cludere volunt, ac ſi antiqui Patres credidiſſent, baptiſmum ſanguinis ſiue martyrium non ſolum ſolis martyribus ſufficere ad impetrandam veniam peccatorum, verum etiam aliis hominibus merita martyrum prodeſſe. Sed optime ESPENCAEVS in *commentario ad Col. I, 24. pag. 343.* oſtendit, quod TERTVLLIANVS, CYRILLVS *Alexandrinus*, AMBROSIVS aliique bene ſolis Chriſti paſſionibus merita ſatisfaciendi tribuerint, non vero martyriis hominum. Conf. ITTIGII *diſſertationem de reſiduo paſſionum Chriſti, quod Paullus in carne ſua Eccleſiae cauſa cum gaudio adimpleuit*, §. *30.* Antequam verba TERTVLLIANI aliorumque luculentius exponamus, bene obſeruandum eſt, quod TERTVLLIANVS tantum aſſerat, quod martyres ſuis meritis ſibi proſint, vel aliis hominibus, h. e. quod ſe gratos Deo reddant, non vero alios homines. Carpit igitur mores peruerſos ſui temporis, quo multi Chriſtiani exiſtimabant, merita martyrum ſibi quoque prodeſſe; quemadmodum illa magno vſui erant in impetranda venia apud Eccleſiam. Locus inſignis exſtat TERTVLLIANI in *libro de pudicitia*, *cap. XXII.* Iam ipſa verba TERTVLLIANI examinabimus. Quoniam vero TERTVLLIANVS voce *promerendi* cum reliquis Patribus vtitur, ſenſus eſt, quod beati martyres multa fecerint, quae Deo placeant. Ex illis verbis autem non licet concludere, quod beneplacitum diuinum in operibus martyrum, non vero in fide acquieſcat. Certe martyrium, quod obierunt, teſtatur, quod fides non ſine operibus, nec opera ſine fide fuerint. De phraſi igitur hac Patrum plura videas apud CHAMIERVM *Tom. III. panſtratiae*, *lib. XIV. cap. XIII.* GRONOVIVM in *obſeruationibus ſacris*, *cap. VII. pag. 76. et* IOS. ARNDIVM in *Lexico antiquitatum, pag. 623.* Quodſi porro martyres apud Deum intercedere dicuntur, atque aliquid conſequi, pro ſalute aliorum precantes, id nihil derogat fidei in Chriſtum. Quemadmodum vxor particeps eſt omnium bonorum, quae marito ſunt propria: ita martyres, ſingulari ratione per montem cruentam Deo vniti, facilius a Deo bona impetrant, quam ſi ad illum martyrii gradum nunquam perueniſſent. Et quia Chriſto magis magisque ſimiles ſunt redditi per varias calamitates, plus illis Deus indulget, quam aliis, qui multo inferiores ſunt martyribus.

§. IV.

§. IV. Ne tamen adhuc dubii ſimus de genuina Patrum ſententia in Articulo de fide iuſtificante, omne dubium animis noſtris euellet celeberrimus Pater MARCVS *Eremita*, qui ſingularem *tractatum* edidit *contra illos*, *qui ſe putant iuſtificari ex operibus*.

SECTIO II.

Singulares Patrum opiniones de connexione iuſtificationis et ſanctificationis ſiſtens.

§. I. Quod primaeui Chriſtiani ſanctificationem cum iuſtificatione coniunxerint, non ſolum ex ſcriptis illorum patet, ſed et luculenter conſtat ex morum innocentia. Neminem ad baptiſmum admittebant, niſi per aliquod temporis ſpatium innoxios mores probaſſet, vti pluribus ostendit GROTIVS *ad caput vltimum Matthaei*. Multo magis mirum eſt, quod baptiſmo initiati exiſtimarent, maius ſanctificationis ſtudium ſibi incumbere. Hinc vocabant baptizatos *illuminatos* atque *fideles* ſingulari ratione. Hinc etiam HIERONYMVS in *epiſt. ad Demetriadem*, *Tom. I. pag. 68.* ita de antiquis Chriſtianis loquitur: *Tunc*, inquit, *Domini noſtri ſanguis adhuc calebat, et feruebat recens in credentibus fides.* Imo illud Pauli: Die Welt iſt mir gekreuziget, und ich der Welt, quotidianum veterum Chriſtianorum ſymbolum fuit, vti ex ipſis CELSI calumniis perſpicias. Ceterum ſi ſingulares velis libros legere, ex Patribus AVGVSTINVS egregium tractatum ſcripſit *de fide et operibus*, vt et GREGORIVS *Nyſſenus de perfectione Chriſtiani* ſingularem librum, et *epiſt. ad Harmonium, quid nomen profeſſioque Chriſtiana ſibi velit.* Quemadmodum vero Chriſtiani antiqui ob pios mores celeberrimi ſunt, ita, vt ſingulares nunc exſtent libri de piis moribus veterum Chriſtianorum: ita peſſimi haeretici peſſimis ſuis moribus doctrinam Chriſtianam ludibrio expoſuerunt, anſamque dederunt gentilibus vitam Chriſtianorum traducendi.

§. II. Sed ſunt nonnulli viri eruditi, qui Patres male acceperunt, ac ſi iuſtificationem cum ſanctificatione confunderent. Ita S. CHRYSOSTOMVM in primis detorquet GROTIVS in *proëmio ad epiſt. ad Romanos*, vbi asſerit, quod iuſtificari iuxta hunc Patrem magis ſit, quam remiſſionem peccatorum con-

Digitized by Google

conſequi: quia iuſtificari nouam obedientiam etiam complectatur. Sed CHRYSOSTOMVS non ſolum, verum etiam alii Patres percommode poſſunt defendi, ſi ſequamur ductum GERHARDI TITII in libro *de phraſibus ſiue locutionibus veterum Eccleſiae doctorum.* Scilicet iuſtificationis terminum laxiori ſenſu acceperunt. Cum vero ſaepiſſime etiam eundem terminum ſtrictiori ſenſu accipiant, accuratiſſime diſtinguunt inter ſanctificationem atque iuſtificationem.

Sectio III.

Peculiare haereticorum ſyſtema in articulo de iuſtificatione ſiſtens.

§. I. *Gnoſticorum* ſingularis fuit de iuſtificatione ſententia. Nam gentilium more neſcio quas barbaras voces et preces, vt et alias res ridiculas externas adhibuerunt, vt qui Gnoſticorum locutiones in Articulo de iuſtificatione intelligere velit et excutere, notitiam accuratam habere debeat myſteriorum gentilium, de quibus erudite agit GROTIVS *ad 2 Timoth. IV, 4.* Nonnulla tamen pro defenſione Gnoſticorum adduxit IACOBVS RHENFERDIVS in *diſſertat. philologica de redemtione Marcoſiorum aliorumque Gnoſticorum.* IAMBLICHVS *de myſteriis Aegyptiorum* haud incommode huc conferri meretur. Nam multum lucis huic rei ſuffundit omnino.

§. II. *Pelagiani* quoque in cenſum haereticorum ſunt referendi. Docuerunt, homines per legem conſequi poſſe vitam aeternam. Pelagianos inter Patres AVGVSTINVS ſolide impugnauit, cuius vt et aliorum Patrum loca diligenter collegit et expoſuit CALOVIVS in *bibl. illuſt. ad Matth. V, 20.*

Locvs IX.
DE PRAEDESTINATIONE.

Sectio I.

Singulares Patrum opiniones de praedeſtinatione ſiſtens.

§. I. Licet plures Patres fuerint, qui Articulum de praedeſtinatione more Caluinianorum acceperunt, iidemque a GILBERTO MAVGVINO collecti ſint; AVGVSTINVS tamen prae reliquis in ſuſpicionem Caluinianiſmi adducitur. Cum viueret adhuc

AVGV-

AVGVSTINVS, in ſuſpicionem haereſeos iam vocatus eſt, praeſertim a theologis Gallis. AVGVSTINVS autem atque PROSPER receptam ſemel doctrinam defendere conati ſunt. Circa medium vero ſaeculi ſuperioris CORNELIVS IANSENIVS, cum AVGVSTINVM ſuum ederet, vel aliis edendum committeret, AVGVSTINVM quam maxime ſuſpectum reddidit. Non defuerunt tamen plures auctores, qui AVGVSTINVM in eccleſia Pontificia maxime perſtringerent, inter quos in primis Ieſuitae excelluerunt, quorum nomina collegit LEONARDVS LESSIVS in *diſputatione de praedeſtinatione.* Ex Reformatis AVGVSTINVM accuſauit GERH. IO. VOSSIVS, cui tamen os obſtruxit IO. FORBESIVS *lib. VIII. inſtruct. cap. XXVIII.* Auguſtini tamen doctrinam vindicandam in ſe ſuſcepit HENR. NORISIVS, cum in *hiſtoria Pelagiana*, tum etiam in *vindiciis Auguſtinianis.* NORISIO adiungeres THOM. BLAMPINVM.

§. II. Iam inquiremus in rationes, propter quas Ianſeniſtae atque Ieſuitae AVGVSTINVM in ſuas partes rapiant. Ianſeniſtae, qui Caluinianis quam proxime accedunt, ideo AVGVSTINVM pro ſuis partibus defendendis citant, quia idem doctrinae de abſoluto decreto nimis fauere videtur. Contra Ieſuitae, qui libero arbitrio plus aequo indulgent, et Ianſeniſtarum infenſiſſimi hoſtes ſunt, ideo AVGVSTINVM ſugillant, quia ſibi aduerſari videtur. Quodſi vero iudicium noſtrum interponere liceat, a Ianſeniſtarum magis ſtat partibus AVGVSTINVS, ita tamen, vt, ſi mollius exponere velis, Lutheranis quoque fauentiorem eſſe merito dixeris. Indicio eſſe poterit ANTON. REISERVS. Ceterum ipſe AVGVSTINVS iam dudum, cum ſe traduci videret, ſingularibus libris nomen ab haereſeos ſuſpicione vindicauit. Referas huc eius *librum de gratia et libero arbitrio*, alium *de bono perſeuerantiae*, alium denique *de praedeſtinatione ſanctorum.*

§. III. AVGVSTINVS igitur, ſi ipſum, quemadmodum par eſt, optimum propriorum verborum interpretem eſſe ſinamus, oſtendit in adductis libellis, quod horrendum illud decretum abſolutum, quod non ſine iniuria Reformati Deo affingunt, ſibi nunquam in mentem venerit. Si incommode fortaſſis loquitur, myſterio eiusque ſublimitati adſcribendum eſt, atque adeo ab omni ſuſpicione Auguſtinus facile purgari poterit.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio II.

Syſtema haereticorum in articulo de praedeſtinatione ſiſtens.

§. I. In antiqua eccleſia haeretici fuerunt, qui *Praedeſtinati* vel *Praedeſtinatiani* dicti ſunt. Hi ſequentes errores defendebant:

I) Abſolutam hominum, quomodocunque ſe geſſerint, quorundam ad vitam, et aliorum ad mortem aeternam praedeſtinationem.

II) Diuinam praeuiſionem et praeſcientiam ad bonum et malum generale quemlibet hominem fatali quadam neceſſitate impellere.

III) Particulare eſſe meritum Chriſti.

IV) Particularem eſſe vocationem, quoad efficaciam, gratiae.

V) Baptiſmum ex omni parte inefficacem eſſe in prima collatione ſiue actu baptiſmi; deinceps vero efficacem eſſe, ſi ad annos diſcretionis veniat homo, et e numero electorum ſit.

§. II. Operae pretium erit accuratioris ordinis cauſa 1) *originem* haereſeos, 2) *progreſſum*, 3) *eruditorum* de hac haereſi *ventilationes* proponere.

§. III. Quod ad *originem* huius haereſeos attinet, ineptus plane eſt LVDOV. CELLOTIVS, qui in *hiſtoria Godeſchalci, lib. II. cap. I. pag. 90.* exiſtimat iuxta Rom. IX, 19. iam tempore Pauli Praedeſtinatianos fuiſſe. Rectius originem huius haereſeos ponemus ad annum 424. quo monachi quidam Adrumetani in Africa hanc haereſin excitarunt, ob duriora quaedam AVGVSTINI verba minus recte accepta; ſed ab AVGVSTINO ad meliorem mentem perducti ſunt. Exſtincta hac haereſi in Africa, eodem adhuc ſeculo Galliam inuaſit Praedeſtinatianorum error, vt PROSPER, GENNADIVS aliique Patres luculenter oſtendunt. Sed et ibidem haereſis haec in herbis fere oppreſſa eſt, ita, vt per tria integra ſaecula nullus eſſet, qui huius haereſeos patronum ſeſe exhiberet. Inuentus tamen eſt ſaeculo IX. GODESCHALCVS, qui haereſin praedictam denuo inſtaurauit. Non deſunt autem defenſores GODESCHALCI, ex. gr. MAVGVINVS, VSSERIVS et fere Reformati omnes. Grauiter contra eundem accuſant CELLOTIVS et Pontificii alii ſcriptores, imo Lutherani fere omnes.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. Quod ad ventilationes eruditorum pertinet, de illis haereticis Praedeſtinatianis quaeritur apud eruditos: num re vera in eccleſia fuerint Praedeſtinatiani haeretici? Affirmant PETAVIVS *tom. IV. dogmatic. lib. XIII. cap. 6. 7.* et 13. SIRMONDVS in editione ſua *auctoris Praedeſtinati*, (qui auctor circa ſaeculum V. vixit, et ſingularem librum *de Praedeſtinatianis* conſcripſit) et denique CELLOTIVS. Negarunt vero VSSERIVS, FORBESIVS, HOTTINGERVS, IANSENIVS, MANGVINVS, NORISIVS et denique CABASSVTIVS. Qui negant, hanc haereſin vnquam exſtitiſſe, tradunt, quod Semi-Pelagiani, hoſtes AVGVSTINI, nomen quoddam haereticorum *Praedeſtinatianorum* hactenus inauditum fingentes, multis conuitiis AVGVSTINVM lacerauerint, acſi iſtiusmodi errores Praedeſtinatianos defendere fategiſſet. Nos contra cum illis facimus, qui Praedeſtinatianos haereticos fuiſſe affirmant, quia tot in antiquitate hac de re exſtant praeclari auctores, quibus omnem fidem denegare ineptum foret. Exiſtimamus autem, auctores, qui a nobis disſentiunt, magis ſtudio partium, quam veritatis duci.

SECTIO III.

Doctrinam de praedeſtinatione per priora ſaecula ſiſtens.

§. I. Antiquos Patres non credidiſſe praedeſtinationem ad malum, ſed potius exiſtimaſſe, omnem ſuſpicionem mali atque neceſſitatis a praeſcientia Dei propulſandam eſſe, luculentis verbis IVSTINI *Martyris*, CLEMENTIS *Alexandrini*, ORIGENIS, CHRYSOSTOMI, CYPRIANI aliorumque probat GROTIVS *ad Luc. XXII, 22.*

§. II. Atque vt magis conſtet conſenſus antiquae Eccleſiae de praedeſtinatione atque praeſcientia, tenendum eſt, quod beati Patres iam dudum multis abhinc ſaeculis more Lutheranorum diſtinctionem fecerint inter voluntatem Dei antecedentem et conſequentem. Ipſa diſtinctionis verba quidem primus habebat DAMASCENVS, verum res ipſa iam dudum recepta eſt ab ORIGENE, CHRYSOSTOMO et HIERONYMO, quos indicat IO. ADAMVS SCHERZERVS in *extenſione breu. Hülſemanni, pag. 459.*

Digitized by Google

Locvs X.
DE BAPTISMO.
Sectio I.
Singulares Patrum opiniones de baptiſmo ſiſtens.

§. I. Multi ex Patribus ſunt, qui baptiſmum abſolute neceſſarium eſſe iudicant, ita, vt infantes ſine baptiſmo decedentes aeternis ſuppliciis ſubiiciant; vel ſi miſericordia aliquantum tangi videantur, velint infantes non baptizatos priuare viſione Dei beatifica. Primarius auctor eſt AVGVSTINVS, de cuius hypotheſi pluribus agunt VOSSIVS in *hiſtor. Pelagian. lib. II. part. III. theſi 4.* et NORISIVS in *vindiciis Auguſtinianis, ſect. V. pag. 32.*. Hypotheſis haec deinde alia abſurda procreauit, ſcilicet, fideles V. T. baptizatos eſſe aqua e latere Chriſti profluente, latronem fidelem itidem non ſine baptiſmo diſceſſiſſe, ſed, aqua e latere Chriſti profluente conſperſum, baptizatum quaſi eſſe. Denique aſſeruerunt, non, niſi baptiſmum ſanguinis, baptiſmo aquae deficiente, ianuam coeli aperire.

§. II. Inter Chriſtianos antiquos mos quoque fuit, differre baptiſmum vsque ad mortem, contra quem peruerſum ritum BASILII et GREGORII *Nazianzeni* ſingulares exſtant *homiliae*. Ceterum confer de hoc ritu differendi baptiſmum BOSII ſingularem *diſſertationem*, et GROTIVM *ad Matth. XIX, 14.* TERTVLLIANVM quoque in eorum claſſem referunt, qui baptiſmum non ſtatim conferendum eſſe docuerunt. Et licet quidem in *libro de baptiſmo* ita ſentire videatur; in aliis tamen locis ſcriptorum ſuorum dilationem baptiſmi impugnat, ita tamen, vt ſolemnia baptiſmi tempora nolit negligi. Conf. quae DORSCHEVS obſeruat apud ZIMMERMANNVM in *Analectis, pag. 397.*

§. III. TERTVLLIANVS atque CYPRIANVS nonnunquam durius loquuntur de baptiſmo aquae, exiſtimantes, quod nihil proſit aqua baptiſmi, ſed quod tantum in externum ſignum adhibita ſit, nulla autem operatio ſpiritualis inde ſperanda ſit. Contra vero exiſtimant, Spiritum S. conferri ſine medio aquae, atque impoſitionem manuum luculentius ſignum eſſe Spiritus S. collati, quam baptiſmum aquae. Conf. ITTIGII *diſſertatio de Theodoro Abucara, §. 21.* Hi itaque auctores primi fuerunt, qui

Digitized by Google

qui dixerunt, baptiſmum tantum merum ſignum eſſe collati Spiritus S. neque habere vllam vim regenerandi.

§. IV. Prudentia Eccleſiae Graecae magna fuit in adminiſtrando baptiſmo. Nam etiam diſciplina arcani in loco de baptiſmo obtinuit, praeſertim quod ad ritus myſticos baptiſmi attinet. Hinc fabula eſt, baptiſmum, ab ATHANASIO puero aliquando collatum, verum atque genuinum fuiſſe baptiſmum.

§. V. Recentiores quidam auctores ex Patribus probare voluerunt, aſperſionem, in baptiſmo hodie adhibitam, inferiorem eſſe immerſione, in antiqua Eccleſia vſurpata. Huc referas ex ſcriptoribus Anglis KNACHTBVLLVM in *Notis ad 1 Petr. III, 20.* et GABRIELEM TOWERSONVM in libro *de ſacramento baptiſmi*, Anglice conſcripto. At licet multum myſterii Patres quaeſiuerint in ritu immerſionis, atque frequentiorem huius vſum eſſe voluerint; tamen aſperſionis ritum non ſimpliciter reiecerunt.

§. VI. Etiam hoc ſingulare fuit apud Patres antiquos, quod infantibus recens baptizatis lac cum melle, tanquam ſacramentum euchariſtiae, primis ſaeculis darent, ſequioribus etiam ſaeculis euchariſtiam ſtatim cum baptiſmo coniungerent. Pontificii myſterium confirmationis ſemper cum baptiſmo coniunctum fuiſſe tradunt, multaque Patrum loca hanc in rem adducunt. At mirum in modum illi homines falluntur, dum vocem Graecam σφραγῖδα, quae *ſigillum* ſignificat, de confirmatione exponunt; cum Patres hanc vocem Graecam non niſi de baptiſmo atque euchariſtia vſurpent.

§. VII. CYPRIANI quoque lites cum STEPHANO Pontifice notae ſunt. Scilicet exiſtimauit CYPRIANVS, neminem, niſi qui orthodoxus ſit, conferre poſſe baptiſmum: hinc pariter omnium haereticorum baptiſmos inualidos plane eſſe. Obluctatus eſt STEPHANVS ita, vt magna inter vtrumque disſidia orta ſint.

§. VIII. Inter ſingulares Patrum opiniones quoque referas, quod martyrium, vel baptiſmum ſanguinis parem cum baptiſmo dignitatem habere docent.

§. IX. Nonnulli quoque Patres exiſtimant, baptiſmatis ſacramentum plenum eſſe nuncupato tantum Filio, vel Spiritu S., reliquis

liquis perſonis Trinitatis miſſis. Inter horum cenſum AMBROSIVM refert DALLAEVS *pag. 272.* BASILIVM etiam VOSSIVS in *diſputatione de baptiſmo.* Pro AMBROSIO tamen verba facit NOURRIVS, pro BASILIO SVICERVS in *Theſ. eccl. tom. I. pag. 635.* Et ſane vterque Patrum optime excuſari poteſt, ſi conſideres, quod baptiſmum in nomine Chriſti vnum eundemque fecerint cum baptiſmo in nomine S. S. Trinitatis.

SECTIO II.

Singulares baptiſmi ritus ſiſtens.

§. I. Quod ad primarios baptiſmi ritus attinet, baptizandus debebat libello ſupplice baptiſmi veniam ſibi exorare. Hinc ſtatim prope fontem baptiſmi de renunciatione diaboli interrogabatur, quam etiam extenſa manu verſus occidentem teſtabatur. Deinde confeſſionem fidei edebat, ita, vt ad interrogata epiſcopi promte reſponderet. Mox accedebat exorciſmus atque exſufflatio. Denique ad fontem deducebatur, vbi veſtes exuebat, atque oleo vnctus et cruce in fronte accepta, aquae immergebatur. Omnino autem opus erat, vt totus ſubmergeretur, atque per exiguum temporis ſpatium ſub aqua latitaret. Cum vero ex baptiſmi vndis rediret, albis veſtibus ornatus per integram ſeptimanam incedebat; quae veſtes candidae deinceps in templo ſuspenſae ſingulari documento erant illis, qui a Chriſtiana religione ad gentiliſmum recedebant. Omnes autem hi ritus, quotquot hactenus commemorati ſunt, praeſente Eccleſia celebrabantur, vt tot haberent teſtes, imo iudices coram Deo, ſi aliquando Chriſtianiſmum iterum eiurarent.

§. II. Ritus baptiſmi antiqui luculenter expoſuerunt ex Reformatis SPANHEMIVS et GERH. IO. VOSSIVS; ex Pontificiis IOSEPHVS VICECOMES, EDMVNDVS MARTENE; ex noſtris GEBH. THEODORVS MEIERVS.

§. III. Sunt etiam adhuc ſpeciales ritus baptiſmi, v. g. *confirmatio*, de qua exſtat ſingularis diſſertatio DALLAEI. In Eccleſia quoque antiqua noti fuerunt *patrini*, de quibus exſtant ſingulares libri SELDENI, GERH. VAN MASTRICHT, RAYNAV-

DI.

DI. De catechumenis antiquae Eccleſiae ſingulares exſtant diſſertationes TOBIAE PFANNERI atque AEGIDII STRAVCHII.

SECTIO III.

Articulum de baptiſmo per priora ſaecula ſiſtens.

§. I. Non minus in Eccleſia Graeca, quam Latina operam dederunt Patres, vt doctrina baptiſmi cum ritibus adiunctis accuratiſſime traderetur. Ex ſaeculo IV. plurimos habemus auctores in Eccleſia Graeca, qui hanc in rem adducendi ſunt: CYRILLVS *Hieroſolymitanus*, BASILIVS M. GREGORIVS *Nazianzenus*, IO. CHRYSOSTOMVS. Quodſi quoque ſcire velis, quinam ritus baptiſmi ſint apud Syros atque alios Chriſtianos Orientis; SEVERVS, patriarcha Conſtantinopolitanus, de illis peculiarem librum ſcripſit.

§. II. In Eccleſia Latina non defuerunt Patres, qui ex profeſſo eandem doctrinam baptiſmi atque rituum illuſtrarunt. Praeſtantiſſimi ſunt TERTVLLIANVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS. Saeculo vero VIII. CAROLVS M. ſingulari epiſtola, ad epiſcopos vniuerſi imperii exarata, mandauit, vt epiſcopi inquirerent, quinam ritus fuerint baptiſmi in Eccleſia antiqua, et quo pacto iterum iidem pii ritus in Eccleſiam introducendi ſint. Laudabile profecto fuit exemplum principis, quo adducti plures Eccleſiae Patres conſilium ſuum expoſuerunt variis epiſtolis de ritibus baptiſmi antiquis reſtaurandis.

LOCVS XI.

DE EVCHARISTIA.

SECTIO I.

Singulares Patrum opiniones in doctrina de euchariſtia ſiſtens.

§. I. Singularis fuit TERTVLLIANI opinio de iure laici ſacerdotali in adminiſtratione S. Coenae. Propter hunc locum TERTVLLIANI motae ſunt lites inter RIGALTIVM atque ALBASPINAEVM. Litem redintegrauit GROTIVS, qui aduerſarios deinceps nactus eſt PETAVIVM, CLOPPENBVRGIVM, BVRMANNVM atque DODWELLVM.

Digitized by Google

§. II. Etiam ſingularis quorundam Patrum fuit opinio, pendentibus controuerſiarum litigiis S. Coenam nunquam vſurpandam eſſe. In primis adducitur CHRYSOSTOMVS, qui S. Coena ob lites quasdam Eccleſiae per diuturnum temporis ſpatium non vſus eſt. Hinc GROTIVS ſingulari diſſertatione probare voluit communionem ſine ſymbolis; ſed a praedictis auctoribus ad examen vocatus eſt.

§. III. *Latitudinarii* quidam in Anglia, quorum princeps exſtitit ARTHVRVS BVRY, tradunt in ſcriptis ſuis, IOANNEM CHRYSOSTOMVM primum fuiſſe auctorem, qui luxurioſo quaſi ſtylo vſus, euchariſtiam pro *tremendo myſterio* venditauerit, cum reliqui Chriſtiani nihil myſterii in S. Coena eſſe mallent. Sed iam dudum ante CHRYSOSTOMVM Patres antiquiſſimi, euchariſtiam *tremendum myſterium* appellando, docuerunt, quod non pro vulgari coena, ſed pro S. Coena habuerint. Conf. ITTIGIVM in *enneade diſſ. pag.* 774.

§. IV. Magnus quoque abuſus fuit S. Coenae, cum euchariſtia *mortuis* traderetur, ſepulcris ſimul inſerenda. De hoc ſuperſtitioſo ritu ſingularis exſtat diſſertatio IO. ANDR. SCHMIDII. Alius abuſus erat calicis euchariſtiae in conſignandis haereticorum anathematiſmis, de quo horrendo abuſu conf. ZIMMERMANNVM in *florilegio*, *pag.* 746. et BARTHOL. NIHVSIVM in calce *librorum Allatii de conſenſu Eccleſiae Orientalis et Occidentalis*.

§. V. Singularis quoque Patrum opinio eſt, quando per *panem quotidianum* in oratione dominica euchariſtiam intelligunt. Huc referendi ſunt auctores, qui de frequenti communione veterum Chriſtianorum ſcripſerunt, BASILIVS M. IOANNES LAVNOIVS, IOSVA ARNDIVS atque IO. PHIL. PFEIFFERVS.

§. VI. Quidam Patribus imputant, ac ſi crediidiſſent, S. Coenam nunquam adminiſtrari poſſe, niſi prius ipſemet quis euchariſtiae particeps fuerit. Hoc peculiari diſſertatione probare voluit PHIL. IO. TILEMANNVS in diſſertatione *de oblatione ſine communione*. Sed mala fide ab ipſo Patres citari, oſtendit IO. FAES in *tractatu de Chriſto incoenato*.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII. Patres Eccleſiae Graecae ſingularem fouent opinionem, ac ſi verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, non ſufficiant ad exhibendum corpus Chriſti, ſed inſuper opus eſſe precibus ſacerdotis ſingularibus ad Spiritum S. directis, vt ille deſcendat, et miraculoſa quadam virtute e ſymbolis corpus Chriſti efficiat, quemadmodum in vtero virginis produxit corpus Chriſti. De hac ſingulari opinione plura habet DALLAEVS *de religioſo Latinorum cultu, lib. III. cap. XIII.*

§. VIII. Singularis quoque opinio fuit, mittendi ad homines moribundos vnam ſpeciem S. Coenae: vnde mox prognata eſt Miſſa praeſanctificatorum atque calicis priuatio.

§. IX. Etiam hoc inter ſingulares Patrum opiniones referas, quod vino ſemper aquam admiſceant, quam admixtionem vocant *crama*. *Crama* autem Graecorum eſt diuerſum ex parte a *cramate* Latinorum.

SECTIO II.

Doctrinam de eucbariſtia per omnia fere ſaecula ſiſtens.

§. I. Quoniam Pontificii dogma ſuum de transſubſtantiatione vehementer defendunt, opus erit ſolida in Patrum doctrinam inquiſitione. Hiſtoriam autem transſubſtantiationis debemus PETRO ALLIXIO, RICH. COSINO et CLAVDIO SALMASIO.

§. II. Quodſi vero inquirere velimus, quaenam antiquae Eccleſiae perpetua fuerit doctrina de euchariſtia, euoluere debemus liturgias Eccleſiae Latinae atque Graecae, quae etiam *ſacramentaria* dicuntur. Ante ſaeculum IV. in Eccleſia Latina neminem inuenias, qui ritus circa euchariſtiam ſolemnes ſingulari libro deſcripſit atque inculcauit, praeter AMBROSIVM, cuius *Miſſa Ambroſiana* adhuc hodie exſtat. Ex ſaeculo V. ſupereſt *codex ſacramentarius* GELASII, Papae Romani; ex ſaeculo VI. GREGORII M. *liber ſacramentarius;* ex ſaeculo VII. *Ordo Romanus*. Taceo *miſſalia antiqua* alia, quae iunctim ediderunt IOSEPH. MARIA THOMASIVS, IO. MABILLONIVS, GEORG. CASSANDER, IAC. PAMELIVS.

§. III. Quod vero attinet ad liturgias Eccleſiae Graecae, ſub apoſtolorum nominibus multae quidem exſtant, ſed ſunt plane ſuppoſititiae. Ante CHRYSOSTOMVM atque BASILIVM nul-

 las

Digitized by Google

las reperias liturgias, quae genuinae ſunt; licet et hae a multis in ſuſpicionem falſitatis adductae ſint. FABRICIVS in *Notis* ad *Codicem apocryphum noui Teſtamenti* pluribus conferri poterit.

§. IV. Quodſi plura quis ſcire cupit de miſſalibus antiquarum Eccleſiarum, adire omnino debet IO. BONAE *liturgica*, LEONEM ALLATIVM atque CAVEVM, qui et ſuppeditabunt vſum ex iſtiusmodi libris in theologia hauriendum.

SECTIO III.

Pios Ritus Eccleſiae antiquae in S. Coena obſeruatos ſiſtens.

§. I. Antequam S. Synaxi fruerentur, pias adhibuerunt formulas Chriſtiani, quibus ad ardorem et deuotionem excitarentur, v. g. *Cognoſcite vos inuicem, Chriſtiani! Surſum corda!* De his atque aliis formulis veterum Chriſtianorum ex profeſſo agit IO. ANDR. SCHMIDIVS. Poſt formulas obſeruandi ſunt alii ritus, qui ante Synaxin S. ſiue Euchariſtiam obſeruabantur. Huc ſpectant *eulogiae*, ſiue panes conſecrati, qui erant certo amoris Chriſtiani teſtimonio. Atque iſtiusmodi panes ad diuerſas Eccleſias mittebantur, vt teſtarentur antiqui Chriſtiani, ſe in communione cum illis Eccleſiis viuere velle. Panes autem a Chriſtianis vna cum vino in altari ponebantur, vt inde ſacra ſymbola corporis Chriſti ſeligerentur, reliqui panes vſui agaparum inſeruirent.

§. II. Quod ad ipſos ritus S. Coenae attinet, poſteaquam ſacerdos conſecrauerat ſacra ſymbola, atque Chriſtiani accedere vellent, diaconus alta voce clamabat dicendo: *Sancta Sanctis;* vbi tunc tota Eccleſia reſpondebat: *Vnus eſt ſanctiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Cum vero accederent ad S. Coenam, non ſacra ſymbola ori ingerebantur, ſed ipſi homines ad ſacram Coenam accedentes frangebant panem, atque ſumebant calicem. Extra cancellos tamen laici S. Synaxin accipiebant, clerici intra cancellos. Altarium non erat locus, ſed menſae ſolum in antiquis Eccleſiis conſpiciebantur. Epiſcopus ſacra ſymbola tantum conſecrabat, nec tamen eadem porrigebat, ſed Diaconus conſecrata ſymbola accipiendo deinceps communicaturis in cancellis deponebat. Non licebat S. Synaxi frui extra Eccleſiam. Hinc videmus, EVSTATHIVM, quendam Epiſcopum, ab officio

Digitized by Google

officio remotum eſſe, quod S. Euchariſtiam in clancularíis conuenticulis celebrauerit. Interim tamen, ſi quis decumberet, Diaconus mittebatur, qui porrigeret ſacra ſymbola. Sub vtraque ſpecie tradebatur euchariſtia. Contingere tamen poterat, vt ob certas rationes tantum vna ſpecies porrigeretur, infantibus nempe atque moribundis, quibus non facile erat fruſtulum panis deglutire ſine adſperſione vini. Quod ad tempora ſolemnia S. Coenae attinet, quotidie primis ſaeculis S. Euchariſtia Chriſtiani fruebantur. Cum vero Chriſtiani ad S. Coenam accederent, hymnos canebant ſacros, non ſine animi feruore atque deuotione. Addebant et preces, quibus Deum implorabant, vt communi Eccleſiarum calamitati conſulere velit. Oſculo iterum finem imponebant Euchariſtiae, in teſtimonium certiſſimum amoris mutui obſeruandi. Qui vero de hymnis Eccleſiae antiquae plura deſiderat, adire debet IO. BONAM.

§. III. In ritibus euchariſtiae exponendis omnes fere eruditi laudabilem induſtriam collocarunt: ex Pontificiis EDMVNDVS MARTENE, IO. STEPH. DVRANTVS, GABR. ALBASPINAEVS; ex Reformatis EDMVNDVS ALBERTINVS, PHILIPPVS MORNAEVS, CLAVDIVS SALMASIVS atque IO. DALLAEVS; ex Lutheranis IO. GEO. DORSCHEVS atque IO. FECHTIVS.

LOCVS XII.

DE ORATIONE.

SECTIO I.

Singulares Patrum opiniones de oratione ſiſtens.

§. I. Plerique ex Patribus in ea ſunt opinione, ac ſi non opus ſit precibus in rebus temporalibus a Deo obtinendis. Hanc opinionem pigmentis verborum ornare voluit SALMASIVS; quem tamen ad examen vocauit beatus CHR. KORTHOLTVS.

§. II. Chriſtiani plerique in antiqua Eccleſia non habuerunt *libellos precum*, quales hodie habemus, ſed ex ſingulari quodam feruore preces proferebant, non adſueti orationibus memoriae commendatis. Interim non defuerunt antiquis Chriſtianis publicae *precum formulae* in S. Euchariſtia vſurpatae. Prolixe agunt de Chriſtianorum antiquorum libellis precum THOM.

COMBERVS atque IEREMIAS TAYLOR. Recentioribus tamen ſaeculis etiam priuatim formulae precum ſunt receptae. Indicio eſſe poterit IAC. GOARI *euchologion Graecorum.*

§. III. In precibus antiquorum Chriſtianorum hoc quoque ſingulare eſt, quod cum Trinitatem S. adorarent, non eo modo precati ſint, quem poſterioribus ſaeculis receptum eſſe videmus. Scilicet cum Patrem appellarent, non iudicarunt neceſſe eſſe, vt ſimul ſubiungatur Filius atque Spiritus S. in vna ſerie, ac ſi non ſufficeret, vna perſona inuocata, reliquas perſonas quoque adorare.

§. IV. Ex priori Chriſtianorum ritu facile excuſari poterit ORIGENES, qui in *libro de oratione* ad Patrem dirigendam eſſe cenſuit orationem, non ad Chriſtum. Scilicet ſuſpicatus eſt, ſi perſonae Trinitatis diuerſis precibus appellentur, gentiles inde calumniari poſſe, ac ſi tres Deos Chriſtiani adorarent. Conf. quae pro ORIGENE defendendo affert LVDOV. ELLIES DV PIN *Tom. I. Bibliothecae nouae, pag. 145.*

§. V. An in periculis vitae atque corporis auxilium diuinum implorandum ſit, multi Patres dubitarunt, praeſertim, cum adirent pericula capitis ob confeſſionem fidei Chriſtianae. Conf. PEARSONIVM in *vindiciis Ignatianis, lib. II. cap. IX.* et COTELERIVM *ad Ignatii epiſtolam ad Romanos.*

SECTIO II.

Doctrinam veteris Eccleſiae de oratione per omnia fere ſaecula ſiſtens.

§. I. Antiqui Patres, qui de oratione ex profeſſo ſcripſerunt, ſunt ſequentes:

Anno 192. TERTVLLIANVS et CLEMENS *Alexandrinus.*

Anno 230. ORIGENES in ſingulari *libro de oratione.*

Anno 248. CYPRIANVS ſingularem librum ſcripſit *de oratione.*

Anno 370. GREGORIVS *Nyſſenus homilias V.* ſcripſit *in orationem dominicam.*

Anno 412. CYRILLVS *Alexandrinus* ſcripſit *libros XVII. de adoratione et cultu Dei in ſpiritu et veritate.*

§. II. Ex his citatis auctoribus res magni momenti colliges. *Primo* videbis, quod obſeruent, orationem dominicam eſſe ſolam

Digitized by Google

lam orationem fidelium. *Deinde* colliges ex hisce Patrum libris, quod cultui ſanctorum nulla ex parte addicti fuerint. Equidem obſeruant, multos angelos precibus noſtris adeſſe et nobiscum precari; ſed de intercesſione ſanctorum atque angelorum nullam faciunt mentionem. Poſterioribus igitur ſaeculis in Eccleſiam mos introductus eſt, ſanctos atque angelos adorandi. Occaſionem ſuperſtitioni ſuppeditarunt hyperbolicae oratorum et poëtarum locutiones.

SECTIO III.

Ritus primarios apud antiquos Chriſtianos inter precandum obſeruatos ſiſtens.

§. I. Antequam ritus ſingulos excerpamus, breuibus obſignandi ſunt auctores, qui ritus precum obſeruarunt: nimirum ex Pontificiis DESIDERIVS HERALDVS, ex Reformatis HOORNBECKIVS, ex noſtris HILDEBRANDVS.

§. II. Tantus fuit feruor precandi in Eccleſia antiqua, vt, ſi ritus atque geſtus externos conſideres, non ſatis demirari queas antiquorum Chriſtianorum deuotionem. Commemoratu dignisſimae ſunt *precum horae* apud antiquos Chriſtianos, tertia ſcilicet, ſexta atque nona. Non ſolum habuerunt cauſas, has horas precibus dicare; verum etiam, antiquitatem primam conſulendo, eo magis certis horis preces ſuas adſtringebant. Nec interdiu tantum, ſed et noctu precibus operam dabant. Ad deuotionem quoque multum faciebat *ſeceſſus quotidianus*, quando ſcilicet antiqui Chriſtiani in προσευχαῖς, (Betkammern) locis precibus deſtinatis, frequenter verſarentur. Etiam *geſtu corporis* deuotionem exprimebant: quo potisſimum ſpectat manuum extenſio atque eleuatio, quae, vti TERTVLLIANVS obſeruat, referebat figuram crucis. Poſterioribus demum ſaeculis complicatio palmarum atque digitorum vſu recepta eſt. Accedebat in fine precum laeta *corporis exſultatio*, certisſimo gaudii interni indicio. Genua flectebant, vel certis in diebus ſtabant inter precandum; ſedere autem, cum precibus opera nauanda eſſet, vitio vertebatur. *Verſus Orientem* preces dirigebant, et ſignificabant, ſe filios eſſe debere lucis. Quod vero ad *materiam precum* attinet, preces erant pro magiſtratibus, etiam ethnicis, ſus-

Digitized by Google

ſusceptae, quod toties Apologetae antiqui contra gentilium calumnias vrgent. Omnes etiam calamitates, quotquot Eccleſiam Chriſti turbabant, precibus ſuis inſerebant, praeſertim ante celebrationem euchariſtiae.

Locvs XIII.

DE CONIVGIO.

Sectio I.

Singulares Patrum opiniones de coniugio ſiſtens.

§. I. Vniuerſalis fere conſenſus Eccleſiae Graecae et Latinae fuit, *ſecundas nuptias* eſſe illicitas. De qua ſingulari opinione veterum vide COTELERIVM *tom. I. Patrum apoſtolicorum, pag. 90.* et *275.* itemque BEVEREGIVM in *ſynodico magno.* Satis antiqua fuit haec opinio, ab ATHENAGORA iam aſſerta; cui addes TERTVLLIANVM, qui ſingulari libro nuptias ſecundas damnauit. CLEMENS tamen *Alexandrinus* reliquis Patribus hac in re moderatior eſt, vti liquet ex eius *lib. III. ſtromatum, pag. 428.* Interim probe tenendum eſt, quod, cum vox διγαμος non recte ſit intellecta, a plerisque interpretibus plurium Patrum loca ita deinceps ſint expoſita, ac ſi in illis nuptiae ſecundae prohibitae eſſent, cum tamen Patres loquantur vel de polygamis, vel de illis, qui leuiſſima de cauſa repudiant vxores, vt ad nuptias ſecundas pateat aditus. Plura hanc in rem dant SVICERVS in *Theſ. eccleſ. voce* διγαμος, atque IVSTELLVS in *Notis ad canonem I. concilii Laodiceni.* Nam vox διγαμος apud plures Patres et illos notat, qui duas vxores ſimul habent, et qui, temere repudiata vna, alteram ducunt.

§. II. Etiam ſingularis Patrum opinio fuit, quando ſuaſores exſtitere virginibus, vt mallent ſibimetipſis vitam adimere, quam inſidiatorem caſtitatis ad patrandum ſcelus admittere. Conf. de hac re pluribus agentem AVGVSTINVM *lib. V. de ciuitate Dei, cap. XXVI.* et VOSSIVM *lib. I. inſtitut. orat. pag. 97.* plures hac in re Patres citantem.

§. III. Adulterium in antiqua Eccleſia tantum peccatum videbatur, vt adulteri ab Eccleſia per omnes dies vitae excluderentur, atque eorum loco haberentur, qui vel homicidae vel deſertores

res religionis Chriſtianae erant. Poſt TERTVLLIANI tamen tempora, cum diſciplina Eccleſiae rueret, ſeptennium vel nouennium ſpatium erat poenitentiae publicae peragendae.

§. IV. Coniugium clericorum circa annum 395. non ſolum licitum erat, ſed et frequens in Eccleſia antiqua. Anno 410. mos erat, ſi quis epiſcopatum obtineret, vxorem deſerere, ita tamen, vt illa miſſionem illam lubens admitteret. SYNESIVS tamen facultatem impetrauit retinendi, quam duxerat, vxorem. Conf. *de coniugio clericorum* CALIXTVM in ſingulari tractatu. Interim tamen miniſtris Eccleſiae integrum erat, domi alere feminas, vel in itinere ſecum ducere, non, vt cum illis conſueſcerent, vel inſtar vxorum eas haberent, ſed vt de ſubſidiis vitae neceſſariis mulierculae ipſis proſpicerent. Mulierculae tamen hae a clericis in nefarium vſum ſaepius adhibitae ſunt, ita vt beatus CHRYSOSTOMVS anno 392. duas conciones contra has mulieres euulgaret, carpendo corruptos clericorum mores.

SECTIO II.

Patres, de coniugio ex profeſſo agentes, ſiſtens.

§. I. De nullo Articulo pauciores habemus ſcriptores in antiqua Eccleſia, quam de Articulo de coniugio. Faciles atque certae ſunt coniecturae de paucitate talium ſcriptorum inſtituendae:

I) Cum perſecutiones Eccleſiam Chriſti agitarent, plerisque Chriſtianis ſatius viſum eſt, a coniugio abſtinere, ob ingruentes calamitates, quam ſe, vxorem et liberos periculis temporum obiicere. Accedebat ſingularis Dei prouidentia, qua vsque ad ſaeculum III. in tanto perſecutionum interuallo Chriſtianis antiquis, veluti ſingulare donum, caſtitas conceſſa eſt. De hoc dono diuinitus exhibito multum plurimumque gloriantur defenſores religionis Chriſtianae, TERTVLLIANVS, ATHENAGORAS, CLEMENS *Alexandrinus*, aliique, quorum loca diligenter collegit GROTIVS *ad Matth. XIX, 12.*

II) Cum perſecutiones praeualerent, magis operam dabant Patres in commendando caelibatu, et ſuppeditandis regulis cautelisque, quam in commendando et dirigendo coniugio. Plures

Digitized by Google

res Patrum libros de caelibatu agentes iunctim editos obſeruat ITTIGIVS in *tractatu de bibliothecis Patrum*, *pag.* 656.

III) Quoniam Patres maiores amici erant caelibatus, quam coniugii, mirum non eſt, ſi in illo laudando maiorem operam poſuerint. Dura ſane verba ſunt de coniugio HIERONYMI, TERTVLLIANI, AMBROSII, aliorumque, quos magno cumulo ſiſtit DALLAEVS *de abuſu Patrum*. Atque adeo proxime accedere videntur ad haereſin *Encratitarum*, qui a coniugio non ſolum abhorruerunt, ſed et idem multis opprobriis conſpurcarunt.

§. II. Cum iam exploratae ſint cauſae, propter quas Patres de coniugio non multum memoriae tradiderint, ad ipſos ſcriptores, qui de coniugio dedita opera ſcripſerunt, pergendum eſt. Atque hi potiſſimum ſunt CLEMENS *Alexandrinus* et AVGVSTINVS. Patrum autem loca ſparſim exſtantia, atque ad laudem coniugii non parum facientia diligenter ſingulari patientia collegit CALOVIVS *ad Matth. XIX*, 12. Induſtriam autem CALOVII adhuc ſuperat GODOFREDVS ARNOLDVS.

SECTIO III.

Singulares ritus circa nuptias Chriſtianorum obſeruatos ſiſtens.

§. I. Paucos habemus auctores, qui hanc materiam ex profeſſo tractauerint. Sunt tamen aliquot: HILDEBRANDVS, IO. SELDENVS, IO. MEYERVS.

§. II. Inter ritus veterum Chriſtianorum ſingularis fuit *benedictio ſacerdotalis*, de qua iam in *epiſtola* IGNATII *ad Polycarpum* multa obſeruata legimus. TERTVLLIANI, CLEMENTIS *Alexandrini*, antiquiſſimorum Patrum, loca diligenter collegit PEARSONIVS in *Notis ad* illum locum *pag.* 31. Conf. plura de hoc ritu apud GROTIVM *ad Matth. XXV*, 1. et PFANNERVM *part. II. obſeruat. eccleſ. cap. VII.*

§. III. Quod ad celebrationem nuptiarum attinet, ea modeſtiſſima erat ſine vllo ſtrepitu atque ſaltationum genere. Saltationes enim atque ludos ridiculos maximo odio perſecuti ſunt Chriſtiani. Plura hanc in rem proferunt PFANNERVS *part. I. obſeru. eccleſiaſt. cap. VII.* et THIERRYVS *de ludis et recreationibus iuxta mentem veterum Chriſtianorum* (Gallice). Quod ad carmi-

Digitized by Google

carmina vel orationes nuptiales attinet, conſtabant illae magis in votis piis, quam in laudibus ineptis ſponſi atque ſponſae.

§. IV. In coniugio ipſo ſummum erat caſtitatis ſtudium. Saepe enim conſenſu mariti et vxoris, vt eo magis precibus inuigilarent atque ieiuniis, vſus coniugii rarior erat. Hinc factum, vt antiqui Chriſtiani, etiam coniuges, ſe fratres et ſorores ſalutarent. De hac ſpontanea in coniugio continentia plura habent PFANNERVS, MABILLONIVS, COTELERIVS, IO. SAVARO, RITTERSHVSIVS, et FAESIVS.

LOCVS XIV.

DE MAGISTRATV POLITICO.

SECTIO I.

Singulares Patrum opiniones de magiſtratu politico ſiſtens.

§. I. Nulla controuerſia maiori difficultate inuoluta eſt, quam illa, quae agit de iure magiſtratus ciuilis erga ſacra. Sunt, qui modo imperatores culpant, quod in clericos plus aequo benigni fuerint, atque intempeſtiua illa conniuentia atque bonorum eccleſiaſticorum largitione corruptis ac effraenatis clericorum moribus varia ſubſidia ſubminiſtrarint. Inprimis male audit CONSTANTINVS M. acſi, ex nimia in clericos clementia, multas magiſtratus ciuilis praerogatiuas ſibi ex manu extorqueri paſſus ſit. *Obſeruatores Halenſes* variis conuitiis ignauiam, vti quidem iudicant, huius principis iure meritoque onerant. Quodſi vero dicendum, quod res eſt, *obſeruatores* illi in antiquitatibus ſacris dormitarunt, quando praeter omne fas CONSTANTINVM exagitant, nimium ſecuri de fide ZOSIMI atque LEVENCLAVII, vt et de illorum ſcriptorum auctoritate, quorum iudicio EVSEBIVS, verus CONSTANTINI panegyriſta, in ſuſpicionem aſſentationis temere adducitur. Contrarium probabimus ex hiſtoria ipſa CONSTANTINI M. Quem enim latet, hunc imperatoria auctoritate ſibi omnia iura circa ſacra externa vindicaſſe? Concilia conuocauit proprio arbitratu; conciliis interfuit atque moderamen ſuſcepit; literas ad Epiſcopos dedit; appellationes admiſit; iudices cauſarum eccleſiaſticarum conſti-

Digitized by Google

conſtituit; contumaces clericos depoſuit. Conf. prae reliquis DORSCHEVM in *collat. ad Concil. Nicenum, pag. 44.* Hinc Pontificii in ipſum CONSTANTINVM M. debacchantur tanquam principem ſingulari faſtu praeditum, atque iura clericorum inſigniter violantem. Quod vero inuigilauerit iuri circa ſacra, inde liquet, quando CONSTANTINVS M. ſe pariter epiſcopum vocat, teſtatus, ad ſe ſpectare omnia iura circa ſacra externa. Haec verba CONSTANTINI M. turbas excitarunt frequenter inter Reformatos Belgas, inter quos praecipuus fuit NICOLAVS VEDELIVS, nactus aduerſarios REVIVM et TRIGLANDIVM. Plura de hac controuerſia ſuppeditant GROTIVS, BLONDELLVS, VOSSIVS, DODWELLVS. Sunt, qui in contrariam partem nituntur, atque principes, qui in aſſerendo iure ſuo circa ſacra tenaciores fuere, conuitiis proſcindunt. Periculum nominis adiit et exiſtimationis IVSTINIANVS. Magnae in illum exſtant calumniae BARONII et LEONIS ALLATII, quoniam hic laudatiſſimus princeps debitum legitimumque ius circa ſacra non ſolum aſſeruit, verum etiam exercuit. Pro IVSTINIANO tamen contra obtrectatores eius ſolide ſcripſit IO. EICHELIVS. Huc etiam referas CAROLVM M. qui a multis ignauiae accuſatur, quod erga clericos plus aequo benignus fuerit, multumque iuris ſibi derogari paſſus ſit. Hinc multi clamant, principem fuiſſe fraudulentum, vtpote qui artibus clericorum in vſum ſuum adhibitis tantum operam dederit, regiones imperii amplificandi atque dilatandi. Sed contrarium de pietate huius principis conſtat non ſolum e ſcholis ab ipſo erectis, verum etiam ex aliis pietatis ſignis, reformatione corruptorum clericorum, abrogatione variae ſuperſtitionis. Conf. de pietate Caroli M. LVPOLDVM BABERGENSEM atque DORSCHEVM. Ceterum, quod CAROLVS M. iuris ſui defenſor fuerit, inde liquet, quod *capitularia*, i. e. conſtitutiones varias ediderit ad res eccleſiaſticas pertinentes. Capitularia haec, vt et ſequentium regum Gallorum, iunctim edidit STEPHANVS BALVZIVS.

§. II. Spectat ad hanc controuerſiam alia controuerſia de exemtione clericorum a poteſtate ciuili. De hac exemtione prolixe agit *Seſſio II. Concilii Carthaginenſis*, anno 525. habiti. Quoniam autem illud Concilium a multis Pontificiis peſſime exponitur,

ponitur poſt PETRVM DE MARCA BALVZIVS in ſingulari *epiſtola* a detorſionibus Pontificiorum Concilium illud vindicauit.

§. III. Nec iniuria fit magiſtratui ciuili, quando in Eccleſia antiqua epiſcopi ſaepius pro veritate fidei Chriſtianae defendenda nihil praetermiſerunt, quod nocere poſſet veritati ſaluificae. Sic v. g. AMBROSIVS, THEODOSIVM imperatorem ſacris cum abeſſe iuberet, nihil fecit, quod imperatoriae dignitati fraudi foret; conſuluit tamen optime Eccleſiae, cum nollet veniam peccatis dare, niſi poenitentiam ſeriam ageret. Conf. THEODORETVM *lib. V. hiſt. eccleſ. cap. XV.* Non debet igitur temere hoc auſum AMBROSII ad examen vocari, cum THEODOSIVM, ſummo licet magiſtratu fungentem, a ſacris arceret.

§. IV. Neque Chriſtianis antiquis verti vitio poteris, quando imperatores Romanos *Domini* titulis afficere et venerari nollent, neque per caeſares atque imperatores iurare.

SECTIO II.

Doctrinam antiquae Eccleſiae de magiſtratu politico per omnia fere ſaecula ſiſtens.

§. I. Ipſo apoſtolorum tempore mos fuit veterum Chriſtianorum, omne obſequium magiſtratui praeſtare: quod POLYCARPVS apud EVSEBIVM *lib. III. cap. XXXVI.* et *lib. IV. cap. XV.* oſtendit. Saeculo II. vbi maxime feruebant perſecutiones, Chriſtiani etiam erga imperatores gentiles quamvis obſeruantiam teſtabantur. Teſtes ſunt S. IVSTINVS MARTYR, ATHENAGORAS, TATIANVS, TERTVLLIANVS.

§. II. Ne vero exiſtimes, Chriſtianos veteres tantum verba dediſſe, atque ſubmiſſum animum teſtatos eſſe in rebus arduis atque afflictis, vbi autem ipſorum potentia incrementum accepit, ſuperbiores aliquantum fuiſſe, ita, vt vim vi repellerent: indicio erit luculentiſſimo *Thebana legio*, quae ex Chriſtianis conſtabat, atque ſub auſpiciis Maximiani, gentilis imperatoris, noluit vim vi repellere, cum poſſet, ſed ſolum precibus conatibus imperatoris reſiſtere, atque a ſolo Deo auxilium rogare, nulla vi adhibita contra imperatorem gentilem. CAVEVS im erſten Chriſtenthum, *pag. 713.* prolixe hanc hiſtoriam recenſet.

Locvs XV.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Sectio I.

Controuerſiam de primatu Papae per priora ſaecula ſiſtens.

§. I. Hanc controuerſiam optime expoſuere celeberrimi inter Reformatos duumviri, CLAVDIVS SALMASIVS et DAVID BLONDELLVS. Maiorem ſcriptorum ſeriem primatum Papae impugnantium ſiſtit CASPAR SAGITTARIVS in *introduct. ad hiſt. eccleſ.*

§. II. Ad controuerſiam de primatu Papae rectius ad examen vocandam multum facit notitia de *regionibus ſuburbicariis*, quae, ſi recte expoſitae fuerint, multum lucis affundunt antiquitati. *Regiones ſuburbicariae* dicuntur, quae ad imperium Romanum, in primis vrbis Romae imperium, ſpectarunt. Quoniam autem multae olim vrbes fuerunt, quae ſpectabant ad imperium vrbis Romae, exinde colligebant Pontifices, qui Romae ſedem habebant epiſcopalem, reliquis epiſcopis ſe ſuperiores eſſe, quia in vrbe primaria epiſcopi dignitate fungebantur atque pluribus Eccleſiis praeerant. At vero, quando geographiam atque notitiam imperii Romani conſulimus, conſtabit, regiones ſuburbicarias non adeo magnas fuiſſe, vel numero plures, vt ideo praerogatiuas epiſcopi Romani ſibi vendicare poſſent. Lis praecipue fuit inter IAC. SIRMONDVM et IAC. GODOFREDVM, vt et CLAVDIVM SALMASIVM.

§. III. Spectat huc etiam celeberrima controuerſia *de iure appellationum*, quod ſibi per plura ſaecula adſcripſit Eccleſia Romana, ita, vt deciſionem controuerſiarum Eccleſiae transmarinae a Pontificibus Romanis efflagitando, in ipſorum iudicio omne ſuum praeſidium poſuerint. De hac controuerſia optime agit MELCH. LEYDECKERVS. Cum LEYDECKERO conferre debemus IAC. VSSERIVM atque EDVARDVM STILLINGFLEETVM.

§. IV. Saeculo II. et III. multi eruditi viri fuerunt Pontificibus Romanis aduerſarii. Saeculo nempe II. VICTOR, Pontifex Romanus, temerario conſilio anathemata in Eccleſias exteras vibrauit. Saeculo III. autem Papae nomen omnibus epiſcopis com-

commune fuit, ita, vt Pontifex Romanus nihil ſibi in primis arrogare queat. Titulus *epiſcopi oecumenici* atque vniuerſalis epiſcopis Romanis atque Alexandrinis primum in Concilio Chalcedonenſi anno 451. collatus eſt, et quidem ex ſingulari modeſtia. Ab illo tempore Patriarchae Conſtantinopolitani titulum hunc rectius ſibi applicabant, ſi ipſorum iudiciis ſtare velis. Sic v. g. anno 585. Patriarcha Conſtantinopolitanus IOANNES IEIVNATOR titulo epiſcopi oecumenici vſus eſt. Neque tamen id priuata fecit auctoritate, ſed imperatores Romani ita ex ſingulari beneuolentia ſalutauerant epiſcopos Conſtantinopolitanos. Male hic titulus habuit GREGORIVM *M.* qui antichriſtianiſmum hunc titulum referre eccleſiaeque Chriſtianae repraeſentare iudicauit. In Eccleſia Graeca igitur ex indultu principum titulus oecumenici epiſcopi a Patriarchis vſurpatus eſt, titulum illum Papis Romanis reiicientibus. Saeculo igitur demum VII. BONIFACIVS III. titulum oecumenici conſecutus eſt publica auctoritate imperatoris Phocae. Ceterum titulus *oecumenici* nihil aliud infert, quam epiſcopum primarium eſſe vel Romae antiquae, vel Romae nouae.

SECTIO II.

Varios ritus circa miniſterium eccleſiaſticum obſeruatos ſiſtens.

§. I. Ritus ad hunc locum obſeruandos optime expoſuerunt IO. MORINVS, ISAACVS HABERTVS, IO. MABILLONIVS et LEO ALLATIVS.

§. II. *Laicorum* et *Clericorum* diſtinctio ſatis antiqua eſt, a tempore CLEMENTIS *Romani* repetenda. Interim ſequioribus ſaeculis frequentior vſus huius diſtinctionis fuit, prioribus ſaeculis rarior.

§. III. Dies ille, quo epiſcopus ſacris initiatus eſt, ſingulis annis ſanctus habebatur, cognomine *dies natalis Epiſcopi.* Conf. de hoc ſingulari ritu LINDENBROGIVM, TENZELIVM, CYPRIANVM.

§. IV. Antequam aliquis ſacro muneri admoueretur, bene circumſpiciebant veteres Chriſtiani, vt in mores vitamque clerici inquirendo, digniſſimum officio ſacro praeficerent. Hinc in publico coetu praelegebantur nomina illorum, qui Epiſcopi

Digitized by Google

dignitatem obtinere volebant; interrogabatur populus, num de huius vel illius candidati vita et moribus rumuſculi minus dextri eſſent, et num aliquis ex coetu candidatos criminis alicuius accuſare iure meritoque poſſet? Quodſi candidatus non haereret in vicinia, vel in conſpectu omnium degeret, ſed aliunde aduentitaret, teſtimonia indubia afferre tenebatur. Atque vt eo magis Chriſtiani certiores eſſent de morum integritate, neminem, niſi neceſſitas vel aliae temporum circumſtantiae efflagitarent, ad ſummam clericorum dignitatem admittebant, ſatius ducentes, ſi quis in inferioribus miniſterii gradibus tirocinium aliquod atque ſpecimen fidei et induſtriae ederet. Cura antiquorum Chriſtianorum circa electionem miniſtrorum Eccleſiae inde quoque patet, quod clericum grauius peccantem non ſolum ab officio remouerint, ſed et ad communionem laicam ſiue peregrinam remiſerint.

§. V. Poſtquam cura adhibita erat, atque inquiſitio in mores candidatorum inſtituta, *ordinatio*, quam Graeci vocant χειροτονίαν, celebrabatur. Ordinatio alia erat ſolemnior, alia minor. Illa adhibebatur, cum clerici maioris ordinis ſacro miniſterio dicarentur; haec in conferenda inferiori quadam dignitate. Multos habuimus in Eccleſia antiqua, qui exiſtimarunt, in publico Eccleſiae coetu ordinationem inſtituendam eſſe. Hinc etiam ſemper requirebantur in ordinatione clerici duo, vel tres epiſcopi, qui manus imponere debebant.

§. VI. Plura habemus excerpta in antiqua Eccleſia ex illis Patribus, qui, antequam ad ordinationem admitterentur, detrectarunt munus eccleſiaſticum, vel poſt ordinationem munus eccleſiaſticum depoſuerunt.

§. VII. *Veſtes* neque in ordinatione, neque poſt ordinationem ſingulares erant, ſed ſimplices, neque niſi cum ornatu templorum in Eccleſiam antiquam introductae.

§. VIII. *Simoniae* vitium ſaeculis primis nullum erat: cum ſolum ratio haberetur pietatis et ſanctimoniae vitae, nulla autem via pateret vel fraudibus, vel pecuniae, ad acquirendum miniſterium eccleſiaſticum, nec per coniugium aditus patuit ad miniſterium ſacrum.

§. IX.

§. IX. De corruptis cleri moribus, in antiqua praeſertim Eccleſia, operae pretium eſt quaedam adiicere. De *auaritia clericorum* prolixe agunt SALVIANVS *Maſſilienſis* et MAXIMVS *Taurinenſis.* De eiusdem cleri moribus prauis inſignem librum ſcripſit GILDAS, antiquus Britannorum theologus, vt, qui hunc diligenter conſulat, corruptiſſimos clericorum mores deprehendat facile.

§. X. Ad ipſos *clericorum ordines*, quibus diſtincti a ſe inuicem fuerint, pergendum. Antequam autem eos commemoremus, tenendum, quod prioribus ſaeculis diſtinctio ordinum cleri ad imitationem Eccleſiae Iudaicae ſuscepta ſit, vti in primis probare vult VITRINGA; ſequioribus autem ſaeculis diſtinctionem ordinum cleri iuxta formam regiminis politici fuiſſe adornatam, vti egregie probauit EDVARDVS BREREWODVS. Prioribus ſaeculis noti erant ordines *epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum* atque *diaconiſſarum.* Paulo poſt CYPRIANI tempora demum *lectores, ſubdiaconi* atque *exorciſtae* innotuerunt; ſequioribus ſaeculis autem *patriarchae, metropolitani, primates. Diaconi* omnino diſtincti fuerunt a *presbyteris*, nec vllam facultatem habebant vel ſacramenta adminiſtrandi, vel Verbum praedicandi; ſed tantum operam dabant paupertati Chriſtianorum ſubleuandae, vel euchariſtiae distribuendae. Neque praetermittendae ſunt *diaconiſſae*, de quibus agunt ZIMMERMANNVS, GROTIVS et VOSSIVS. Harum praecipuum fuit miniſterium circa baptiſmum mulierum, circa inſtitutionem earundem, vt alia officia taceam. Si vlterius gradus conſideremus clericorum, aderant *lectores, ſubdiaconi,* atque *exorciſtae.* Si ad ſequiora ſaecula deuenias, aderant *primates, patriarchae, metropolitani.* Hi erant inferiores, illi ſuperiores.

§. XI. Magni erant *reditus* epiſcoporum aliorumque, qui ad ordinem clericorum ſpectabant. Conf. hanc in rem AMMIANVM MARCELLINVM et IOANNEM CHRYSOSTOMVM.

§. XII. Magnus honos habebatur epiſcopis, ita, vt Conſtantinus ſubditis ſuis facultatem conceſſerit, lites de rebus mundanis in foro politico agitatas iudicio clericorum ſubmittere. Maior honos fuit, quando etiam ipſi principes venerationem epi-

Digitized by Google

ſcoporum oſculis manuum, mox etiam pedum teſtati ſunt. Conf. MAYERVM atque SCHVRZFLEISCHIVM.

SECTIO III.

Patres, qui ex profeſſo de miniſterio eccleſiaſtico, eiusque officiis ſcripſerunt, ſiſtens.

§. I. Qui ſingulari induſtria hanc rem tractarunt, ſunt EPHRAEMVS *Syrus*, IOANNES CHRYSOSTOMVS, GREGORIVS M. aliique, quos laudat DACHERIVS.

§. II. Inter recentiores auctores paucos habemus, qui de ſacerdotio ex Patrum placitis ſcripſerunt. Conferri tamen hic posſunt CAVEVS atque ARNOLDVS.

LOCVS XVI.

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

SECTIO I.

Prudentiam veteris Eccleſiae circa libertatem Chriſtianam ſiſtens.

§. I. Magna fuit veteris Eccleſiae prudentia circa has res, vt etiam VEIELIVS atque VEDELIVS ſingulares libros exararint.

§. II. Inter res adiaphoras, circa quas libertas Chriſtiana verſatur, referas omnino imagines. Notandi autem ſunt

I) Auctores, qui *hiſtoriam imaginum* et controuerſiarum inde agitatarum deſcripſerunt. Tales ſunt DALLAEVS, SPANHEMIVS, DORSCHEVS, GOLDASTVS.

II) Notandum, quod ante ſaeculum quartum nullus fuerit imaginum vſus in antiqua Eccleſia, ſiue vſum ſacrum, ſiue profanum ſpectes. Saeculo autem IV. vſus imaginum innotuit, nondum ſuperſtitioſus, eo quidem gradu, quem poſtremis ſaeculis videmus. Habebant equidem iam ſuperſtitioſum contactum imaginum, defixionem oſculi: quia credebant, non ſolum reliquiis ſanctorum, ſed et imaginibus eorundem virtutem quandam diuinam ineſſe. Neque tamen ſaeculo IV. defuerunt optimi viri, qui tantae ſuperſtitioni brachium opponerent, inter quos referas praecipue EPIPHANIVM atque doctores Eccleſiae Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpanicae. Saeculo V. magis irrepere coepit cultus imaginum ſuperſtitioſus, introductus tamen non publica lege, ſed priuata quorundam epiſcoporum auctoritate. Saeculo VI. et VII. cultus quoque imaginum fuit; ſed nec dum frequens atque paſſim obuius. Saeculo demum VIII. et IX. grauiores lites ſunt motae circa cultum imaginum, praeſertim in Eccleſia Graeca. In compendio quaſi hiſtoriam duorum ſaeculorum exhibet SPANHEMIVS *introd. ad hiſtor. eccleſ. pag. 237.* In Concilio Niceno II. quod *pſeudo-concilium* recte vocamus, ſuperſtitioſus imaginum cultus demum publice probatus eſt atque receptus. In Concilio autem VII. vniuerſali ſeu Conſtantinopolitano IV. cultus imaginum reiectus et reprobatus eſt. Imperatores, qui in Eccleſia Graeca hoſtes imaginum fuerunt, ſunt LEO *Iſauricus* et CONSTANTINVS *Copronymus.*

III) Obſerua, quod Eccleſia Gallicana cultui imaginum prae reliquis maxime aduerſa fuerit. Teſtantur hoc ſcripta circa annum 820. edita, auctoribus IONA *Aurelianenſi* et CLAVDIO *Taurinenſi.*

§. III. Etiam de *feſtis veterum Chriſtianorum* magnae lites ſunt excitatae: vbi obſeruamus

I) *Auctores*, qui de feſtis ſcripſerunt, quorum praecipui ſunt LEO ALLATIVS, THOM. SMITHVS, RVDOLPHVS HOSPINIANVS, IO. BAPT. THIERSIVS et LVD. THOMASINVS. Ex antiquis Patribus neminem habemus, praeter AVGVSTINVM, qui exacte de feſtis ſcripſerit.

II) *Originem* et *progreſſum* feſtorum, et quidem praecipuorum nunc conſiderabimus. Saeculo II. praeter *ſabbatum* et *diem dominicam* in vſu fuerunt *Paſcha* et *Pentecoſte*, vna cum *Vigiliis*, item *commemorationes martyrum* in diebus illorum natalibus. Circa diem Paſchatos magna controuerſia mota eſt ſaeculo II. a VICTORE *Romano.* Vigiliae in hoc, vt et aliis feſtis ſolemnes erant admodum, atque ſummam pietatem veterum teſtabantur. Ob baptiſmum catechumenorum maxime celebres erant. Dominica poſt Paſcha vocabatur *dominica in albis;* Paſcha autem ſaepiſſime vocatur ἡμέρα κυριακή. Etiam hoc ſingulare habebat feſtum Paſchatis cum feſto Pentecoſtes, quod nec incuruando genua, nec ieiunia celebrando preces fundere liceret.

ret. Etiam captiui, paucis tantum exceptis grauioribus peccatoribus, liberabantur a vinculis. Saeculo III. commemorata feſta in vſu fuerunt, adiecto tantum *feſto aſcenſionis*. Saeculo IV. innotuit *feſtum Epiphanias*, quo non ſolum feſtum natiuitatis Chriſti, ſed et baptiſmi, conuerſionis magorum, mutati vini ex aqua indicatur. Saeculo VI. innotuerunt *feſta purificationis*, *annunciationis* ſiue incarnationis et conceptionis, *natalis S. Ioannis* et *cathedrae S. Petri*. Saeculo VII. auctus eſt feſtorum numerus. In primis adiectum eſt *feſtum omnium animarum* et feſtum *aſſumtionis beatae Mariae*, virginis Ieſu Chriſti matris.

§. IV. In recreationibus atque *ludis* ſibi optime temperabant Chriſtiani; licet prioribus ſaeculis Chriſtianis a gentiliſmo recens conuerſis abſtinentia a mundi recreationibus difficilis videretur. In primis comoedias atque ſpectacula exagitabant Patres, et *fabulas Romanenſes* cane peius et angue odio proſecuti ſunt. De *ſaltationibus* veterum nihil addo, cum pluribus hac de re egerim in loco *de coniugio*, *Sect. III. §. 3.*

§. V. De *iuramentis* quorundam Patrum ſingularis fuit opinio. DALLAEVS *de vſu Patrum*, *pag. 263.* exagitat multos Patres, ac ſi abſolute iuramentum negauerint. Sed DALLAEVM inſigniter falli conſtabit, ſi, conſulto SVICERO in *Theſ. eccleſ. voce ὅρκος* memineris, de iuramentis ob res leues, item de iuramentis illicitis Patres agere. Conf. VOSSIVM *lib. I. inſtitut. orator. pag. 190.* et GRONOVIVM in *obſeruat. eccleſ. cap. VI. pag. 74.*

§. VI. Idem DALLAEVS *pag. 262.* carpit TERTVLLIANVM, ac ſi *bellare* vetet. Sed optime TERTVLLIANVS vindicatur a PAMELIO et GROTIO. Ceterum quaenam fuerit ſententia veterum Chriſtianorum de bellis gerendis, pluribus exponunt ZIMMERMANNVS et SPENCERVS.

§. VII. Etiam in *veſtibus* decorum obſeruarunt primi Chriſtiani, in primis nimiam capillorum curam deteſtati ſunt, vti pluribus probauit COTELERIVS. De veſtibus ſacerdotum et decoro circa illas obſeruato plura monui ſupra in loco *de miniſterio eccleſiaſtico*.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio II.

Auctores, qui ex profeſſo de prudentia in libertate Chriſtiana obſeruanda ſcripſerunt, ſiſtens.

§. I. Ex ipſis Patribus, praeter EVLOGIVM atque AVGVSTINVM, nullos habemus, qui ex profeſſo hanc pertractauerint materiam. Vt autem conſtet, quomodo pro ſingulari ſua prudentia antiqua Eccleſia modo ritus abrogarit, modo introduxerit, prout vel conducebat Eccleſiae, vel fraudi erat, iuuabit in memoriam reuocare crebras rituum in S. Coena variationes. Notatu digna eſt IO. PHVRNEI *de ritibus in S. Coena per omnia fere ſaecula mutatis epiſtola.*

§. II. Vt autem eo luculentius conſtet prudentia veteris Eccleſiae circa ritus ſacros, indicabimus, quod ſe ſemper ad Iudaicam Eccleſiam, vt et gentiles conuertendos accommodarit, ne vtraque pars ritibus nouis ob oculos poſitis a Chriſtiana religione abhorreret. Veteres Chriſtianos multos ritus, in Eccleſia Iudaica vſurpatos, deinceps toleraſſe, pluribus probant RICH. SIMONIVS, VITRINGA, BVDDEVS. Plures auctores adduxi in *diſputatione de baptiſmo proſelytorum, pag. 20.* Etiam cum gentilibus transegit Eccleſia Chriſtiana, quando ritus plures tolerauit, qui ſine aliqua ſuperſtitione adhibendi ſunt. Pluribus hac de re agunt BARONIVS aliique ſcriptores laudati a PETRO BAELIO. Hanc rem ex profeſſo tractare promiſit ANT. VAN DALEN, ſed nihil adhuc dum in lucem prodiit. Addere etiam poteris THEOPH. RAYNAVDVM.

Locvs XVII.

DE MORTE ET STATV ANIMAE POST MORTEM.

Sectio I.

Singulares Patrum opiniones circa hunc locum ſiſtens.

§. I. Beati Patres ſaepiſſime loquuntur de *igne*, cuius ope animae hominum ſunt purgandae. Haec omnia autem ita accipiunt Pontificii, ac ſi Patres *ignem purgatorii* credidiſſent. Sed eosdem grauiter falli, optime oſtenderunt SPENCERVS, BLONDELLVS, VOSSIVS atque TITIVS. Scilicet Patres exiſtimant,

 ani-

animam non ſtatim poſt diſceſſum e corpore ſubire examen ignis, ſed tantum in iudicio extremo tempore conflagrationis mundi.

§. II. *Statum* quendam *intermedium* a Patribus asſertum eſſe, multi ſcriptores tradunt, quos inter praecipui ſunt WILH. SCHERLOCKIVS, BLONDELLVS, VOSSIVS atque COTELERIVS. Diſtinguunt autem Patres inter paradiſum atque coelum, contra Scripturam S. Animos ſuperſtites in paradiſo eſſe dicunt, et frui in quiete viſione Dei; quae tamen necdum perfecta ſit, ſed perfectior, ſi poſt reſurrectionem coeli participes ſint.

§. III. Ex precibus pro demortuis ſuſceptis quidam colligere voluerunt, ſtatum intermedium vel purgatorium asſertum eſſe a Patribus. Verum illi ignorant finem precum, pro demortuis ſuſceptarum. Conf. DALLAEVM atque HILDEBRANDVM vna cum IO. MEISNERO.

§. IV. ORIGENES inter illos ponitur, qui negarit aeternum inferni ſupplicium, atque potius crediderit, futuram aliquando daemonum atque impiorum ſalutem. Sed dubius admodum eſt ORIGENES, atque adeo more peſſimo hoc asſeruiſſe dicitur, iudicio HVETII atque GROTII.

§. V. Multum facit ad hunc locum illuſtrandum vera notitia vocis ᾅδȣ. Alii Patres, praeſertim recentiores, vocem ᾅδȣ de loco inferni tantum accipiunt; priores autem Patres de ſtatu omnium animarum communi. Conf. GROTIVM atque PETRVM KINGIVM.

§. VI. Plures ſingulares Patrum opiniones colliges ex CLAVDIANO MAMERTO atque AVGVSTINO. Addere poteris MACARIVM, EVSTHATIVM, IOANNEM DAMASCENVM.

SECTIO II.

Auctores, qui hunc locum ex profeſſo illuſtrarunt, ſiſtens.

§. I. Quando Patres de morte aliquid memoriae prodiderunt, diuerſis rationibus ad hunc laborem inducti ſunt. Aut enim tempore perſecutionis mortem commendare neceſſe habuerunt, ex. gr. TERTVLLIANVS, CYPRIANVS, ORIGENES; vel mortem commendarunt, cum lues vel peſtis homines affligeret, quorum in ſcriptorum cenſu eſt iterum CYPRIANVS.

§. II.

Digitized by Google

§. II. Ex recentioribus ſcriptoribus, qui Patrum doctrinam de *conſtantia in morte* collegerunt, paucos habemus, inter quos tamen excellunt HILDEBRANDVS, OSTIVS, PEARSONIVS, VOSSIVS atque DODWELLVS.

LOCVS XVIII.

DE IVDICIO EXTREMO.

SECTIO I.

Singulares Patrum opiniones circa hunc articulum ſiſtens.

§. I. De *Antichriſto* ſingulares opiniones habuerunt Patres, quando potiſſimum perſecutores primos pro Antichriſto habuerunt, in primis NERONEM. De Antichriſto et conſummatione mundi exſtat ſingularis tractatus HIPPOLYTI.

§. II. Eo dementiae quoque multi ex Patribus venerunt, vt certo definire vellent *diem iudicii extremi.* Horum errores hac in parte diligenter collegit COTELERIVS. Induxit autem eos in hunc errorem, quod crederent, diem iudicii extremi non procul abeſſe, male intellecta Scriptura S. Deinceps ingeniis ſuis indulſerunt. Abutitur Patrum hypotheſi GROTIVS.

§. III. Ex praecedentibus Patrum erroribus deinceps natus eſt eorundem *Chiliaſmus.* Nempe cum ſtatuerent, imminere excidium mundi, et oculis ſuis viderent, miſerrima tempora eſſe, de meliorum temporum ratione mox inſecutura iudicarunt. Bene autem tenendum eſt, non omnes Patres ipſum chiliaſmum defendere, ſed tantum eundem tolerare; quod diſcrimen multi auctores non obſeruant. Inprimis autem in Eccleſia antiqua chiliaſinum defendere conati ſunt Saeculo III. NEPOS, ſaeculo IV. APOLLINARIS. Perfectam *hiſtoriam chiliaſmi* debemus GEORGIO CALIXTO et ADAMO TRIBBECHOVIO. Ad chiliaſmum Patrum in ſpecie referas ſingularem opinionem de Iudaeis priſtinae dignitati in terra Cananaea reſtituendis. Plurium Patrum loca collegit SPENCERVS.

§. IV. De *ſigno Filii hominis* ſingularis quoque Patrum opinio eſt. Plerique enim exiſtimant, crucem Chriſti in aduentu eiusdem conſpiciendam eſſe, vt et eiusdem vulnera. Singularis hac de re exſtat diſſertatio PFEIFFERI.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio II.

Patres, qui ex profeſſo de iudicio extremo ſcripſerunt, ſiſtens.

§. I. Ex Patribus huc ſpectant HIPPOLYTVS, METHODIVS, LACTANTIVS, EPHRAEMVS *Syrus*, aliique laudati a SCHERLOCKIO.

§. II. Sunt etiam Patres, qui de quibusdam dictis eminentioribus Scripturae S. commentati ſunt. Tales ſunt HIERONYMVS atque CHRYSOSTOMVS.

Locvs XIX.

DE RESVRRECTIONE ET VITA AETERNA.

Sectio I.

Auctores, qui de reſurrectione ex profeſſo ſcripſerunt, ſiſtens.

§. I. Apud CLEMENTEM *Romanum* occurrit vox *παλιγγενεσίας*, quam multi non de *reſurrectione*, ſed de *reſtauratione mundi* accipiunt; praeſertim cum plures Patres excidium mundi crediderint tantum quoad qualitates, non vero quoad eſſentiam. Pluribus hac de re agunt ITTIGIVS, BVRNETVS atque RAIVS. Idem CLEMENS vtitur quibusdam argumentis, quae non ſatis firma, quando v. g. ex natura phoenicis probare vult reſurrectionem; cum auis haec tantum plumas habeat, ex mendaciis compoſitas. Aliqua tamen ratione IO. FELLVS defendere CLEMENTEM conatus eſt, cum dicit, ipſum reſpexiſſe ad Iob. XXIX, 18. vbi in fontibus vox quaedam eſt, quae iuxta Rabbinos *phoenicem* denotat.

§. II Poſt Patres apoſtolicos operam omnem dederunt Patres, vt ſingularibus libris myſterium reſurrectionis defenderent. Hos inter praecipui ſunt IVSTINVS *Martyr*, ATHENAGORAS, TERTVLLIANVS, METHODIVS, AMBROSIVS.

§. III. Doctrinam Patrum, vt et plures Patres huc ſpectantes nobis ſiſtunt HVMFREDVS HODYVS, ZIMMERMANNVS atque SPIZELIVS.

Sectio II.

Singulares Patrum opiniones in hoc articulo ſiſtens.

§. I. Licet ex ritu quodam colligere queamus, *reſurrectionem* corporum *identicam*, vt barbari loquuntur, aſſertam eſſe; nihilo

Digitized by Google

nihilo minus tamen in antiquis Patribus eas deprehendimus opiniones, quae multis hodie displicent.

§. II. Antequam autem ipſas Patrum opiniones recenſeamus, duo in primis conſideranda ſunt. Reſpiciendum *primo* eſt ad hoſtes, quibuscum colluctati ſunt. Hi gentiles erant, et vel plane negabant reſurrectionem, vel reſurrectionis voce tantum ad incruſtandos errores ſuos abutebantur. Reſpiciendum *ſecundo* eſt ad modum cum ipſis confligendi. Atque ita Patres non ſoliciti erant de dogmate ex omni parte proponendo, ac ſi cum Chriſtianis ipſis res eſſet; ſed tantum, abſurditatem impactam remouendo, poſſibilitatem reſurrectionis aſſerebant.

§. III. Cum igitur pleroſque gentiles haberent aduerſarios, ſingulari quadam prudentia inducti, noluerunt myſterium fidei deriſoribus religionis proponere. Vt vero eo facilius gentiles adducerent, plerique ex Patribus aſſeruerunt corpus aëreum, quod magna ex parte a reliquorum corporum natura differret. Extra conflictum cum gentilibus conſtituti, apertius atque luculentius de mortuorum reſurrectione loquuntur. Nullus inter Patres tamen magis philoſophatur, quam ORIGENES, qui in Platonicorum gratiam corpus aëreum reſuſcitandum credidit. Sunt tamen, quos inter BOILAVIVS, qui ORIGENEM omni conatu defendunt. Interim, quomodo corpus glorificatum nihil deroget veritati corporis humani, ſed tantum imperfectiones atque vitia tollat, ſingulari *epiſtola* oſtendit AVGVSTINVS.

SECTIO III.

Patres de vita aeterna ſcribentes, vt et eorundem opiniones ſiſtens.

§. I. Poſt LACTANTIVM AVGVSTINVS atque CHRYSOSTOMVS praeclare de vita aeterna ſcripſerunt.

§. II. Singulare quid eſt, quando Patres inter *paradiſum* et *coelum* diſtinguunt. In paradiſo multi viſionem Dei beatificam concedunt, alii plane negant. Coelum demum adſcribunt mentibus noſtris cum corporibus coniunctis.

§. III. Quando vero de *fruitione vitae aeternae* loquuntur, magis de exſpectatione certiſſima atque gaudio inde reſultante ipſis ſermo eſt, quam de fruitione. De *viſione intellectuali* luculen-

culentius loquuntur, quam de *corporali*, quam nec admittere potuerunt, ſi fidem adhibeas ſyſtemati coeleſti a FABRICIO exhibito. Nam ſuper paradiſum beatorum adhuc aquae ſupracoeleſtes cum firmamento poſitae erant. Scripturae ſacrae fidem adhibere voluerunt, quae magis de viſione intellectuali ipſorum iudicio loqui viſa eſt. Vt taceam, Patres philoſophorum myſticis phraſibus de viſione Dei adſuetos eſſe.

§. IV. Saeculis demum poſtremis a ſcholaſticis agitata eſt quaeſtio de *viſione Dei beatifica oculis corporeis*. Mox ſaeculo XIV. lis orta eſt contra Graecos PALAMAM et BARLAAMVM *de lumine Thaboreo*. Nempe PALAMAS cum asſeclis exiſtimauit, lumen illud in corpore Chriſti perſpicuum, diuinum atque increatum fuiſſe. Quemadmodum igitur oculis corporeis illud adſpicere potuerunt diſcipuli: ſic quoque viſionem corpoream in reliquis Chriſtianis poſſibilem eſſe affirmabant. Imo, vt eo facilius fidem facerent, nugati ſunt, eo deuenire poſſe in hac vita Chriſtianum, vt per quietem intimam animae praeparatus, Deum oculis etiam corporeis conſpiciat. De hac controuerſia, atque inde prognatis erroribus prolixe agunt PETAVIVS et RECHENBERGIVS.

* *

PARS II.

DE PATRVM ORATORIA SACRA, SIVE ARTE HOMILETICA.

PROLEGOMENA.

§. I.

Antequam ſingulas ſectiones huius partis conſignemus, operae pretium erit, quaedam in genere monere. De oratoria ſacra multa monent CAVSINVS, HILDEBRANDVS et FERRARIVS.

§. II. Quoniam vero in laudatis auctoribus multa deſunt, probe deinceps addenda, alia meliori ordine diſponenda, alia maiori ſelectu proferenda, operam dabimus, vt ſingulas partes accuratius abſoluamus. Sectiones ſequentes erunt:

I) Siſtentur auctores, qui Patrum homilias iunctim ediderunt, vel excerpta homiletica ex Patribus ſuppeditant.

Digitized by Google

II) Deprehendes prudentiam antiquae Eccleſiae in concionibus adhibitam per priora ſaecula;

III) De abuſu ſacrarum concionum per omnia fere ſaecula;

IV) De ritibus circa ſacras conciones obſeruatis;

V) De praeſtantiſſimis Eccleſiae antiquae oratoribus, et regulis in eorundem lectione inculcandis;

VI) De regulis artis homiletices iuxta Patrum opinionem;

VII) Specimina quaedam ſingularia concionum a Patribus habitarum.

§. III. Patrum conciones variis nominibus in antiqua Eccleſia appellarunt. Dicuntur *tractatus*, *diſputationes*, *homiliae* et διδασκαλίαι.

Sectio I.

Auctores, qui iunctim Patrum homilias ediderunt, vel excerpta ex iisdem collegerunt, ſiſtens.

§. I. Primus, qui Patrum homilias iunctim edidit, fuit FLACCVS ALCVINVS. Poſtea inter ſcriptores recentiores operam hic nobis egregiam exhibuerunt FRANCISCVS COMBEFISIVS, CHRIST. DAVMIVS, TOBIAS PFANNERVS.

§. II. Excerpta homiletica e Patribus ſuppeditant THEOPHYLACTVS, MAXIMVS, OECVMENIVS; vt taceam *catenarum ſcriptores*.

Sectio II.

Prudentiam veteris Eccleſiae, in concionibus obſeruatam, ſiſtens.

§. I. Vt eo magis conſtet, quaenam fuerit Eccleſiae antiquae prudentia, diſtincte per quasdam regulas exponemus eandem.

I) Initium concionum Patres fecerunt vel a *precibus*, quibus auxilium diuinum implorarent non ſolum ipſi concionatores, verum etiam ipſi auditores ſubmiſſa voce rogabantur, vt concionanti precibus ſuis ſuccurrerent; vel a *gratiarum actione*, qua Deo gratias agebant pro incommodis ab Eccleſia propulſatis.

II) Ante concionem ſacram praemittebatur lectio ſacrarum ſcripturarum, quae, vt attentis auribus exciperetur, a Diacono magno clamore commendabatur. Magnum erat iudicium in ſelegendis textibus, quippe qui cum tempore conuentus ſacri congruere debebant. Textus antea praelecti deinceps in ſuggeſtu

Digitized by Google

geſtu ſacro exponebantur, vt eo firmius memoriae auditorum inhaererent.

III) Nonnunquam multis ante diebus ſignificatum, qui potiſſimum ſcripturae locus eſſet pro concione tractandus, vt domi frequenter textum repeterent auditores, de hac vel illa re diſpicerent ſecumque disceptarent: vt ita deſiderio quodam inducti eo attentius audirent homilias.

IV) Exordia ſaepe non ſunt adhibita, interdum tamen vſurpata ob varias rationes.

V) Neque prolixiores erant veterum conciones, ſed vnius horulae ſpatio finitae, non poterant non auditorum animum recreare.

VI) Ob Chriſtianos nondum ſatis inſtructos, vel catechumenos nondum initiatos maxima circumſpectione vtebantur veteres: doctrinam ſacram proponebant, abstruſiores quaeſtiones omittebant, et ſe omni ex parte ad vulgi captum accommodabant.

VII) Cum haereticos refutarent, prudentiam adhibebant, et non niſi de praeſentibus monebant quaedam.

VIII) Magna fuit Patrum induſtria in habendis concionibus, praeſertim tempore Quadrageſimae. In ſeptimana autem magna per ſingulos dies habebant conciones, imo eodem die ſaepe plures conciones habuerunt, tempore matutino et pomeridiano.

IX) Concionandi munus arduum videbatur, et primo epiſcoporum fuit proprium, deinceps in presbyteros delatum, diaconis autem nonnunquam vrgente neceſſitate conceſſum; quod et de laicis commemoratur.

X) In Eccleſia antiqua plures conciones a viris eruditis ſunt compoſitae, ab aliis tamen publice recitatae.

XI) Conciones nonnullae memoriter recitatae, plerumque tamen de ſcripto pronunciatae.

XII) Ratione vocis prudentiam quoque Patres adhibuerunt, dum magis ſubmiſſa voce vtebantur atque flexibili, quam ſonora, quae vsque ad raucedinem concionantem deduceret.

XIII) In appellatione auditorum prudentia veterum quoque apparuit. *Fratres* ſcilicet auditores appellati ſunt, *ſancti, dilecti*, vt taceam alia fraternitatis et caritatis nomina.

§. II.

Digitized by Google

§. II. Hactenus vidimus, quaenam fuerit prudentia concionatorum in Eccleſia antiqua. Nunc conſiderandum venit officium auditorum apud veteres.

I) Magnum fuit ſtudium veterum Chriſtianorum in concionibus audiendis. Plerumque ſtabant per integram concionem, vt animum erectum ad Deum ostenderent.

II) Ardor Chriſtianorum inde liquet, quod auditores non ſolum conciones calamis exceperint, ſed et feliciter memoriae mandarint.

III) Auditores nunquam recedebant ab Eccleſia, concionatore adhuc verba faciente. Tantus erat in verbo Dei ardor excipiendo! Nonnunquam tamen homines etiam ſegniores deprehendimus, quos inſectantur Patres; praeſertim CAESARIVS *Arelatenſis.*

IV) Auditorum magnum erat ſilentium magnaque attentio, cum ſacrae conciones ad populum inſtituerentur.

V) Vt quoque maior eſſet attentio, viri loca a feminis remota occupabant, cum inter feminas atque viros intereſſent lignea ſepta.

VI) Conuentus ſacros et conciones nunquam negligebant, conſtituta poena in contemtores conuentuum ſacrorum, et conuenticulis priuatis omnino prohibitis.

SECTIO III.

Abuſum ſacrarum concionum in antiqua Eccleſia ſiſtens.

§. I. Vt accuratius ordinem obſeruemus, non ſolum de ipſo abuſu ſermo erit, verum etiam diſquiſitio de cauſis abuſus inſtituenda. Sequentia igitur obſeruamus:

I) Conciones extemporaneae multum detrimenti afferebant progreſſibus verbi diuini. Magna autem diſtinctio adhibenda eſt inter conciones extemporaneas Patrum, et alias multo labore adornatas.

II) Ex quo tempore epiſcopi antiquae Eccleſiae non amplius concionibus habendis operam nauabant, in contemtum abiit officium conciones habendi.

III) Inter oratoriam ſacram et profanam cum diſcrimen omitteretur, Patres antiqui plus oratoriae profanae, quam ſacrae

operam dederunt. Cum e. g. de quadam hiſtoria ſacra ſermonem haberent publice, more rhetorum et figmentis verborum hiſtoriam ſacram tantum illuſtrare et amplificare conabantur, nullo reſpectu habito ad interiorem verborum applicationem.

IV) Quia plebecula maximam partem imperita eſt, credebant nonnunquam, facile imponere licere plebeculae rerum profundiorum ignarae.

V) Contra ſanctitatem morum in ſacris publicis obſeruandam erant acclamationes atque plauſus, non ſine turbis auditorum atque concionantium. Qui enim iudicio plebeculae acriter haereticos inſectatus erat, in primis ſplendido *orthodoxi* titulo a plebe paſſim conclamitante ornabatur. Hac de re prolixe FERRARIVS. CHRYSOSTOMVS autem inter omnes Patres non ſine ratione has turbas populi exagitat; praeſertim cum plebs acclamaret atque plauderet, cum nulla eſſet ratio acclamandi vel plaudendi.

VI) Magnus quoque concionum abuſus fuit, cum more gentilium *conciones funebres* introducerentur, vel quando epiſcopi peregrini in Eccleſiis epiſcopos inquilinos maximopere laudarent.

VII) Ad abuſum quoque concionum ſpectat, quando vel ante concionem, vel poſt concionem, ſequioribus autem ſaeculis in ipſis concionibus recenſebant miracula, praeſertim curationes morborum miraculoſas.

§. II. Cauſas genuinas huius abuſus inquirenti varia occurrunt probe obſeruanda.

I) Studium oratoriae profanae a Chriſtianis in Eccleſiam introductum multum nocebat propagationi verae pietatis. Accedebat et hoc, quod plerique e cathedra forenſi ad cathedram ſacram tranſeuntes, declamatorum potius, quam concionatorum verbis vterentur.

II) Studium ambitionis multum quoque obfuit veritati coeleſti. Nam poſterioribus ſaeculis illa concio indigna habebatur, quae intellectu facilis eſſet; communi autem probatione excipiebatur, quae difficilis erat atque obſcura.

III) Ignorantia linguarum ſacrarum, itemque ſtudium allegoricum multum detrimenti attulit Eccleſiae Chriſtianae.

IV)

Digitized by Google

IV) Concionum contemtus inde quoque deriuandus, quod euchariſtia prolixior ob additos ritus maiori loco et pretio habita ſit, quam conciones poſtremis ſaeculis. Miſſale Latinae Eccleſiae debemus THOMASIO, MABILLONIO, PAMELIO. In Eccleſia Graeca pariter, vt in Latina, miſſae quoque ſiue liturgiae admodum prolixae fuerunt, ita vt concionibus ſacris vix locus vel cura relinqueretur. Liturgias Eccleſiae Graecae debemus GOARO, MORELLIO et SANTESIO. De Miſſa vero eiusque prolixitate optime agit IOANNES BONA.

SECTIO IV.
De ritibus ſacrarum concionum.

§. I. Licet iam in antecedentibus, cum de prudentia veteris Eccleſiae ſermo eſſet, multos ritus indicauerim; hac tamen vice de iisdem diſtinctius diſpiciendum.

I) In primis obſeruandus eſt ritus conuocandi Eccleſiam antiquam, de quo multa incerta proferunt auctores. Vix credibile eſt, ſigno quodam externo Eccleſiam conuocatam eſſe; quin potius crediderim, in conuentibus ſacris ſemper mentionem factam eſſe futuri conuentus a Chriſtianis hoc vel illo in loco celebrandi.

II) In primordiis concionis ſe cruce ſignabant, qui ritus a ſuperſtitione plane remotus erat. Vid. CAVEVM atque FRONTONEM.

III) Ante concionem lectio Scripturae S. in antiqua Eccleſia frequens fuit, ſilentio a diaconis imperato.

IV) Quod lectori fortuito codicem aperienti in manum venit, id deinceps in concione extemporali fuit expoſitum.

V) In omnibus ferme concionibus cura erat pauperum, ita, vt ad eleemoſynas exhibendas frequentes inſtituerentur admonitiones. Conf. interpretes ad COMMODIANI *inſtructionem*, vbi elegantem videbis locum.

§. II. Plures ritus circa conciones veterum obſeruatos nobis collegerunt QVESNELLVS, RITTERSHVSIVS, vt taceam FERRARIVM et HILDEBRANDVM ſupra laudatos.

SECTIO V.
Praeſtantiores in Eccleſia antiqua oratores ſiſtens.

§. I. Ante ORIGENEM in Eccleſia antiqua neminem fere habemus, cuius conciones per temporis iniuriam ſuperſint. Iu-

Digitized by Google

dicio vbivis opus eſt in lectione *homiliarum* ORIGENIS. Extemporaneae ab homiliis multo labore conſcriptis ſunt diſtinguendae. In ſenſu myſtico multum ſubſidii ex ORIGENE exſpectandum. ORIGENI maximam eruditionis homileticae partem debent GREGORIVS *Nazianzenus*, GREGORIVS *Nyſſenus*, AMBROSIVS. Poſt ORIGENEM IOANNES CHRYSOSTOMVS conciones conſcripſit, ita tamen, vt maiorem curam haberet ſenſus literalis, vrgeretque emphaſes vocum. Admiratores habuit ISIDORVM *Peluſiotam*, OECVMENIVM, THEOPHYLACTVM. In CHRYSOSTOMO locutiones hyperbolicae et feruor orationis nimius multas difficultates creant. In rebus vel hiſtoriis enarrandis exponendisque accuratus pariter atque promtus eſt, viuis coloribus ſemper vſus.

§. II. Habemus etiam auctores, qui ſingulari induſtria indicant, qui vel in integros Scripturae S. libros, vel in capita, vel in verſus compendia ſcripſerunt homiletica. Tales ſunt PFANNERVS, CROWAEVS aliique laudati MAYERO. In primis autem commendandus eſt IACOBVS MARCHANTIVS, qui ſufficit illi, qui nec ſumtus nec tempus monumentis Patrum prolixis inſumere poteſt.

SECTIO VI.
De regulis Patrum homileticis.

§. I. Inter Patres primus fuit AVGVSTINVS, qui homileticam artem regulis quibusdam adſtringeret. Compendium homiletices AVGVSTINI debemus BREITHAVPTO. Praeter BREITHAVPTVM SIMONIVS quoque quaedam haud inutilia hanc in rem adduxit.

§. II. Quodſi ſpecialius regulas Patrum conſideremus, videbimus, multas regulas ab hodierna noſtra concionandi ratione diuerſas eſſe. V. g. exordia modo omittunt, modo concionibus praefigunt; digreſſiones varias in concionibus amant, et quidem tales, quae cum praepoſito textu non videntur cohaerere. Vſus non ſubiiciunt exegeſi textus, ſed ſaepiſſime praeponunt, ſaepius immiſcent, nonnunquam omiſſa exegeſi de vſibus tantum cogitant. Accommodationes locorum S. Scripturae paſſim quoque ſunt frigidae. In homiliis Patrum etiam hoc ſingulare

eſt,

Digitized by Google

eſt, quod in hiſtoriis N. T. exponendis literae non inhaereant, ſed ſenſui myſtico plus aequo indulgeant.

SECTIO VII.

Singularia Patrum exempla in homiliis conſignandis ſiſtens.

§. I. I) Nonnunquam Patres viuis coloribus hoc vel illud vitium deſcribunt, vt lector eo magis ſit attentus. In hac arte in primis excelluit CHRYSOSTOMVS.

II) Quando ſolidae et ſingulares rationes, ad quas nemo attendit, proferuntur, attentum reddunt auditorem atque animo auribusque praeſentem. Singulare exemplum iterum eſt CHRYSOSTOMVS.

III) De ſanctificatione atque regeneratione, quia ad ſalutem animae noſtrae faciunt, iterum CHRYSOSTOMVS optime et frequentiſſime agit, ita, vt praeiudicia vulgaria, quae curſum veri Chriſtianiſmi impediunt, ſimul tollat. In moribus corruptis reprehendendis Patres etiam multum iuuant, in primis CHRYSOSTOMVS. In grauioribus Scripturae S. verbis illuſtrandis ſaepiſſime Patres multum lucis afferunt.

§. II. In concionibus, quae certis occaſionibus ſuſcipiuntur atque certis de cauſis, Patrum prudentia omnino conſulenda eſt.

* *

PARS III.

DE THEOLOGIA PATRVM MORALI.

PROLEGOMENA.

§. I.

Theologia moralis Patrum paſſim vocatur *aſcetica*, atque terminus hic deriuatur ab antiquis philoſophis, qui theologiam moralem vocarunt *ἄσκησιν*. Eadem theologia apud Patres crebro nomine *ἡσυχίας* indicatur.

§. II. De origine et progreſſu theologiae moralis apud Chriſtianos pluribus GEBH. THEOD. MEIERVS atque ADAMVS RECHENBERGIVS *diſput. de origine et progreſſu theologiae myſticae.*

Digitized by Google

Sequentes Sectiones in tertia hac parte ſunt exponendae.

Sectio I. Siſtit auctores, qui iunctim ſcripta aſcetica veterum ediderunt.

Sectio II. Siſtit auctores, vnde haurienda eſt notitia theologiae moralis.

Sectio III. Siſtit praecipuos ſcriptores morales in Eccleſia Graeca et Latina.

Sectio IV. Siſtit vſum et abuſum theologiae moralis patriſticae.

Sectio V. Siſtit ſingularia theologiae moralis capita.

Sectio VI. Siſtit Patres, qui theologiam moralem cum theologia morali gentilium ad veritatem religionis Chriſtianae demonſtrandam conciliare allaborarunt.

SECTIO I.

Auctores, qui iunctim ſcripta Patrum aſcetica ediderunt, ſiſtens.

§. I. Patrum Latinorum ſcripta aſcetica iunctim edidit CLAVDIVS DE GHANTILLON; aſcetica ſcripta Patrum Graecorum PETRVS POSSINVS.

§. II. Cui non licet tot volumina ſibi comparare, in auxilium adhibere poterit SCHMIDIVM, BAVHOVRSIVM et THEOPHILVM SPIZELIVM. Omnium vero horum induſtriam ſuperat ROSWEIDVS, qui non ſolum vitas Patrum priorum, ſed et pia monita collegit.

SECTIO II.

Auctores, ex quibus haurienda eſt notitia theologiae moralis patriſticae, ſiſtens.

§. I. Inter ſcriptores Pontificios huc ſpectant MABILLONIVS et DACHERIVS, vt et SANDAEVS; ex noſtris GODOFREDVS ARNOLDVS in tractatu *de theologia myſtica.*

§. II. Introductionem breuiorem ad theologiam moralem Patrum debemus CYPRIANO, qui tamen de ipſis auctoribus nihil addit.

SECTIO III.

Optimos ſcriptores aſceticos vtriusque Eccleſiae ſiſtens.

§. I. In Eccleſia Graeca optimi aſcetae ſunt IVSTINVS MARTYR, CLEMENS *Alexandrinus*, EPHRAEMVS *Syrus*, MACARIVS, CHRYSOSTOMVS, NILVS, ANASTASIVS *Sinaita*, IO. CLIMACVS; quibus addere poteris, qui e ſcriptis aſceticis collectanea

ctanea quaedam ſelectiſſima ediderunt, ſcriptores ipſosmet Graecos MAXIMVM *Conſtantinopolitanum* et IO. DAMASCENVM.

§. II. Aſcetae Latini optimi ſunt CYPRIANVS, IO. CASSIANVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, AMBROSIVS. Si ad ſequiora ſaecula deſcendamus, plures adhuc habemus, HVGONEM *de S. Victore* et BERNHARDVM.

SECTIO IV.

De vſu atque abuſu theologiae moralis patriſticae.

§. I. Ex multo capite laudanda eſt et commendanda Patrum theologia moralis, *partim* ob ſingularem in perſecutionibus feruorem; *partim* ob ſingularem experientiam in emendandis moribus; *partim* ob ſtudium internae pietatis, non cultui externo ſolum adhaerentis; *partim* ob diuinam ad munus eccleſiaſticum vocationem; vt taceam alias cauſas, educationem maiori induſtria, amorem carnem crucifigendi.

§. II. In Patrum theologia morali hoc in primis obſeruandum eſt, quod ſolum Chriſtianum veram notitiam ſiue γνῶσιν ſibi acquirere poſſe crediderint. Ex hoc principio deinceps de moribus emendandis omnia conſilia omnesque labores adhibuerunt. In primis autem neceſſaria ſunt ſcripta illorum Patrum, qui ſalſis verbis abuſus atque prauos mores carpunt, TERTVLLIANI, SALVIANI, CHRYSOSTOMI. In abnegatione carnis noſtrae peccaminoſae antiqui Chriſtiani toti erant, excuſationes vulgares, aliaque praeiudicia, quae in theologia morali non recte tolluntur, remouebant.

§. III. Si abuſum ſpectes theologiae moralis patriſticae, eum magnum eſſe haud nego, praeſertim ſi conſideres, nimio philoſophiae gentilium ſtudio Patres theologiam moralem corruptiorem reddidiſſe. Suſpectus paſſim eſt CLEMENS *Alexandrinus*; PSEVDO-DIONYSIVS *Areopagita* autem paſſim periculoſas fouet ſententias. Equidem philoſophiſmos in N. F. deprehendimus; neque tamen hoc ſufficiebat, theologiam moralem gentilium cum theologia Chriſtiana morali ex Patrum opinionibus confundere.

SECTIO V.

Selecta theologiae moralis patriſticae capita ſiſtens.

§. I. Singularis prudentia Patrum eſt, quando ſingulari induſtria res illas tractant, quibus probe intellectis ipſa theologia mo-

Digitized by Google

ralis deinceps luculentius traditur. V.g. de blaſphemis cogitationibus et ſuggeſtionibus, de cordis cuſtodia, de precibus, de poenitentia atque compunctione optime CHRYSOSTOMVS, EPHRAEMVS *Syrus* atque MACARIVS. De iis, qui poenitentes fuerunt atque in peccata relapſi ſunt, optime iterum agit CHRYSOSTOMVS. De ignauia ſpirituali optime agunt CHRYSOSTOMVS, EPHRAEMVS *Syrus*, AVGVSTINVS. De ſuperbia ſpirituali et ſecuritate optime iterum AVGVSTINVS. De ſuggeſtionibus atque vigiliis contra ſuggeſtiones AVGVSTINVS. De natura et gratia primo et optime AVGVSTINVS. De lectione Scripturae S. ad morum emendationem inſtituenda HIERONYMVS atque CHRYSOSTOMVS. De vtili conſideratione iudiciorum Dei LACTANTIVS. De perpetua baptiſmi memoria, ad morum emendationem inſtituenda, GREGORIVS NYSSENVS. De frequenti communione S. Coenae S. BASILIVS.

§. II. Haec atque alia capita theologiae moralis in primis neceſſaria exhibet nobis DACHERIVS in *indiculo ſcriptorum aſceticorum*. Ceterum excerpta moralia de praecipuis capitibus paſſim inſerunt commentariis ſuis FRANCISCVS TOLETVS, et GVIL. ESTIVS.

SECTIO VI.

Patres, qui theologiam moralem gentilium cum theologia morali Chriſtianorum conciliare conati ſunt, ſiſtens.

§. I. In primis Stoicorum theologia moralis a Patribus bene excepta eſt, et nunquam non cum Chriſtiana comparata. Indicio eſt EPICTETVS.

§. II. Ethicam quoque PLATONIS cum Chriſtiana coniungere anniſi ſunt, quia iudicarunt, PLATONEM prae reliquis philoſophis cum religione Chriſtiana conſentire; qua in re tamen ſaepiſſime lapſi ſunt Patres.

§. III. Ethica ARISTOTELIS a Patribus perpaucis ſerena fronte excepta eſt, cum omnes fere in ARISTOTELEM fuerint iniurii. Ceterum commentarii inſtar in hoc caput erit liber PAGANINI GAVDENTII.

IV. IO.

Digitized by Google

IV.

IO. IVSTI LOSII,

PHILOS. QVONDAM DOCTORIS, ET BIBLIOTHECAE WRIS-BERGIANAE IN PRAEDIO WRISBERGHOLTENSI PROPE HILDESIAM PRAEFECTI,

DE

DEFECTV IVDICII LOGICI

IN SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS ET HAERETICIS VETERIS ECCLESIAE EXERCITATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS.

§. I. Obiectiones eorum, qui de Logicae et Philoſophiae ſtudio iniquius iudicant;
§. II. Ad quas curſorie et breuiſſime reſpondetur.
§. III. Vſus Logicae exemplis quibusdam in genere commonſtratur;
§. IV. In ſpecie vero exemplis Patrum, in quibus varii errores notantur in genere;
§. V. Praeſertim quod ad defectum iudicii logici in HIERONYMO attinet;
§. VI. Nec non in aliis, contra Iudaeos et haereticos in doctrina de Chriſto parum ſolidas demonſtrationes adhibentibus;
§. VII. Itemque in EPIPHANIO, minus recte reſpondente Anthropomorphitis;
§. VIII. Porro ex contentione, quae de vocibus *hypoſtaſis* et *perſona* inter Graecos et Latinos Patres quondam fuit;
§. IX. In TERTVLLIANO contra Paedobaptiſmum argumentante;
§. X. Addita obſeruatione de Enthuſiaſmo philoſophico, facta applicatione.
§. XI. Deinde exemplis haereticorum primitiuae Eccleſiae, inter quos *Coluthiani* et *Floriani;*
§. XII. PRAXEAS, NOETVS, SABELLIVS, EVNOMIVS,
§. XIII. NESTORIVS et EVTYCHES,
§. XIV. ARIANI,
§. XV. MANICHAEI recenſentur;
§. XVI. Addita obſeruatione ex BACONE VERVLAMIO de idolis ſpecus, et philautia iudicium corrumpente.
§. XVII. Epilogus.

§. I.

Male conſulunt culturae iudicii, imo vniuerſae rei literariae, qui ex praepoſtero quodam zelo Logicae et philoſophiae ſtudium ex Academiis vel eliminandum, vel leuiter tractandum tantummodo cupiunt. Media enim, inquiunt, acquirendi ſcientiam duntaxat ſunt, *orare, quaerere, pulſare* (a), omnes ſcientias rerumque veritates prodire ab intellectuali lumine, idque fieri debere extra laborem, inquietudinemque in ſolo otio et lumine ſibi proprio, in quo cum ſtet intellectus, non poſſit in eum error, impoſtura vel dolus cadere (b), mentem ad incolumitatem recipiendam, agnita et deplorata aegritudine impotentiaque, abſtinere debere ab actibus intellectus ſui

a) Ita HELMONTIVS *diſſert.* cui tit. *Logica inutilis,* §. 24.
b) Idem *diſſ. de Venatione ſcientiarum.*

Digitized by Google

ſui, quem offerat Dei paſſiuum, ſolo deſiderio ſanitatis, a Deo impetrandae, agens, nec non firmiter decernens impoſterum, ſi reſtituta fuerit, non recturum amplius facultates ſuas ad placitum proprium, ſed ad voluntatem ſummi Entis (c); Studioſos eo citius ad Theologiam et inprimis ad S. Bibliorum lectionem peruenire et tantum temporis, quod Philoſophiae tribuendum eſt, lucrari (d); inprimis vero cauendum, ne quae ſpiritus ſunt, cum humanis, quae ſunt fallacia, commiſceantur et confundantur, inflentur profanis ſcientiis teneri iuuenum animi (e), haereſes excitentur et bella ciuilia (f). Imo quod in vulgari Logica tot vel erro-

c) POIRET in *methodo inueniendi verum*, quam *libro de eruditione ſolida* praemiſit.

d) Olim etiam AENEAS SYLVIVS *epiſt.* 165. *libr. I.* Viennenſis Academiae maximum vitium dixit, quod nimis diutinam operam in Dialectica, nimiumque temporis in re non magni fructus terant, idemque plures hodie alii.

e) HIERONYMVS HIMHAIM *de typho generis humani ſiue ſcient. human. c.* 20. *ſſ.*

f) HOBBESIVS *Leuiathan. p.* 322. *ſſ. Vnde nata ſunt*, inquit, *de religione in Germania, Anglia, Gallia bella ciuilia, niſi a philoſophia Ethica et Politica Ariſtotelis, et eorum, qui Ariſtotelem ſequuntur, Romanorum? Menſura boni et mali in omni ciuitate eſt Lex. Ariſtoteles autem virtutem et vitium non legibus definiuit, ſed laude et vituperio apud ciues Regum omnium imperium tyrannidem vocat, in Democratia ſola libertatem eſſe dicit, et ipſe et poſt illum ſcriptores Romani plerique ab vnius Tarquinii Regis odio hominis vitium in formam regiminis transferentes* etc. Refutarunt illum D. ADAMVS RECHENBERGIVS *de origine et vſu ſcholarum* pec. diſſ. et TEMPLERVS, Anglus, in *Idea theologiae Leuiathanis.* Videntur etiam Patres primitiuae eccleſiae eandem ob cauſam in philoſophiam praeſertim Ariſtotelicam grauiter ſtomachati. IRENAEVS *adu. haereſes, lib. XI. c.* 19. ait, VALENTINVM ARISTOTELI accepta referre duo, multiloquium et ſubtilitatem. AVGVSTINVS quo animo in Ariſtotelem fuerit, ex *lib. I. contra Iulian. c.* 4. apparet, vbi perſtringit ARISTOTELIS Categorias, et *lib.* 2. *contra Iulian. c.* 10. *lib.* 5. *c.* 14. *lib.* 6. *c.* 9. *lib.* 3. *de doctr. Chriſt. c.* 27. BERNHARDVS ABAELARDO Dialecticam ARISTOTELIS exprobrat, *epiſt. ad Innoc. II.* SOCRATES *hiſt. eccleſ. c.* 28. de AETIO ſcribit, ARISTOTELEM effeciſſe, vt hinc haereticus, inde Atheus haberetur. Conf. IOH. LAVNOII *de varia Ariſtot. fortuna liber*, *p.* 21. *ſſ.* Quanta quoque fomenta abuſus philoſophiae Papiſmo dederit, pluribus poſſet oſtendi. Nimi-

Digitized by Google

erronea vel plane inutilia ſint (g), plane graphicam eſſe D. Pauli exagitationem 1 Cor. I, 10. Rom. I, 22. VIII, 7. Col. II, 4. Et quae ſunt, quas praetexunt, rationes aliae.

§. II.

Non erit inſtituti noſtri ratio, ſingulas hic perluſtrare prolixius. Interim breuibus aliquid reſpondendum eſt. Valet enim hic regula Chriſti Matth. XXIII, 23. *Ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι* (a), et quod VILLEMANDIVS (b) POIRETO reponit, revera quidem ab Autore excogitatam methodum videri ad extinguendas omnes diſciplinas naturales, quas inanes rerum vmbras fictasque a ratione humana tanquam ab hiſtrione comoedias appellat, omnemque in diſcendo, docendo, meditando laborem

Nimirum imputatam fidei iuſtitiam ſuſtulit, et protulit habitualem infuſam Ethica ſpeculatio de iuſtitiae et aliarum virtutum habitibus inhaerentibus. Primatus papalis in totum diſcurſibus Politicorum ſuperſtructus eſt. Transſubſtantionis portentum induxerunt, quia Logicus eſſentialem requirat vnitatem, ſi ſubſtantia de ſubſtantia, vt fit in praedicationibus ſacramentalibus, enunciari affirmando debeat. Gratiam et fidem commutarunt in infuſum habitum, quia virtus Ethica omnis in habitu conſiſtat. Poſſibilitatem implendae legis defenderunt, quia Politicus aſſerat, *δεῖ τοὺς νόμους κατὰ τὸ δυνατὸν τίθεσθαι*, iuxta PLVTARCHVM in *vita Solonis*. Libertatem arbitrii ſanciuerunt, quia Ethices nec poenae nec praemio locum relinquat, niſi illa praeceſſerit. Peccatum originale per meram *στέρησιν* definierunt, quia omne ens poſitiuum bonum eſſe Metaphyſicus dictitat. Concupiſcentiam rationem peccati habere negarunt, quia *τὸ ἑκούσιον* abſit etc. Obſeruauit hæc ſaepiſſime BALTHASAR MEISNERVS; ſed ea omnia quam vere et recte applicata fuerint, disquirant alii.

g) PETRVS GASSENDVS in *Exercit. Paradoxis* Praedicamenta ARISTOTELIS falſe perſtringit. TITIVS in *ſcientia cogit. cogitantium c.* 7. oſtendit, modum conuertendi propoſitiones in Logicis traditum inutilem eſſe; et vide ſimiliter de Contrariis eundem *c.* 8. ANTONIVS ARNALDVS *de arte cogitandi Part. II. c.* 12. *p.* 140. taxat communem ſententiam, qua indefinita propoſitio ſpectata in ſe pronunciatur pro vniuerſali habenda in materia neceſſaria, et pro particulari in materia contingente, et *Part. III.* de Syllogiſmis eorumque formis varios vulgatorum Logicorum errores caſtigat, *c.* 17. oſtendit locorum Topicorum inutilitatem, etc.

a) Idem reſpondet CLEMENS *Alexandrinus lib. I. Strom. p.* 120. 125.

b) VILLEMANDIVS in *manuductione ad Philoſ. Ariſtot. Epicur. Carteſianae paralleliſmum.*

Digitized by Google

borem amandandum, induſtriamque damnandam, eaque ratione inertem et ignauum Quietiſmum inducendum. Cuius rei exemplum ipſe cum ſtupore vidi et admiratus ſum in viro quodam Eccleſiarum Comitatus cuiusdam Praeſule, qui falſo pietatis nomine ſuſpectus, etiam doctrinam iuris naturae tollendam eſſe dicebat, quia Chriſtianorum tantum iuris diuini cognitio, nec iis cum natura negotium eſſet, itemque ſtudium optices, quia inuertere imagines, vti fit in camera obscura, quae potius iuxta rationem imaginis diuinae rectificandae ſint, doceret, ineptiſſimis prorſus, vt ad oculum patet, ob praefatam cauſam, inductus rationibus. Inter Theologiam autem et Philoſophiam ingens maximumque intercedit discrimen. Illa circa ſpiritualia, coeleſtia, quaeque ad regnum gratiae et gloriae pertinent, occupata eſt, ideoque ea media praeſcribit, nimirum poenitentiam, fidem, abnegationem ſui, preces, etc. per quae tantum bonum homines conſequantur. Haec tradit ea, quae naturae liber ſuppeditat, et quae ad hominis intellectum recte formandum reduci posſunt, eaque praeſcribit media, nimirum mentis conceptus recte componere, deinde diuidere, ex iisque inferre aliquid, quae fini ſuo proprio ſunt deſtinata. Quare Philoſophia a Theologia ita ſeparanda eſt, ne vna cum altera commiſceatur, ſed ſuum cuilibet officium ſaluum integrumque maneat; errantque illi, qui eas conſundunt, quod haereticos et ſcholaſticos feciſſe in propatulo eſt, nec multum ab hoc errore recedunt Sociniani, aliique horum veſtigia prementes, qui non ſolum rationem humanam in rebus diuinis nimium ſequuntur, ſed et ipſum Dei verbum ex rationis norma aeſtimant, intelligendumque eſſe putant (c). Ancillatur enim iuxta id, quod vulgo dicitur, Philoſophia Theologiae, et captiuanda eſt ratio ſub obſequium fidei, vel,

c) Sic SOCINVS *Tom. I. Syſt. p. 362. Etiamſi illa in Scripturis ſcripta habeantur, tamen, quia rationi contraria ſunt, credi non posſunt.* Nec probare posſumus, quod KECKERMANNVS *lib. I. Syſtem. Theol. c.* 4. asſerit; *Deus lucem Spiritus S. per duas illas plane diuinas diſciplinas Metaphyſicam et Logicam in mentibus hominum vult accendere.* Concedimus quidem iudicium Logicum et Organicum, vt eruat ſenſum, connexionem et conſequentias; ſed ei non permittimus directorium reale, ſiue poteſtatem probatiuam et deciſiuam dogmatum fidei, quanto minus virtutem illuminatiuam eamque ſaluificam.

Digitized by Google

vel, vt cum LVTHERO dicamus, Philoſophia eſt inſtar aſinae Chriſto inſidente, nec aſina eſt imponenda Chriſto, ſed Chriſtus aſinae; Philoſophia eſt mulier illa alienigena Deut. XXI, 1. et quemadmodum illi caeſaries erat abradenda atque circumcidenda, priusquam ad coniugalem cum Iudaeo conſuetudinem admitteretur: ſic praecidendi ſunt rationi et Philoſophiae vngues errorum, et abradendi crines ſuperbiae, antequam in ſcholas theologorum aſſumatur, dicente HIERONYMO (d). Eademque ſententia egregie a Patribus illuſtratur adhibitis Sarae et Hagaris exemplis (e). Nec contradicit ſane reuelata veritas aut opponitur rationi ſubordinatae magis, quam tubus opticus oculo, quo nudo minime poteram conſpicere obiecta remotiora, quae oculo armato clare contueri poſſum (f); imo de conſenſu rationis et fidei intimius quis gaudebit et maiorem conſequetur ἀσφάλειαν. Caute etiam diſtinguenda inter ſe ſunt vera ſalutis principia, et ad principiorum eorum naturam et vtilitatem accurate cognoſcendam, proponendam, contra aduerſarios defendendam organa neceſſaria et vtilia. Oculi, aures, intellectus et memoria hominis ſunt a Deo ordinata ſubſidia, quibus adhibitis verbum Dei legitur, auditur, cognoſcitur et retinetur. Quae ſi quis non adhibuerit, fruſtra ſibi ſalutis certitudinem perſuadebit, fiet autem rectius, ſi debito modo ea vſurpauerit. Imo ad excolenda ea, nec fruſtra collata imaginis diuinae κριτήρια, mandato diuino conſtringimur, eaque, licet in diuinis rebus corrupta eſſe intelligamus, ideo tamen non ſeponenda prorſus ſunt, ſed ſanctificanda, nec negligendae ſunt artium regulae, quae vtique

θεῷ

d) *Epiſtola ad Magnum Orat. Rom.* 37.

e) CLEMENS *Alex. Strom. I. p.* 122.

f) Nec rectae rationis vſum Scriptura reiicit Prou. 13, 16. c. 18, 15. c. 19, 2. 27. c. 20, 15. c. 21, 11. c. 23, 12. c. 28, 2. c. 29, 7. Sir. 6, 36. Matth. 10, 16. Marc. 12, 34. Act. 26, 25. Rom. 12, 1. 1 Cor. 10, 15. 1 Pet. 2, 1. imo iubemur ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν Tit. 1, 9. 11. ὀρθοτομεῖν 2 Tim. 2, 15. πνευματικοῖς, πνευματικὰ συγκρίνειν 1 Cor. 2, 13. vitare μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτας συζητήσεις 2 Tim. 2, 23. Sicut et Paulus legitur συμβιβάζων Act. 9, 22. Apollo διδάσκων ἀκριβῶς Act. 18, 25. 28. conf. IOANNEM MVSAEVM *de vſu princ. rat. et philoſ. in controu. Theolog.* IMMANVELEM PROELEVM *de certitudine rationis et fidei p.* 49. PETR. DAN. HVETIVM *quaeſt. Alnetanis de concordia rationis et fidei.* HERM. WITSIVM *de vſu et abuſu rationis, diſſ.* 17. in *Part. II. miſcell. ſacr.* aliosque.

θεοῦ δῶρον ſunt et opus prouidentiae diuinae, ſi oeconomiam ſeu rationem temporum ſpectes (g), quatenus obtinendo fini habentur conſentaneae. Nec ſequitur, Chriſtum et Apoſtolos talia adminicula non vſurpaſſe, qui donis ſummis et extraordinariis inſtructi fuere, ergo et a nobis, qui longe inferiori gradu ſubſiſtimus, media ordinaria et naturalia negligi oportere. Propter abuſum vero rectus et genuinus vſus tolli non debet. Neque Paulus ſimpliciter omnem Philoſophiam reiicit, ſed eam, quae homines abducit a Chriſto, et prouidentiam tollit. Imo contra exiſtimamus, omnes ſectas non Philoſophiam ipſam, ſed ignorantiam verae Philoſophiae omnibus ſeculis peperiſſe, et tum demum quietas et beatas fore Eccleſias, ſi aut philoſophi vere dent operam Theologiae, aut Theologi philoſophentur pie. Vir vero prudens non pertinaciter iurabit in verba Philoſophi, ſed ſeruabit illud: *Amicus* PLATO, *amicus* ARISTOTELES, *magis amica veritas;* cui inueſtigandae operam nauamus. Nec video, qua ratione non ſaltim aliquod temporis eiusmodi diſciplinae impendendum putent, quae iudicium recte ordinat et disponit ad rem melius percipiendam. Siue enim cum ARISTOTELE ad ſoluendum Problema, cuius veritas per cauſam inueſtiganda ſit, conſiderandum praecipiatur, tum ſubiectum, tum praedicatum, an ſupra ſubiectum ſit aliquid, quod de ſubiecto in quid praedicetur, cui latiori quoque illud praedicatum inſit, donec ad latiſſimum perueniamus, cui omnis quaeſtionis praedicatum inſit, idque ſi cognitum ſit, inquirendam definitionem cauſalem praedicati, per quam tanquam medium terminum ſubiecto ineſſe probandum ſit; ſiue cum CARTESIO (h) praecipias, obiectum in tot partes diuidere, quot expedit ad illas commodius reſoluendas, incipiendo a rebus ſimpliciſſimis et cognitu facillimis, vt paulatim per gradus ad difficiliorem cognitionem aſcendatur, tum in quaerendis mediis et difficultatibus partium percurrendis tam perfecte ſingula enumerare et omnia circumſpicere, vt nihil omiſ-

g) Sic CLEMENS *Alexandrinus* Philoſophiam appellat *ἀληθείας εἰκόνα ἐναργῆ, θείαν δωρεὰν Ἕλλησι δεδομένην,* et *θείας ἔργον προνοίας, lib. I. Strom. p.* 120. qua ratione quove ſenſu videſis TRIBBECHOVII *diſſertationem II. in Clementem Alexandrinum* §. 17.

h) CARTESIVS *Part. I. Princ.* §. 6.

omiſſum eſſe certi ſimus. Siue cum MALEBRANCHIO (i) iubeas, quaeſtionem ad minimos terminos redigere et ſenſus imaginationem ac affectus dirigere; ſiue cum ERHARDO WEIGELIO (k) methodo mathematica iubeas eſſentiarum finitarum rationes primas et ex his compoſitas, adeoque rerum quarumcunque cauſas, conſtitutiones et effectus ex ſe mutuo per computationem eruere, conſtitutas res exacte reſoluere, et interius determinate cognoſcere, eas imitari, et ad noua quaevis alia applicare; ſiue id alia methodo fiat, qua iudicium commode formetur, et dirigatur. Nonne aliquam ſaltem, qua id docetur, diſciplina eiusmodi meretur mentis indagationem, operaeque pretium eſt, vt ſtudioſi, praecluſis ambagibus, via, qua fieri poterit, breuiſſima ad eam manu ducantur? Recte monuit GALENVS (l), principium prauorum dogmatum eſſe id vnum, nihil de demonſtratione meditatum, prius res ipſas inquirere velle: *nam neque nota*, inquit, *aſſumunt, neque ignota demonſtrant, ſed veluti legislatores id, quod placet, conſtituunt; denique progreſſu rationis inſtar euripi cuiusdam ſummam inconſtantiam prae ſe ferunt.*

§. III.

Merito proinde multorum errorum, quibus carere poterant, cauſam neglectum Logicae vel defectum Logici iudicii eſſe dixerim, dum minus recte vel diuidenda componunt, vel componenda diuidunt, nec recte inferunt. Et ſaepiſſime tanta eſt errorum eorum pertinacia, vt quia ſanioribus deſtituuntur principiis, vix euelli animis queant, aliisque ſubinde falſis ideis multiplicentur, accedente praeſertim affectu quodam vehementiori, de quo pluribus infra §. XVI. Ex quibus, quam neceſſaria ſint ſaniora quaedam rationalis diſciplinae praecepta, abunde elucescit.

i) MALEBRANCHIVS *de inquirenda veritate, lib. VI.* cuius obſeruationes *lib. II. c.* 3. ad Patrum quoque eruenda vitia conducunt, vbi eleganter inter alios de TERTVLLIANO obſeruat, eum Fanaticum fuiſſe, idque ex excerptis nonnullis ex *libro de Pallio* probat.

k) WEIGELIVS *Philoſophiam Mathematicam* euulgauit, vniuerſae artis inueniendae prima ſtamina complectentem, in qua de huius methodi natura et conſtitutione data opera egit.

l) GALENVS *lib.* 2. *de temperam. cap.* 5.

Digitized by Google

ſcit. Lubet exemplis rem declarare. Minus recte componunt *Anti-Trinitarii* ex doctrina de praedicabilibus genus cum ſpeciebus ſuis, quod communiter de veris ſpeciebus ſuis praedicatur et multiplicat etiam eſſentias in iisdem ſpeciebus, ex eoque inferunt, atque argumentantur: *Qui credit, Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, et Spiritum S. eſſe Deum, eum oportet credere, non vnum, ſed plures eſſe Deos*; cum argumentum illud verum modo ſit in veris generibus et ſpeciebus, minime autem in illis praedicatis, quae nec genus, nec ſpecies ſunt: Deus vero de Patre, Filio et Spiritu S. praedicetur, nec vt genus et ſpecies, ſed vt aliquid tribus commune, absque vlla tamen ſui multiplicatione. In controuerſia *Flaciana* peccatum originis minus recte componitur cum praedicabilibus, cum ad accidens praedicamentale referri debebat. In controuerſia *de Chiliaſmo* diuidit PETERSEN, quae coniungenda erant, cum ex 1 Cor. 15, 23. ſſ. argumentatur: *Qui ad Chriſtum pertinent, in futuro Chriſti aduentu reſurgent. Soli pii ad Chriſtum pertinent. Ergo ſoli pii reſurgent.* Addit enim contra comminationem Apocal. 22, 18. vocem *ſolus*. Et quemadmodum iis Apoſtolus, quos fideles reputabat, ſcribit, ita ſermonem ad eorum reſurrectionem accommodat, ſed ſolorum piorum tamen futuram eſſe non dicit. Sic in 1 Theſſ. 2, 8. certum eſt, agi de altero Chriſti aduentu ad iudicium, ſcilicet extremum, eumque aduentum antecedere reuelationem Anti-Chriſti. Sed fruſtra promittit illa abolitio regnum aliquod Chriſti temporarium, ideoque componit chiliaſta, quae erant diuidenda. Nec ſequitur, reſurrectionem piorum incidere in tempus manifeſtationis Chriſti, et eſſe illam reſurrectionem ſolorum piorum, quo ipſo committitur fallacia a dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid. Quam grauiter idem impingat in locum Luc. 20, 35. 36. et defectum iudicii logici arguat, declarat B. GEBHARD. THEOD. MEIER, (a) formato ex longiori eius diſcurſu hoc ſyllogiſmo: *Quicunque ſunt digni futuro ſeculo et reſurrectione τῆ ἐκ νεκρῶν, illorum reſurrectio eſt prima, quae reſurrectionem reliquorum mortuorum mille annis anticipabit. Atqui ſoli pii, filii illi Dei*, etc. *Ergo* etc. ad eumque reſpon-

a) Vid. eiusdem *ſolida diſcuſſio controuerſiarum circa Chiliaſmum, p.* 115.

ſpondet, ratione formae deſiderari, quod *minor* hoc ipſo, quod excluſiua eſt, ſit virtualiter negans in prima figura, adeoque vitio laboret; deinde *maiorem* eſſe falſiſſimam, in reliquis etiam plus eſſe in concluſione, quam in praemiſſis. Pergam, ſi placet, porro. Quam male inferunt Pontificii et *μετάβασιν* committunt, ſi Eccleſia non habeat vnum idemque viſibile caput, tunc conditionem Eccleſiae deteriorem eſſe conditione cuiusvis Reipublicae. Media enim et principia demonſtrandi in quavis diſciplina propria ſint oportet, neque ex peregrinis et alienis petita (b). Imo ſi probaturi, Pontificem Romanum eſſe ſummum et vnicum controuerſiarum iudicem in his terris, argumentum deducant ex Scriptura Matth. 23, 2. Ioh. 21, 15. 16. Exod. 18, 13. 26. propria quidem, i. e. Theologica aſſumunt media; non tamen vera, ſed falſa, cum ob peruerſam interpretationem, tum ob malam accommodationem ad propoſitam quaeſtionem, quod ſolemus vocare *Paralogiſmum* (c), iidemque circulum committunt, cum in ordine ad noſtram cognitionem Scripturae autoritatem ab autoritate Eccleſiae ſuſpendunt, et tamen hanc ipſam e Scriptura demonſtrant. Et inepte obiiciunt Matth. 23. pro autoritate Pontificum, quamuis vita et doctrina peſſimorum, vbi Chriſtus ipſe Phariſaeos in cathedra Moſis ſedentes audiendos iubet: id quod profecto per particulam reſtrictiuam exponendum, et de Phariſaeis, quatenus in cathedra Moſis analogiam vitae et doctrinae ſeruent, intelligendum eſſe, apparet. Solent quoque ſibi applaudere egregie, quod iactitant in diſcedentes a ſe ad noſtram Eccleſiam dilemmate (d): *Si ab Eccleſia noſtra exeundum fuit, illa vel caſta vos genuit, vel corrupta. Si caſta, male, nec ſine haereſeos nota exiiſtis; ſi corrupta, ſpurii eſtis et meretrice nati. Ergo exeundum non fuit.* Sed ne quid dicamus, quod a Romana Eccleſia exeuntes exuant natales ſpurios et legitimos induant, etiam alterum cornu minus ferit, eo quod retorqueri idem dilemma poſſit in eos, qui a noſtra religione ad Pontificiam deficiunt. Quantam quaeſo pariter eclipſin patiuntur, qui theſin noſtram, quod fides ſola iuſtificet, vel ideo non approbant, quod ea *κατὰ ῥητὸν* in Scripturis non exſtet; cum tamen ab exceptiua negante

Dd 2

b) CORNEL. MARTINI *anal. p.* 175. *ſſ.*
c) Conf. C. D. ROCHII *Logicam ſacram, p.* 169.
d) NIHVSIVS *de Elenchis Sophiſticis, c.* 33.

Digitized by Google

gante ad excluſiuam affirmantem optima in Logicis ſit conſequentia; vel ideo ſaltim limitandam iudicent, quod a fide bona opera et ſanctificatio videantur excludi: nam et illi, ſi Logico inſtructi eſſent iudicio, theſin noſtram excluſiuam ſaltim eſſe excluſi ſubiecti, facile intelligerent, non autem excluſi praedicati, quaſi nihil aliud agat fides, quam quod iuſtificet, quae tamen ſanctificat quoque et purificat corda. Ne vero plurium exemplorum congerie, quae diſſertationis noſtrae ſcopum proxime non feriunt, Lectorem longius, quam par eſt, detineamus, haec ſaltim, ex quibus neceſſitas rationalis diſciplinae, propter tot humani iudicii exorbitantes a rectae rationis norma deſulturas, ad oculum patet, in medium produxiſſe ſufficiat. Idem enim in ſequentibus pro inſtituti noſtri ratione exemplis quibusdam Patrum et haereticorum veteris eccleſiae ſumus commonſtraturi.

§. IV.

Quot quantisque ſaepiſſime ſcateant erroribus Patrum ſcripta, ex quibus apparet, ea pro infallibili fidei norma ſuſpicienda non eſſe, ſolemus alio loco Pontificiis regerere. GISBERTVS VOETIVS (a) inter adiuncta priuatiua cum reliquis maxime recenſet *ignorantiam ſolidae et propriis conceptibus incoctae Philoſophiae in Phyſica, Pneumatica, Hiſtoricis, Chronologicis, defectum Acroamatici et Logici iudicii in analyſi Scripturae, vt et in geneſi thematica, ſyllogiſtica, methodica: atque hinc frigidas ſaepe, ridiculas, fallaces et erroneas Scripturae interpretationes ortas eſſe, ἀπαιδευσίαν* et *περιεργίαν in abſurdis coniecturis*, vti et *ἀκρισίαν in delectu argumentorum.* Id quod quam veriſſimum ſit, pluribus exemplis poſſet comprobari. AVGVSTINVS (b) negat antipodes; AMBROSIVS (c) ſolem narrat ad ſui temperiem alimentum aquarum ſibi ſumere, indeque fieri, vt aliquando madidum atque rorantem conſpiciamus. CHRYSOSTOMVS (d) coeli formam ſphaericam negat. CAESARIVS, NAZIANZENI *frater*, et SEVERIANVS, *epiſcopus Gabalitanus, non cogitabant ſane de rebus omnibus hic concurrentibus, dum ſtatuere haud ſunt veriti, Danubium eſſe Piſonem*, inquit HVETIVS

a) *Diſput. de Patribus, Part. I. p.* 81.
b) *libr.* 2. *de ciuit. Dei, c.* 9.
c) *Hexaëm. lib.* 2. *c.* 2.
d) *in epiſt. ad Hebr. hom.* 14.

Digitized by Google

TIVS (e). BASILIVS (f) a Danubii fontibus aberrat, quem in Pyrenaeorum montium radicibus oriri tradit. Quid illa propriis conceptibus incocta Philoſophia effecerit, videmus in illa Patrum quorundam de purgatorio ſententia; in ORIGENE aeternitatem mundi et animarum praeexiſtentiam asſerente (g); in BASILIO ſtatuente, ante lapſum audiiſſe inter ſe et ſenſate locuta fuiſſe animalia, non diſſentiente AVGVSTINO (h), (PLATONIS enim haec apud EVSEBIVM (i) ſententia, homines aurei ſeculi, Saturno imperante, tantae virtutis et ſapientiae fuiſſe, vt cum beſtiis ſermones conferre potuerint) in formula illa, dum Patrem dixere ἀυτόθεον (k) ORIGENES, EPIPHANIVS, EVSEBIVS: quam commode etiam arripuere Ariani, vt opponerent θεὸν ἀυτὸν et θεὸν λόγον. FRANCISCVS enim GOMARVS (l) vocem hanc ex ſchola Platonicorum prodiiſſe obſeruat, qui in ideis ſuis et abſtructis rerum formis exprimendis nomina cum pronomine ἀυτὸ poëtica quadam licentia conflabant. Nec aliter ARISTOTELES (m), contra ideas diſſerens, docet, ideas declarari, addita ſenſilibus voce ἀυτὸ, ut ἀυτοάνθρωπος, ἀυτόιππος, ἀυτοαγαθὸς, ἀυτόαλφα, ἀυτοεπιθυμία, etc. Alias ἀκυρολογίας et duriuſculas phraſes notant (n) HEINSIVS, ELMENHORSTIVS, IVLIVS

e) *Tract. de ſitu Paradiſi, p. m.* 40.

f) *Hom.* 3. *in Hexaëm.*

g) conf. SANDIVM *de anima c.* 8. AVGVSTINVM *lib.* 31. *qu. V. in N. T.* quo de RICHARDVS SIMON *H. C. lib.* 3. *c.* 9. *praeiudiciis*, inquit, *Philoſophicis plenum eſſe, eaque vbique operum ſuorum occurrere*, praeſertim Platonicis, vbi de numero diſſerendum ipſi eſt.

h) AVGVSTINVS loco cit.

i) *de Praepar. Euang. lib.* 12. *c.* 9.

k) ORIGENES *in Iohannem Tom. II. p.* 372. EVSEBIVS *de Demonſtr. Euangel. lib. V. c.* 1. 4. 12. 16. EPIPHANIVS *haereſi* 76. *contra Anomaeos*, et *haereſ.* 69. DION. *Areopagita de diu. nominibus c.* 11.

l) in *Diatribe*, quam cum notis exhibet VOETIVS *Diſp. Theol. Part. I. p.* 443. A Stoica et Platonica Philoſophia non multum diſſenſiſſe eccleſiae Patres, oſtendunt AVGVSTINVS STEVCHVS *de orbis terrae concordia*, LIPSIVS *lib. I. de conſtant. c.* 18. HVETIVS *quaeſt. Alnet.*

m) ARIST. *Metaph. lib.* 1. *c.* 6. *c.* 16. *lib.* 2. *c.* 2. *lib.* 6. *c.* 11. *lib.* 12. *c.* 7. *c.* 10.

n) HEINSIVS in *Nonnum p.* 67. 68. 87. 88. ELMENHORST. in *Gennadium p.* 107. *ſſ.* GABRIELIVS in *ſcholiis ad apolog. Nazianz.*

Digitized by Google

LIVS GABRIELIVS, DALLAEVS, RIVETVS. EPIPHANIVS docet (o), Peripateticorum et Pythagoraeorum eandem in gentilium Philoſophia eſſe ſectam. IVSTINVS Ptolemaeum ad Herodem miſiſſe dicit de LXX. qui tamen tempore ELEAZARIS vixit. EPIPHANIVS contra Chronologiae ſeriem Hieroſolymae ſubuerſionem ad annum 65. a Chriſti paſſione refert. CHRYSOSTOMVS modo quadringentos, modo quingentos annos numerat ab Hieroſolymae excidio. Non probamus tamen Socinianorum promachum CHRIST. SANDIVM, qui ad ſequentia verba AVGVSTINI (p): *In ſumma Trinitate tantum eſt vna, quantum tres ſimul ſunt, nec plus aliquid ſunt duae, quam vna, et in ſe infinita ſunt: ita et ſingulae ſunt in ſingulis et omnia in ſingulis et ſingula in omnibus et omnia in omnibus et vnum omnia:* ita cauillatur, (qua ratione HOBBESIVS (q) fere SVAREZIO *lib. 1. c. 6. de concurſu, motu et auxilio Dei* illudit) dicens: *Quis credat, formulas illas contradictorias intellexiſſe Auguſtinum?* Haec verba ſunt adeo ſublimia, vt nec Chriſtus nec Apoſtoli ea vel referre vel intelligere potuerint, quin potius Logicographos inſtruant exemplis formularum contradictoriarum. Sublimior enim eſt Chriſtianorum Philoſophia, nempe Chriſtum noſſe, eumque crucifixum, quam, ſaepe ſupra rationem, licet contra eam non ſit, (quod etiam Aethiopes pueris ſimilitudine ſolis, in quo tria rotunditas, lux et calor habeantur, licet vnus tantum ſol ſit (r), explicare ſolent) SANDIVS, Socinianorum partes agens, data opera ſuis proſcindit conuitiis. Sed ne contradictio fingi quidem poteſt, niſi in iis rebus, quas clare et diſtincte cognoſcimus: illa ſibi contradicunt, quando duae vel plures notiones ſimplices, quas diſtincte cognoſco, combinantur, quarum vna alteram tollit, vt quadratum triangulare. Cum vero Trinitatis myſterium, vti et incarnationis, ex eorum numero haud ſit, quae

anz. p. 445. 452. DALLAEVS *de vſu Patrum*, RIVETVS *Critici ſacri prolegom.*

o) EPIPHANIVS in *Panar. lib. I. Tom. I. p.* 14. et in *Anaceph. p.* 127. *de menſ. et ponder. n.* 125. in *Anchor. n.* 112. IVSTINVS *Apol.* 2. CHRYSOST. *paſſim* in *Homiliis.*

p) SANDIVS *H. E. nucleo p.* 144. AVGVST. *lib. 6. de Trinit. c.* 10.

q) HOBBESIVS in *Leuiath. p. m.* 41.

r) IOB. LVDOLPH. *hiſt. Aethiop. lib.* 3. *c.* 5.

Digitized by Google

quae clare et diſtincte cognoſcuntur, nemo, niſi qui inſipienter ſapit, contradictionem in iis ſtatuet, aut ita intelligenda interpretabitur, vt nihil inſoliti prae ſe ferant. Inepti ſunt, qui id ſibi ſumunt, vt aſpernentur et falſi arguant, quod ſibi non ſit veroſimile: quod illis ſolenne eſt vitium, qui ſupra vulgus ſapere ſibi videntur (s). Interim lubentes cum DALLAEO (t) fatemur obſcuritatem Patrum quorundam, cuius ille rationes affert, quod interdum ſedulo animi ſui ſenſa occultent, interdum licet non ſtudeant obſcuritati, obſcuri tamen ſint ob earum ignorantiam artium, qua linguam fingunt et bene loqui docent: quo collocat cum aliis EPIPHANIVM; et quod alii ita nati erant, vt eos neque ars neque ſtudium emendare potuerit: quo refert VICTORINVM et RVFFINVM ab HIERONYMO ſaepe caſtigatos; porro quod ſcribendi ſcripturasque explicandi ratio ab initio, quae ſimplex erat, breui immutata et ſubtilitatis ornamentorumque ſordes contraxit; quod ſaepe etiam affectuum impetu et orationis curſu rapti, contra rationis Logicae principia ſcripſerint, quae eo rigore accipienda non ſint, vt videantur (u) ſentire cum Manichaeis, cum diſputant aduerſus Valentinianos et Manichaeos, facere cum Pelagianis, ſi cum Pelagianis conſerunt, ſi aduerſus ARIVM, a SABELLIO minus alieni eſſe, et viciſſim, ſi SABELLIVM adoriuntur, ad ARIVM videantur accedere, etc. Id quod exemplis hic quibusdam facile commonſtrari poſſet, cum potiſſimum tractationis noſtrae materiam proxime reſpiciat, ſed alia, vt apparet, eandem rem probantia, excerpere et colligere placuit. Quod dum facimus, non eo quidem animo, quaſi tantorum Patrum manibus ignominiam affricare velimus, aut neſcio quas ſubtilitates Logicas in eorum ſcriptis cum ſcholaſtico quodam, cuius meminit IO. LVDOVICVS VIVES (x), deſiderare, id fieri

 quis

s) Ita alibi iudicat MICHAEL *Montanus.* Conf. *les eſſais de Montaigne lib.* 1. *c.* 26. *p.* 229. et IO. GERHARDVM grauiter de eadem materia diſſerentem *Exegeſi LL. CC. p.* 831. *ſſ.* §. 199. Ien. 1625. in IVto.

t) DALLAEVS *de vſu Patrum p.* 137.

u) Verba ſunt CORN. MVSSON in *Epiſt. ad Romanos p.* 270.

x) In *Pſeudo-Dialecticos*, citante ZVINGERO *theatro vitae humanae Vol. II. lib.* 4. *p. m.* 198. qui fuiſſe quendam refert, cum accepiſſet, diuum AVGVSTINVM magnum fuiſſe Dialecticum, incidiſſetque in

quis exiſtimet, ſed vt neceſſitatem alicuius rationalis diſciplinae, cuius ope alii ſatis commode haereticos conuicerunt (y), commonſtremus.

§. V.

HIERONYMVM nouimus interdum coniugii vſum damnare, interdum verbis grauibus commendare, ita vt coelibes non tam ad ſacerdotium idoneos iudicet, quam maritos (a). Conciliaturus hoc ἐναντιοφανὲς DALLAEVS (b) obſeruat, Patres non raro negare vel affirmare quaedam quaſi ſimpliciter et abſolute, quae tamen re ipſa neque negant, neque affirmant, niſi comparate. Sed dicendum, quod res eſt, ſaepe bonum HIERONYMVM in rectas iudicii Logico-hermeneutici regulas impegiſſe. Scripſerat idem (c), Petrum a Paulo oeconomice reprehenſum, non quod reuera eum reprehenſibilem exiſtimaret, ſed vt ea reprehenſionis larua et hypocriſi gentiles aedificarentur et ſeruarentur. AVGVSTINVS, hanc ſententiam improbans, ea de re ſcribit ad *Hieron. in epiſt.* quae eſt inter *epiſtolas* HIERONYMI, cui ille multa et mirifice reſpondet (d), tandemque fatetur: *Itaque, vt ſimpliciter fatear, legi haec omnia, et in mente mea plurima coaceruans, accito notario, vel mea vel aliena dictitaui, nec ordinis nec verborum interdum nec ſenſuum memor, quod obiter.* Et quis eclipſin paſſum eſſe negabit, dum in materia de coniugio ex 1 Cor. VII, 1. argumentatur (e): *Si bonum eſt, mulierem*

in manus illius libellus quidam, auidum legiſſe, vt aliquem inde caſum, aliquam inſtantiam arriperet, ſed miratum in homine tam Logico, ne verbum quidem eſſe de aſinis, non de inſtantiis, caſibus, de reduplicatiuis, excluſiuis, quin quod homo ſubtiliſſimus, cum de Trinitate diſſereret, nullam fecerit mentionem de distributione completa, de ſuppoſitis mediatis et immediatis, quod cum de baptiſmo tractaret, non diſputauerit de illis enunciationibus: Aqua requiritur ad baptiſmum et ad baptiſmum requiritur aqua; an detur minima aqua, quae exigitur, minima, quae non exigitur, maxima, quae requiritur, maxima, quae non requiritur.

y) Exempla allegat ZWINGERVS *cit. l. p.* 197.

a) GILLOT. *praefat.* ante *opera Hilarii.* Conf. HIERON. *ep. ad Pammachium.*

b) *de vſu Patrum p.* 143.

c) in *epiſt. ad Gal. c.* 2. *Tom. 6. p.* 287.

d) conf. *epiſt.* 86. *et* 89.

e) *lib. I. aduerſus Iouianum.*

Digitized by Google

lierem non tangere, ergo malum eſt tangere: nihil enim bono contrarium, niſi malum. Apoſtolus enim non dicit: *Non bonum eſt, vxorem tangere*, ſed: καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. Quare etſi inter propoſitiones finitas et infinitas praedicati infiniti detur in Logicis conſecutio ſiue aequipollentia improprie dicta, notandum tamen, quod propoſitio illa infiniti praedicati ſimplex ſiue incomplexa eſſe debeat. Alias conſecutio manifeſto ſaepe laborat vitio: id quod in hoc exemplo, ſi poſterior propoſitio ita reſoluatur, vxorem tangere, id eſt, quod non bonum eſt, ſatis liquet. Imo fallitur HIERONYMVS, qui hic opponere videtur bonum et malum contrarie et quidem immediate. Manifeſtum enim, mediatam ſaepe eſſe oppoſitionem inter bonum et malum, vt inter albedinem et nigredinem. Opponitur bonum inutili Matth. XXVI,24. ſaepe moleſto Eccleſ. XII,1. id quod fit quoque ab Apoſtolo, ſignificaturo, moleſtum eſſe ob praeſentis temporis conditionem, vxorem tangere, v. 26. 29. vti et v. 40. μακαριωτέρα non opponitur aeternae damnationi, ſed calamitati temporali, Luc. XXIII, 29. ideoque impingit pariter HIERONYMVS, cum *in Matth. XXIV.* ſcribit: *Non hic ſcorta damnantur, ſed vtero intumeſcentes, infantum vagitus, fructus atque opera nuptiarum.* Vae enim et malum, quod ibi Chriſtus parturientibus interminatur, non damnationem, quam ſibi fingit, ſed moleſtum, triſtem atque difficilem illius temporis conditionem inuoluit. Imo melius iudicium ſuadere poterat verſus nonus 1 Cor. VII. *Melius eſt nubere, quam vri.* Quae propoſitio comparatiua impropria iuxta regulas Logicas exponitur per negationem poſitiui oppoſiti. Nubere eſt bonum, et vri non eſt bonum. Conferas, quae hic de bono et malo diſſerit ROTENBECCIVS (f).

§. VI.

Patrum etiam eccleſiae ſcripta penſitantibus, ſubinde manifeſtum euadit, quod Logicorum pueri probe ingeminant. Concluſionem veram eſſe et eandem ſequi ex praemiſſis, idem non eſt; cum concluſio poſſit eſſe vera, quamuis ex praemiſſis non ſequatur, et rurſus poſſit concluſio legitime ex praemiſſis ſequi,

 quam-

f) *Logicae Vet. et Nouae, p. 140. ſſ.*

Digitized by Google

quamuis in ſe ſit falſa (a). Maxime ex iis, quae aduerſus Iudaeos, et in doctrina de Chriſto contra alios haereticos disputarunt, id eluceſcit. Sunt enim vtique, quae tuentur, chriſtianae religioni ac ſacris literis conformia; etſi tela, quae in Iudaeos et haereticos vibrant, plurimum acie deſtituuntur, nec valde eos feriunt, vt egregie ſuos manes paſſi eſſe deprehendantur. Pertinet huc, cum AVGVSTINVS (b), probaturus myſterium Trinitatis ex Vet. Teſt. inquit: *Cum tres viri viſi ſunt, nec quisquam in eis vel forma, vel aetate, vel poteſtate maior caeteris dictus eſt, cur non hic accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis aequalitatem et in tribus perſonis vnam eandemque ſubſtantiam?* B. LVTHERVS haec recitans verba, addit (c): *Quod ſi alia probatio Trinitatis non eſſet, quam hae tres ſpecies, ego ſane eam non crederem.* Inter alias, quarum ſeptem, imo decem recenſent AMBROSIVS et BASILIVS, primae S. Bibliorum vocis *Bereſchit* ſignificationes, primam plerique referunt, qua denotari voluerunt *principium* ἄναρχον, Filium nempe Dei, quem *principium* vocari dixerunt Pſ. CX, 3. Ioh. VIII, 25. (d) IVSTINVS in *Dialogo cum Tryphone* ex Chaldaica voce *Memra* argumentum petit. Nec ſatis validae ſunt rationes nonnullae EVSEBII, quibus myſterium Trinitatis in Vet. Teſt. notum fuiſſe probat (f). Et de aliis argumentis ex repetitione triplici vnius eiusdemque vocis, ex plurali numero minus aequum iudicium fert GEO. CALIXTVS (g). Quod Moſes manus ad ſimilitudinem crucis extenderit, perfectum quidam crucifixionis typum voluere; ac BARNABAS refert, Moſen a Spiritu S. iuſſum fuiſſe, vt manus ad ſimilitudinem crucis componeret, BARNABAMque ſecutus IVSTINVS, quod Moſes crucis formam expreſſerit τὰς χεῖρας ἑκατέρως ἐκπετάσας, ac TER-

TVL-

a) HORNEIVS *lib. 3. c. 3. §. 8. ſſ.*

b) AVGVSTINVS *lib. II. de Trinitate, c. XI.*

c) LVTHERVS *Comm. in Geneſin, c.* 18.

d) WALTHERI *Officina Bibl. Repoſ.* 2. *p.* 560. §. 671.

e) Patrum loca vid. in D. MAII *Theol. Iud. lib.* 8. *p.* 127. et in eiusd. *Theol. Euang. p.* 117.

f) EVSEBIVS *Demonſtr. Euangel. lib.* 5. *c.* 5. et contra MARCELLVM *de Theol. eccleſiaſtica.*

g) CALIXTVS *diſſert. de quaeſt. num myſterium Trinitatis e ſolius V. T. libris posſit demonſtrari?*

Digitized by Google

TVLLIANVS vocat *habitum crucis* (h); ne dicam, quod in ſigno crucis (nam 300 vernae litera Graeca T. exprimuntur) liberatum eſſe ab Abrahamo Lothum cum Sodomitis, argutentur. AVGVSTINVS in *Symb. Apoſt.* verbis: *Conceptus de Spiritu S. et natus* (i) *ex Maria virgine*, contra eos, qui Chriſtum ex Maria et Ioſepho modo caeteris hominibus communi genitum fuiſſe aſſerebant, diſtinctionem, ſed incongrue, tradit inter *de* et *ex* (k). *Quoniam enim ex ipſo*, inquit, *et per ipſum et in ipſo ſunt omnia*, EX IPSO *non hoc ſignificat*, *quod* DE IPSO. *Quod enim de ipſo eſt*, *poteſt dici ex ipſo; non autem omne*, *quod ex ipſo eſt*, *recte dicitur de ipſo. Ex ipſo enim coelum et terra, quia ipſe fecit ea; non autem de ipſo*, *quia non ſubſtantia ſua.* Quae tamen diſtinctio, in latina lingua non fundata, male adhibetur ad illuſtrandum hunc Articulum: cum in Graecis Scripturae verbis nulla eiusmodi habeatur praepoſitionis diuerſitas. Vt enim de Maria legimus, ἐξ ἧς ἐγεννήθη ὁ ἰησοῦς, ita quoque de Spiritu S. εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος. Et praepoſitio materialem aeque cauſam denotat ac efficientem. Quam valida Patrum plerorumque (l) IVSTINI, TERTVLLIANI, NOVATIANI, IRENAEI, CLEMENTIS *Romani*, EVSEBII ratio fuerit, EBIONI, CERINTHO, CARPOCRATI, ARTEMONI, PAVLO *Samoſateno*, haereticis, Chriſtum ante ſuum ex matre ortum non extitiſſe docentibus, oppoſita, qua perſuaderetur illis, eum in ſua ſibi propria perſona priſcis patribus et prophetis apparuiſſe et locutum eſſe, et nuncii a Deo miſſi munus et partes obiiſſe; quam προύπαρξιν tamen Ariani deinde comiter indulgentes, interim veram eius diuinitatem et cum Patre ὁμουσίαν eodem, quo priſci Patres, argumento oppugnabant, oſtendit GEO. CALIXTVS (m). Ita enim eſt, quod iudicium Logicum nos doceat, moneatque, ne in theſi aduerſariis demonſtranda vel rationibus falſis

h) PEARSON. *in Symb. Apoſt. p.* 361.
i) STEPH. LE MOYNE *Varia Sacra, pag.* 775.
k) *aduerſus Manichaeos, c.* 27.
l) IVSTINVS *dial. cum Tryph.* TERTVLLIANVS *aduerſus Iudaeos c.* 9. *libro de carne Chriſti, c.* 6. *aduerſus Marcionem, lib.* 2. *c.* 27. NOVATIANVS *de Trinit. c.* 25. IRENAEVS *lib.* 4. *c.* 17. 23. CLEMENS *Alexandrinus Conſtit. Apoſt. lib.* 5. *c. vlt.*
m) CALIXTVS *l. c.* §. 45. *ſeqq.*

Digitized by Google

falſis vel minus euidentibus, quas clariora Scripturae loca ſuppeditare posſunt, in rem noſtram vtamur, caeteroquin aduerſariorum ludibrio exponendam.

§. VII.

Pergamus exercitii gratia. Memorat EPIPHANIVS (a), AVDIVM quendam e Meſopotamia oriundum, ARIO coaetaneum virum, alias probum et vitae inculpatae, illud de homine ad imaginem Dei facto interpretatum eſſe ἐπὶ τὸ σκληρότατον καὶ ἰδιωτικόν, *duriſſime et imperite:* nempe id ipſum impletum eſſe ſecundum corpus; cuius ſectatores ab autore *Audiani*, a dogmate *Anthropomorphitae* dicti (b). Obiiciebant autem non ſolum Gen. 1, 27. ſed et alia dicta, quibus Deus vel apparuiſſe et viſus eſſe asſeritur, vel videndus promittitur. In ſoluendis his nimium quantum haeret EPIPHANIVS, nec quomodo id Geneſ. 1, 27. accipiendum et explicandum, vel qua in parte hominis diuina imago collocanda eſſet, asſerit, ſed αὐτῷ μόνῳ ἔγνωσα, inquit, τῷ θεῷ κατὰ χάριν τῷ ἀνθρώπῳ δωρησαμένῳ τὸ κατ᾽ εἰκόνα. In reliquis ſe recipit ad praeſidium veracitatis et omnipotentiae diuinae, inquiens, naturam eius videri non poſſe, neque gloriam comprehendi, quando autem vult ab homine videri, voluntati eius nihil obſiſtere. Potuiſſet autem bonus EPIPHANIVS (c) ſine magna difficultate ſe expedire. Deus alibi videri affirmatur, alibi negatur. Vtrumque verum. Ergo quodammodo videtur, alio non. Videtur mente, non videtur oculis corporeis. Si autem oculis corporeis videtur aut videri dicitur, non videtur ſecundum ſe et ratione ſuae inuiſibilis eſſentiae, ſed in externo vel aſpectabili ſymbolo ſiue ſigno, quo ſuam praeſentiam ſiue beneuolentiam teſtari placuerit: ideoque per ſe patet, contradictoria non eſſe, vt Deus videatur et non videatur, quae hic non oppoſita ſunt ὡσαύτως, eodem modo et in eadem ſignificatione, ſed aequiuoce; cum videre aliud dicamur proprie, aliud improprie,

a) *Haereſ.* 70.

b) quos B. LVTHERVS *Comm. in Geneſin* quodammodo excuſat, quod eorum ſententia non ita crude ſit intelligenda.

c) Melius tamen oppoſita loca expoſuerunt DAMASCENVS *l.* 1. *de orth. fide c.* 14. EVCHERIVS Epiſc. Lugd. *praef.* in *lib. formularum ſpiritualis intelligentiae*, AVGVSTINVS *ep.* 7. *ad Marcellinum.*

prie, neque κατὰ τὸ αὐτό: quia Deus videtur vel quoad eſſentiam, quod fiet in altera vita a facie ad faciem, vel effectiue in operibus, et in externo ſigno, id quod in hac vita conceditur. Similiter, quia homo ſimilis creatus eſt Deo, facile videre potuit, propoſitionem eſſe de externo comparatiuo ſimilium ac disſimilium, in qua ante omnia, collatis aliis Scripturae locis, de ratione ſimilitudinis huius, in quo potiſſimum conſiſtat, videndum fuiſſet.

§. VIII.

Grauiſſima olim inter Graecos et Latinos Patres de vocibus *hypoſtaſis* et *perſona* contentiones fuerunt. Orientales μίαν ὀυσίαν, τρεῖς δὲ ὑποςάσεις dicebant. Latini autem maluerunt vnam hypoſtaſin i. e. vnam esſentiam ſiue ſubſtantiam ac tres perſonas profiteri (a). Alteri alteros eam ob cauſam in crimen vocabant, Graeci Latinos, quaſi hi, dum vnam hypoſtaſin confiterentur, cum SABELLIO ſentirent; Latini viciſſim Graecos, quaſi illi, tres hypoſtaſes confeſſi, adſtipularentur ARIO, cui Synodus Sardicenſis an. 351. ideo contrariam de vna hypoſtaſi confeſſionem oppoſuit (b). Statuebant enim Ariani tres hypoſtaſes διαφόρους καὶ κεχωρισμένας, *natura inter ſe differentes ac ſeparatas*. Tandem in Synodo Alexandrina an. 361. praeſidente ATHANASIO lis ſublata eſt, vt SVICERVS memorat (c), receptumque a Latinis, vt *perſonam* et *hypoſtaſin* iuxta dicerent; ſicut contra Graeci quoque ad imitationem Latinorum tria πρόσωπα ſiue *perſonas* dixerunt. Mirum videri poterat, de vna atque altera voce tanta fuiſſe in primitiua Eccleſia litigia. Sed docemur illis, quam periculoſa ſint certamina iſta, quam facile posſint Eccleſiam in partes ſcindere, quae non ſunt κατὰ γνῶσιν. Etenim recte intellecta aequivocatio terminorum facile omnem contentionem vna vice tollere potuiſſet. *Hypoſtaſis* enim vel pro *ſubſiſtentia* ſumitur vel pro *ſubſtantia* ſimpliciter, vt haec idem ſit, quod *eſſentia*; quamquam

a) HIERON. *ad Damaſum*, *ep.* 57. AVGVSTINVS *lib.* 5. *de Trinit.* *c.* 8. idque ipſum de Romanis agnoſcit GREG. *Nazianz. orat.* 31. *in laudem Athanaſii*, *p.* 533. quod ob linguae anguſtiam et verborum inopiam hypoſtaſin ab eſſentia diſtinguere nequeant, ideoque in illius locum perſonarum induxerint nomen.

b) Epiſtolae Synodicae verba leguntur in THEODOR. *lib.* 2. *Hiſt. c.* 8.

c) SVICERVS in *Theſauro Eccleſ. p.* 1396. BARONIVS et CALVISIVS huius ſynodi celebrationem ad a. 362. referunt.

Digitized by Google

quam vi deriuationis *ἀπὸ τῦ ἐφιςάναι* prior acceptio veriſimilior videtur et biblica Ebr. 1, 3. Vox *perſonae* etiam eſt analoga. Primario enim ſignificat *ſubſtantiam* (d), ſecundario *qualitatem;* quia vna et eadem ſubſtantia dicatur plures gerere *perſonas*, quod videmus in comoediis: et peſſime proinde faciunt *Sociniani*, SERVETVS (e), autor *Latitudinarii orthodoxi*, qui vltimam tantum admittunt ſignificationem. Cum enim dicimus, eundem hominem multiplicem eſſe perſonam, ideo ita efferimus, quia ipſe ſubſtantialiter eſt vna perſona, aliamque principis vel fictam repraeſentat. Quodſi igitur Latini tres Graecorum hypoſtaſes de tribus ſubſiſtentiis, et viciſſim Graeci idem de voce perſonae intellexiſſent, et ad latentem aequiuocationem debito iudicio ſtatim animum aduertiſſent, nunquam excitata eſſet tanta contentio.

§. IX.

DALENIVS (a) TERTVLLIANI, cuius tempore Paedo-baptiſmum exortum ſiue ſenſim introductum eſſe putat, iniquum de eo pro ſe allegat iudicium, dicentis (b): *Ait quidem Dominus: Nolite illos, ſc. infantes, prohibere ad me venire. Veniant ergo, dum adoleſcunt. Veniant, dum diſcunt, dum, quo veniant, docentur; fiant Chriſtiani, dum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens aetas ad remiſſionem peccatorum? Cautius agetur in ſecularibus, ut cui ſubſtantia terrena non creditur, diuina credatur. Si qui pondus intelligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quam dilationem: fides integra ſecura eſt de ſalute.* Iniquum vero hoc non ſolum, ſed et inconſideratum iudi-

d) In concreto, id quod qualitate praeditum eſt. CIC. *lib.* 4. *quaeſt. acad. p. m.* 27. 28. VALER. MAXIM. *l.* 2. *c.* 21.

e) SERVETVS allegatur a MELANCHT. *locis comm. p.* 298. *Latitud. orthod.* Londini prodiit 1697. 8. qui p. 71. ſſ. allegat pro altera ſignificatione CICER. *de offic. lib.* 3. *c.* 20. 22. vel potius *lib.* 1. *c.* 30. quibus praeiuit LAVR. VALLA *lib.* 6. *Eleg. c.* 34.

a) ANTONIVS VAN DALEN *diſſert. ſuper Ariſtea de LXX. interpret. an.* 1705. Amſtel. editae, ſubiungit *hiſtoriam baptiſmorum tum Iudaicorum tum Chriſtianorum*, qua Anabaptiſtarum cauſam in ſe ſuscepit.

b) TERTVLLIANVS *lib. de Baptiſmo, c.* 18.

Digitized by Google

iudicium eſt. Supponit Chriſtus τὰ παιδία in ſtatu Marc. 10, 14. et τῶν τοιέτων talium eſſe regnum Dei dicit, ſuoque exemplo ipſe praeiuit v. 16. Male vero TERTVLLIANVS ſupponit cum diſtractione, ſi ad maturam perueniſſent aetatem, et fallaciam committit compoſitionis et diuiſionis. Nec ſufficit ratio a defectu periculi petita, quaſi nimirum infantes labis eſſent expertes, cum omnis anima eo usque in Adam cenſeatur immunda, donec in Chriſto munda recenſeatur. Et minus accurate procedit a ſecularibus ſimilitudinem ſumens. Nam a bonis terrenis certe ad ſpiritualia non valet conſequentia; cum illa requirant hominem rationis vſu pollentem, haec vero non item; alias enim omnes fatui ſimilesque regno coelorum eſſent excluſi: ideoque μετάβασιν committit, nec aſſumit media demonſtrandi propria.

§. X.

De Enthuſiaſmo aliquid hic addam Philoſophico. Intellectus per imaginationem ſua directione ſpoliatur. Hinc variae mentis imbecillitates, inter quas Enthuſiaſmus, quo homines, vehementiori quodam imaginationis impetu abrepti, motus quosdam aut perceptiones, etſi naturales aut erroneas, pro veris et diuinis habent. Refertur huc cum Poëtico, Muſico, precatorio, Rhetorico, Martiali, erotico, mechanico, etiam Philoſophicus et contemplatiuus a MERICO CASAVBONO (a), quo Philoſophis quibusdam contingit, vt in profunda rerum contemplatione defixi in ecſtaſin rapiantur, quae epilepſiae ſimilis eſt, qua laborantibus contingit, vt paroxyſmo feruente ſocias habeant miras viſiones, easque aliquando vlteriori effectu deſtitutas, aliquando vero impreſſiones quasdam in cerebro relinquentes et extra paroxyſmum quoque, ſi fortes fixaeque ſunt, ita efficaces, vt non ſolum pro veris et realibus habeantur, ſed homines ſaepius exponant recidiuis ecſtaſium aut febrium ecſtaticarum (b). Efficit vero hanc ἀῤῥωςίαν, ſi quis vni percipi-

a) *Tract. de Enthuſiaſmo*, recuſ. Gryphisw. cum praef. D. MAYERI. Adde M. GRODDECK, Prof. Dantiſc. *Diſſ. de Enthuſiaſmo Philoſ.*

b) Conf. BVDDEI *Theol. Moralem*, p. 213. Adde eleg. Diſſ. D. LOESCHERI *de Paroxyſmis abſoluti decreti*. Sic IO. DVNS, Scotus, immaculatam conceptionem B. virginis 200. argumentis probauit.

Digitized by Google

cipiendae notioni intentus non confert reliquas, et genuinum analytices proceſſum ſiue demonſtrandi modum negligit. Hinc errores oriri, manifeſtum eſt, qui ſatis pertinaces vix euelluntur animis, quin pro conditione imaginationis, vt ita dicam, abſtractae extra oleam longius vagentur aliasque notiones, quae minus ad rhombum ſunt, magna copia concumulent (c). *Vis animatrix*, inquit HAMELIVS, *nimium efferueſcens non ſibi conſtat, ſed tumultuarium et fortuitum ſermonem male contexit. Et qui eiusmodi imaginatione pollent, iudicium interdum habent infirmum, nec rerum momenta, vt par eſt, examinant, rei, quam animo conceperunt, imagine deluſi.* Videtur hic defectus iudicii in Patribus: in TERTVLLIANO, qui, in Enthuſiaſmum MONTANI conſentiens, varia pro ſpiritualibus aduerſus pſychicos et orthodoxos volumina ſcripſit (d); in AVGVSTINO, omnes actiones forenſes damnante (e); in ORIGENE Matth. 19, 11. 12. ſecundum literam accipiente, vt ſiue ferro ſiue pharmaco ſe ipſum caſtrauerit (f); in IVSTINO et CLEM. *Alexandrino*, gentilium Philoſophis moratioribus beatitudinem tribuentibus (g); in DIONYSIO *Areopagita* (h) caeterisque ſic dictis Myſticis, varia inconſide-

c) Errantium κριτήριον eſt, vbi pondere non posſunt, argumentorum pugnare numero, vt ſi non posſint valere, quia magna ſunt, valeant, quia multa ſunt.

d) *de corpore animato*, *c. V.* §. 10. WERENFELS. *Orat. de meteoris orat. p.* 297. conf. ITTIGII *Diſſ. de Haereſiarchis Sec. II. c.* 13. §. 27. *p.* 258.

e) *in Pſalm. CVIII. Ezech. LXXVIII.*

f) Autor tamen *Demonſtrat. allegor. hiſtor.* Groningae 1690. *p.* 9. fabulam eſſe ſcribit, acceptam haud dubie referendam DEMETRIO, Epiſc. Alexandrino.

g) IVSTINVS in *Apol. ad Antoninum Pium*, CLEMENS *Alexandr. lib.* 4. *Strom. p.* 636. *lib.* 7. *Strom. p.* 710. quanquam NOURRIVS in *appar. p.* 1110. *ſſ.* eum vindicet, quod de vera Philoſophia loquatur, quae ab Hebraeis in gentiles deriuata ſit, et de iuſtificatione inſufficiente ac morali.

h) Sed Pſeudonymo, cuius ſub larua latitat forte APOLLINARIS, qui plura alia ſcripta ſuppoſuit, teſte LEONTIO *de Sectis Act.* 8. *p.* 527. et ſub nominibus GREGORII *Thaumaturgi*, ATHANASII, IVLII Papae euulgauit. Conf. CAVEI *Antiqu. Patrum.*

Digitized by Google

ſiderate de angelis, animarum origine, impletione legis et perfectione, de ἀπαθείᾳ ſtoica et maiore ſpiritualitate, de identitate diuinae et humanae ſubſtantiae ſcribentibus.

§. XI.

Quem iudicii defectum ex exemplis quibusdam in Patribus vidimus, eundem porro in haereticis primitiuae Eccleſiae commonſtrabimus. Variae ſolent haereſium cauſae aſſignari, de quibus varii ſcripſere (a). Hic praeter abuſum Philoſophiae (b) ignorantiam eiusdem non exiguam errorum cauſam dabimus. Eumque in finem primo loco allegatum a CORNELIO MARTINI (c) exemplum afferemus. Poſtquam ille docuerat, niſi contradictorie oppoſita ſit theſis et antitheſis, totam diſputationem ineptam eſſe, dicit. Apud AVGVSTINVM *lib. de haereſ. Coluthiani* docent, nullius mali autorem eſſe Deum; *Floriani*, quorum ſtatim poſtea mentionem facit, contra nituntur efficere, omnis mali autorem

a) Conf. D. ZELTNERI Prof. Altorf. *diſſ.* 2. *de eloquentia haereſium obſtetrice*, CLERICI Tr. *de incredulitate*, HICKMANNI et SIM. FORD *diſſert. de origine haereſium et ambitione ſacra*, OSTERWALD *Traité des ſources de la corruption*, LOCKIVS *lib.* 4. *de intellectu hum. c.* 20. IO. EDWARD *de veritate et errore*, ANON. *de Philautiae Sophismatibus*. Adde haereſium deſcript. in IGNATII *epiſt. ad Epheſios*, §. 9. *p.* 179. edit. *Ittig.* et *epiſt. ad Magneſ.* §. 9. *p.* 209. *ad Trallianos*, §. 6. *p.* 249.

b) Hunc abuſum Patres paſſim obſeruant, et TERTVLL. grauiter *lib. de praeſcr. adu. haeret. c.* 7. 8. ſcribit: *Quid Athenis et Hieroſol. quid academiae et eccleſiae? quid haereticis et chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt. Viderint, qui Stoicum et Platonicum et Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.* De Gnoſticis vid. HAMMONDVM in 1 *Tim.* 1, 5. *p.* 268. et *in Col.* 2, 18. de Valentinianis GERH. LORICHIVM in ARNOLDI *H. E. ſupplem. p.* 13. *ſſ.* etc. de Manichaeis cum Stoicis collatis inſignem locum HIERON. *ep. ad Marcellinum et Anapſychiam*, item cit. D. BVDDEVM in *Anal. Hiſt. Philoſ. p.* 170.

c) *Analytic. p.* 33.

torem eſſe Deum. Qui quoties concurrunt, magna Logices inſcitia colliduntur. Malum enim duplex eſt, aliud culpae, aliud poenae. Nullius autem culpae mali autor eſt Dominus. *Non enim Deus volens iniquitatem tu es.* Malum autem poenae, quod ob admiſſa peccata generi humano immittitur, omnino eſt a Deo, Eſa. 45. *Ego Dominus, neque alius, ego, qui formo lucem et tenebras, faciens pacem et creans malum.* Amos 3. *An erit malum in ciuitate, et Dominus non efficiet illud?* Nullum igitur malum eſſe a Deo, falſum eſt, cum malum poenae ſit a Deo. Omne quoque malum eſſe a Deo, falſum eſt, cum malum culpae non ſit. Sed quae inter duas haſce intercedunt mediae? Aliquod malum (ſc. poenae) eſt a Deo; aliquod malum, ſcilicet culpae, non eſt a Deo.

§. XII.

Merito etiam damnati ſunt Sec. III. PRAXEAS, NOËTVS et SABELLIVS, qui docuerunt, in Trinitate non eſſe tres diſtinctas perſonas, ſed tria ſaltem nomina vnius eiuſdemque perſonae, quae alio atque alio reſpectu nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus S. appelletur. Neque enim illi rectae rationis vſum in lectione Scripturae S. adhibebant. Facile enim videre potuiſſent, dum in eadem vel duae vel tres perſonae per oppoſitas relationes reales, inter ſe conferuntur, neceſſe eſſe etiam, realem inter illas diſtinctionem ſtatuere, niſi manifeſta admittatur contradictio. Filius appellatur *genitus* Ioh. 1, 14. *vnigenitus* v. 18. c. 3, 16. Spiritus S. *miſſus a Patre et Filio* c. 15, 26. *gignens* igitur et *genitus* proprie longe aliter inter ſe differunt ac duo attributa, et qui miſſus eſt, diſtinctus ſit oportet a mittente. Ipſa vocabula Patris, Filii et Spiritus S. iuxta principia logica diſtinctionem illam indicant, arguente ſcilicet illam doctrinam relatorum, e quibus vnum reſpectum habet ad aliud, et quidem a ſe diuerſum: neque enim poteſt fieri, vt idem ſit Pater, qui Filius, idem Pater et Filius, qui Spiritus S. Quam vero in voce *vnigenitus* fallaciam Eccleſiae obtrudebat EVNOMIVS, quaſi μονογενὴς tantum eſſet παρὰ μόνȣ genitus ab vno vel ſolo Patre, eam BASILIVS (a) tanquam rectae rationi com-

a) cit. PEARSONIO in *Symb. Apoſtol. p.* 245.

Digitized by Google

contrariam detegit et refellit, primum ex ſtylo Scripturae vſuque communi, deinde κατ' ἄνθρωπον ex ſententia haereſi illi propria, quae ſtatuerat, Filium Dei aeque poſſe vocari κτισθέντα ac γεννηθέντα, et per conſequens aeque poſſe vocari μονοκτιστον ac μονογενῆ: tandem per inſtantiam oſtendens huius interpretationis obſcuritatem.

§. XIII.

Similem ἀῤῥωστίαν committebant NESTORIVS et EVTYCHES, quorum ille colligebat: *Si duae ſunt naturae, duae quoque perſonae.* Alter rudior, nimio in NESTORIVM zelo accenſus, ſed eo non ſecundum ſcientiam, colligebat: *Si vna perſona, vna quoque natura.* Vterque propoſitionem aliquam ponebat; ſed ex antecedente, quae vera erat, falſum inferebat conſequens. Praelucere ipſis poterat myſterium Trinitatis, quod vterque ſeruabat integrum. Admiſſo autem hoc, nulla erat difficultas, admittere myſterium incarnationis, licet oppoſito modo ſe habeant. Quemadmodum enim in Trinitate vna infinita eſſentia ſubſiſtere poteſt tribus perſonalitatibus: ita in myſterio incarnationis vna infinita perſonalitas terminare poteſt hypoſtatice duas eſſentias. Quod valet in vno ſimilium, quatenus ſunt ſimilia, valet etiam in altero et reliquis, Axioma Logicum habet. Cauſa vero falſae illationis erat, quod ſtatuerent, pro ratione naturae ſe habere etiam perſonam et vice verſa. Contrario enim anima noſtra argumento eſſe poterat, quae ſubſiſtentiam propriam habet ſoluto corpore ſiue in ſtatu ſeparato, vbi per ſe vltimo ſubſiſtit et peculiarem perſonam conſtituit, non minus ac quilibet Angelus. Quam diu autem corpori coniuncta eſt, impeditur eius propria hypoſtaſis, vt non per ſe vltimo, ſed ſubſiſtentia compoſiti ſubſiſtat, nec adeo in ſtatu illo coniuncto perſona ſit, ſed natura tantum. Quos EVTYCHES quoque vnionis modos ponebat, ii omnes ſanae rationi contrarii, abſurditatem produnt. Quid enim abſurdum magis, quam ſtatuere conuerſionem Deitatis in carnem? Iac. 1, 7. Quis vero rationis compos ex eo, quod *Verbum caro factum eſt*, Ioh. 1, 14. conuerſionem vellet arguere? cum aliquid fieri alterum, non neceſſario importet conuerſionem vnius

in aliud, ſed ſaepius acceſſionem alterius. Imo ſaepe ſubſtantiua ſunt, quae naturam induunt adiectiuorum et modo eorum ſignificant quaſi formam adiacentem, e. g. *Deus eſt homo*, i. e. perſona habens diuinitatem eſt perſona habens humanitatem. Si autem in illa propoſitione *Deus eſt homo* ſumerentur ſubſtantiue, ita vt ſignificarentur diuinitas et humanitas, falſum hoc eſſe. Inconuertibiliter autem conuerſum eſſe, ſibilo digna eſt contradictio in adiecto (a). Similis eſt abſurditas fictae mixtionis naturarum. Cum enim anima et corpus inter ſe iuncta proprietates ſuas retineant ſaluas, iisque diſtinguantur: quae abſona peruerſitas eſt, diuinitati et humanitati in Chriſto vnitis diſtinctionem adimere propriorum, perque hoc eas confuſioni ſubiicere? Nihilominus, vtvt errores illi rectae rationis principiis deſtituantur (b), Neſtorianos quintuplo plures adhuc ſupereſſe, quam Pontificios

a) THEODOR. *lib.* 4. *haer. fab.* *καταγέλαστον λόγον* vocat.

b) Autor tamen nouellus, nobilis Pontificius, Tr. German. *Abris der wahren und gantzen Catholiſchen Kirche*, *p.* 46. NESTORIVM excuſat ob ſeqq. rationes: quod in Concilio Epheſino hoſtes ſuos habuerit iudices, nec recte ſententia eius fuerit examinata, multaque ipſi afflicta, vti ex collatione EVAGRII *lib. I. H. E. c.* 7. cum SOCRATE *Lib.* 7. *c.* 32. eluceat; imo doctrina eius Script. S. et vet. eccleſiae Patribus ſit conformis, oſtendente etiam RICHARDO SIMONIO *Hiſtoire Critique de la creance et des coutumes des Nations du Levante*, *c.* 7. *p.* 94. et conciliante CYRILLVM cum NESTORIO; denique non adeo abſurda etiam aut rationi, vt videtur, contraria. Cum enim natura non ſit ſubſtantia complete, incommunicabiliter ac vltimo ſubſiſtens, nihilominus tamen in Chriſto vna ſingularis ſit hypoſtaſis ex duabus conſtans naturis, ſequeretur, quod ille non ſit verus Deus et verus homo ſimul: ideoque cum NESTORIO ſtatuendum, diuinam naturam eſſe verum Deum et humanam verum hominem. Praeterea cum actiones ſint ſuppoſitorum, neque eae naturae conueniant, ſtatuendas quoque in Chriſto duas hypoſtaſes. Cui competit definitio, ei quoque competere definitum. A. humanae naturae competere definitionem hominis: E. et ſic de ſingularitate vel indiuidualitate nullum eſſet dubium. Eos vero, qui hic de abſtractis et concretis dicant, meros tantum conceptus mentis et entia rationis formare, quae in rebus ipſis efficere diſcrimen nequeant. Placet autem rationes haſce contrarias publicae ventilationi relinquere.

Digitized by Google

os, refert SANDIVS (c), et EVTYCHI primarii Orientis Epiſcopi addicti fuere, qui poſtea ſingularibus ſectis nomen dederunt (d).

§. XIV.

Ariani veteres, quos hodie noui ſequuntur, in neganda diuinitate Chriſti hoc vtebantur principio: *Quod ab alio eſt, poſterius eſt illo.* Subſumunt: *Filius eſt a Patre, ergo eo eſt poſterior.* Videtur quidem argumentum hoc in forma legitimum eſſe; ſed in materia tamen eſt vitium: quod maiorem perluſtranti manifeſtum euadit, idemque Patres quoque antiqui viderunt. Nec enim principium allatum vniuerſale eſt, vt ex naturalibus apparet. Lux eſt a ſole, et riuus a fonte; nec tamen lux a ſole, aut riuus fonte tempore poſterior eſt. Splendor ignis ab igne eſt; nec tamen tempore poſterior eſt. Accidens eſt ab et in ſubſtantia, nec tamen id eo tempore poſterius. Addit CORN. MARTINI (a), non eſſe de ratione, ſiue de natura rei illius, quae ab alio eſt, vt poſterior illa ſit tempore, a qua ſit. Sed haec eius eſt ſiue ratio ſiue conditio, videlicet vt non exiſtat, niſi ex vi alterius ſiue vt ex alio naturae quodam ordine conſequatur. Lumen igitur ſolis naturae quidem ordine ipſo ſole eſt poſterius, nequaquam autem tempore. Et quid multa? omnia propria in et a ſpecificis ſuis ſubiectis ſunt, nec tamen vel vnum illorum ſubiecto poſterius eſt tempore, imo eſſe nequit. Non enim ſine contradictione in adiecto id quisquam asſerere posſit. Fallaci igitur principio ſe opinionemque ſuam fulciunt, idque in re tam graui. Quod nobis magno erit exemplo, ne, quod toties monuimus, reſolutionem hanc materialem negligenter tractemus. Porro argumentabantur ex Ioh. 17, 3. *haec eſt vita aeterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum:* excludi ibi per particulam *ſo-*

c) *Hiſt. Ecclеſ. nucleo p.* 119.

d) de quibus fuſius *Centuriat. Magdeb. Cent. VII. c. V.* HIER. ZANCHIVS *lib.* 2. *de incarn. c.* 1. *p.* 70. *ſſ.*

a) conf. *Analyticam*, *p.* 288.

lus Filium et Spiritum S. ſed plane contra ſanum iudicium Logicum; ſecundum quod recte rem iudicantibus, ſtatim abſurdum occurrit, excludere velle quidpiam a communione praedicati, quod cum eo communionem habet, illudque vere participat. Ex. gr. ſi quis dixerit, hoc ſolum genuinum eſt Mithridaticum, non tamen eo ipſo ſtatim negat, aliud genuinum reperiri. Quin in loco Ioh. 17. particula *ſolus* non ad ſubiectum *Te*, ſed ad praedicatum *verum Deum* pertinet, (non legitur ibi σὲ μόνον τὸν ἀληθινὸν, ſed σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν) neque opponitur homogeneis, ſed heterogeneis, creaturis ſaltim et fictitiis diis. Et ſic non prohibetur, quo minus etiam Filius et Spiritus S. ſit verus Deus (b).

§. XV.

Quam grauiter quoque *Manichaei* in rectam rationem iniurii fuerint, quanquam ex pluribus aliis quidem poſſimus, tamen hic potiſſimum ex vnico errore commonſtrabimus, quo Euangelium eſſe contrarium Legi exiſtimabant, idque exemplis quibusdam Scripturae S. oſtendere conabantur, quae AVGVSTINVS (a) ex ſententia ADAMANTII non modo allegat, ſed et refellit. Ex. gr. dicebant, eſſe contraria ſiue repugnantia:

1) Gen. 1. *Deus fecit coelum et terram*, et Ioh. 1. *per Verbum*, i. e. Chriſtum, *facta eſſe omnia.*

2) *Deus quieuit die ſeptimo*, Gen. 2, 2. et Ioh. 5. *Pater meus vsque nunc operatur.*

3) *Homo factus ad ſimilitudinem Dei*, et Ioh. 8. *Vos ex patre Diabolo eſtis.*

4) *Deus zelotes* Exod. 20. et *miſericors ac benignus* Matth. 5.

5) *Oculus pro oculo* Exod. 21. *Ego autem dico, non reſiſtite malo* Matth. 5.

6) De-

b) conf. IAC. SAVRII *Syntagm. Logic. p.* 293.

a) contra ADAMANTIVM, Manichaei diſcip. adde REINHARTI *arma victricia primitiuae eccleſiae*, p. 30.

Digitized by Google

6) *Deus apparuit Patriarchis*, ſed Ioh. 1. *nemo vidit Patrem vnquam, niſi Filius. Deum habitare lucem inacceſſibilem*, et tamen *coelum Dei ſedes ac terra ſcabellum* dicitur.

7) *Secundum deſiderium tuum manduca carnem*, et Luc. 21. *ne grauentur corda veſtra cruditate et vinolentia.* Rom. 14. *Bonum eſt, non manducare carnem nec bibere vinum;* et 1 Cor. 10. *Non poteſtis menſae Domini communicare et menſae daemonum.*

8) *Separate ab immundo mundum*, et Matth. 15. *Nihil coinquinat hominem.*

Alia abſurdiora ſicco pede praetereo, quae omnia AVGVSTINVS manifeſtae ſtupiditatis arguit. Et recte quidem. Neque enim illi haeretici de tot repugnantiis hic cogitaſſent, ſiquidem inſtructi fuiſſent iudicio Logico, quo repugnantia et contraria dicuntur ſecundum idem, eodem reſpectu ac tempore, item ſimpliciter, ſub eodem genere maxime diſtantia ac per vices, mutuo etiam ſe expellentia; niſi alterum inſit a natura. Id quod ſingula ſecundum has obſeruationes rectius penſitanti vel primo apparet intuitu, adeo vt prolixiori explanatione opus non ſit.

§. XVI.

Inter alia, quae ex parte Sophiſtices iam olim deſiderauit in augmentum Logices plenius deducenda FRANCISCVS BACO DE VERVLAMIO (a), ſunt elenchi imaginum ſiue idolorum, quorum ille quatuor conſtituit genera, *idola tribus, ſpecus, fori* et *theatri* (b). Placet hac vice ex generibus illis idolorum, quae *ſpecus* vocantur, partem aliquam conſiderationi noſtrae ſubiicere.

a) *lib. 5. de augmentis ſcientiarum c. 4.* in *nouo organo lib. I. aphor. 39. ſſ.*

b) *Idola tribus* vocat, quae fundata ſunt in natura humana atque in ipſa tribu ſiue gente hominum. *Idola fori*, ex contractu et ſocietate generis humani orta. *Idola theatri*, quae immigrarunt in animos hominum ex diuerſis dogmatibus Philoſophiae ac etiam ex peruerſis legibus demonſtrationum etc.

Digitized by Google

Habet enim vnusquisque ſpecum ſiue cauernam quandam indiuiduam, quae lumen naturae frangit et corrumpit, ob varia concepta animo praeiudicia. Et referri huc poſſunt, quae oriuntur propter differentias impreſſionum, i. e. affectuum, quorum ſaepe tanta vis eſt, vt in animo omnia turbare queant, atque intellectui nebulas offundant, vt lucem veritatis non videat, ſed falſis ludatur ratiociniis. Sic philautia (c) cum primis affectus maxime noxius eſt, mentem obcoecat, et in cauſa eſt, vt magni facientes omnia, quae ſua ſunt, tandem aliena contemptui habentes, male, quid iuſtum, bonum et pulchrum, diſcernere queant (d); cuncta decernant ex generaliſſimo illo principio: rationem a ſe ſtare, ſibi ipſam veritatem perſpectam eſſe, ideoque concludant ſtatim, omnes alios, qui diuerſum ſentiunt, decipi, parum vero ſolliciti ſint de ſententia ſolidis rationibus probanda, ſed omnia autoritate ſtabilire cupiant; quia autoritatem in ſe nunquam a ratione diſtinguunt, et e contra rationes aliorum in oppoſitum allatas negligunt. *Idola ſpecus* illius plane ἄλογα in haereticis luculenter apparent. Gnoſtici cauſam impellentem haereſeos ſuae habebant perſuaſionem nimiae ſcientiae et curioſitatis, qua ſub occaſione agnitionis oſtendere conati ſunt altius et maius quiddam, quam eum Deum, qui coelum et terram feciſſet. Hinc neſcio quos *Aeonas*, *pleroma*, *marem* et alia, tanquam ſublime quiddam, venditarunt (e), proprio ſenſu ſacras Scripturas exponebant

c) Illam intelligimus, quae intra cancellos debitos non continetur; cum alias aliqua multis in caſibus neceſſaria, nec mala ſit, quam homines iudicio praecipites, contra Matth. 7. pro vitio habent et proximum ſua cum culpa criminantur, de qua vide SALDENVM in *Otiis Theol. lib. I. exercit.* 3. §. 7. *ſſ.*

d) Exemplum notatu dignum habemus in LAVRENTIO VALLA, qui omnium aetatum homines doctiſſimos prae ſe contemnebat; contra HIERONYMVM librum edidiſſe fertur, et audaciam miranti ANTONIO *Panormitae*, in ipſum quoque Chriſtum ſe ſpicula quaedam habere, dicebat. POGGIVS *Florent.* in 2. *inuect.*

e) conf. IRENAEVS *adu. haeret. lib.* 1. *c.* 5. vbi etiam VALENTINI et alterius, quem EPIPHANIVS EPIPHANEM vocat, meminit, *c.* 8. de MARCO, qui perſuadere volebat, vt totos ſe ad eum conuerterent, velut ad hominem ſingulari ſcientia praeditum, *c.* 9. *c.* 16.

nebant (f). Cuius exemplum plane ridiculum habetur in BASILIDE, qui verba Pauli: *Ego autem mortuus ſum*, Rom. 7. de transmigratione animae Pythagorica expoſuit. Tres fingebant hominum ordines, interque eos, praeter animalem et materialem, etiam ſpiritualem, in quo nullo labore opus ſit, niſi ſola cognitione et myſteriis, et qui neceſſario ſaluetur, quicquid tandem fecerit. Dicta Pauli Apoſtoli elegantioribus verbis exprimere et corrigere ſtudebant (g); per literas conſtituere hypotheſes ſuas conabantur (h), atque aliam veritatis formam delineare: *caput* eius ſurſum Α et Ω, *collum* Β et Υ, *humeros* vna cum *manibus* Γ et Χ, *pectus* Δ et Φ, *diaphragma* Ε et Τ, *dorſum* Ζ et Τ, *ventrem* Η et Σ, *femora* Θ et Ρ, *genua* Ι et Π, *tibias* Κ et Ο, *crura* Λ et Ξ, *pedes* Μ et Ν. Se ipſos perfectos cenſeri et ſolos ſapientes audari volebant (i). *Date operam*, dicebant, *vt omnia cognoſcatis, nemo vero vos agnoſcat* (k).

§. XVIII.

Satis igitur ex his, quod defectu iudicii manifeſto ſaepe laborarint haeretici, apparet. Quin in omni haereſi ſemper eſt ali- quis

f) Vti SEVERVS et TATIANVS. De BASILIDE fragmentum aliquod exhibet ORIGENES *lib. V. Comm. in ep. ad Rom. c. 5.* IRENAEVS *lib. 2. c. 58.* ex iisque GRABIVS *Spicil. SS. Patrum et haeret. ſec. I. et II. poſt C. N.*

g) EVSEBIVS *Hiſtoriae Eccleſ. lib. 4. c. 29.*

h) IRENAEVS *lib. I. c. 10.*

i) Cuius philautiae luculentum ſane exemplum in antiquitate eccleſiaſtica exhibet PAVLVS *Samoſatenus*, qui tribunal et ſublimem thronum in eccleſia ſibi conſtrui curauit, femur manu percutere et tribunal pedibus pulſare ſolitus, eos, qui non laudarent, nec, vt in theatris fieri ſolet, oraria concuterent, exclamarent atque exſilirent, increpans; alios doctores petulanter in concione lacerans, de ſe autem magnifice diſſerens; quin etiam Pſalmos, in honorem Chriſti cani ſolitos, aboleuit, aliosque ſibi magno Paſchatos die a mulieribus ad ſui ipſius laudem cani iuſſit, referente EVSEBIO *Hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 30. p. 280.* VALENTINVM epiſcopatu, ad quem aſpirauerat, deſtitutum, ideoque typho quodam zeli inflatum, refert TERTVLLIANVS *adu. Valentin. c. 4. n. 27.*

k) ap. EPIPH. *adu. haeret. lib. I. Tom. 2. haer. 4. ſ. 24.*

Digitized by Google

quis defectus iudicii et coecus plane ſtupor ex occulto aliquo Dei iudicio; cum exteriora alias videantur primo obtutui ſatis optima (a). Sed et ſcriptores eccleſiaſticos hoc defectu laboraſſe oſtendimus. Vtroque exemplo commonemur, non negligere diſciplinas, diuina prouidentia conceſſas, quibus iudicium noſtrum formetur rectius, imo partem hanc imaginis diuinae, nimirum rectam rationem, eamque in diuinis maxime ſanctificatam, vbi opus eſt, adhibere; eumque in finem a praeiudiciis animum liberare, errores facile obuios cauere, et in rectam ſemper viam deflectere. Quid? quo pacto fieri debeat, hic quidem breuiter declarandi et errorum remedia ſuppeditandi locus et occaſio eſſet; ſed ratio temporis ea diducere hac vice non permittit. Commendamus interim *librum* ſingularem *de humanae rationis imbecillitate, ea vnde proueniat, et illi, quomodo poſſumus mederi*, autore GEORGIO MAKENZIO, Traiecti ad Rhenum a Cl. GRAEVIO, Ienae a Cl. GROPHIO et Altdorffii a Cl. ROTENBECCIO recuſum.

a) Haereſis docta eſt, inquit CHRYSOSTOMVS *hom. 66. in Ioh.* mentiri non lingua tantum, ſed et vita, quamuis nec vita bona cum praua doctrina, nec doctrina bona cum praua vita quicquam poſſit. AVGVSTINVS Manichaeis vitam caſtam et memorabilis continentiae imaginem tribuit. BASILIVS Arianis ob fictam ſanctimoniam fidem habitum eſſe memorat. Idemque de Pelagianis refert HIERONYMVS *Tom. 2. l. 3. adu. Pelag. p. 308.* conf. VOSSII *Hiſtoriam Pelag. lib. I. c. 3.*

V. HER-

Digitized by Google

V.

HERMANNI VON DER HARDT,

LINGV. ORIENT. OLIM IN ACADEMIA IVLIA PROF. PVBL. ORD. ET PRAEPOSITI MARIAEMONTANI,

EXEGESIS

LOCORVM DIFFICILIORVM QVATVOR EVANGELISTARVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM,

MOMENTA GENERALIA

AD ILLVSTRANDAM NOVI TESTAMENTI EXEGESIN NECESSARIA COMPLECTENS.

Cum in N. T. ſtatus et fortuna Eccleſiae in Oriente, ante vaſtationem Hieroſolymarum, deſcribatur, ante omnia probe meminiſſe oportet, quae illo tempore ſedes Eccleſiae et rerum in illa geſtarum extiterit. Eſt enim determinatio regionis et loci non ſolum ingens memoriae praeſidium, ſed et magnum rerum geſtarum lumen. Plurima enim actionum momenta pendent a conditione regionis et indole gentis. Quare lector mature animo ſuo illuc ſe conferat, vt praeſens in illa regione exiſtens, omnia dicta et facta praeſens audire et videre videatur, vt loquentium os, oculosque inſpiciat, vocem eorum ſonumque et tonum varium attendat, inſimul motum diuerſum corporis ſpectet. Ex quibus omnibus eorum animum, conſilia, affectus coram obſeruet atque colligat, ſibique tanto firmius imprimat, quanto propius adfuiſſe credatur. Ex qua viuidiori actionum obſeruatione oritur viuidior quoque et luculentior earum recenſio, explicatio atque illuſtratio ſeu exegeſis. Fuit autem praecipua ſedes Eccleſiae, rerumque et euentuum, de quibus in N. T. agitur, inter Iudaeos in Aſia et quidem in Palaeſtina. Huc ergo Lector animum transferat, in hac terra oculos mentemque circumferat, et quid ibi actum dicatur, conſideret. Poſthaec *ſumma* et *argumenti* in libris N. T. contenti vis praecognoſcenda: quia hoc Exegeſi magnam vbique affundit lucem. Eſt autem pondus argumenti in Nou. Teſt. libris comprehenſi ſerenitas conſcientiae aut tranquillitas animi, a Deo hominibus promiſſa et per Chriſtum collata: vt agatur de ſummo vitae praeſidio, de gratia Dei, quae in Chriſto omnia hominibus impertiatur bona huius et alterius vitae. Merumque proinde gaudium referunt et deſcribunt ſcriptores horum librorum. De partitione librorum in capita et verſus notandum quoque, Exegetam hic circumſpecte ſeſe gerere debere, ne illis diſtinctionibus

et

Digitized by Google

et ſignis lectionisve adminiculis, quibus nulla adeſt diuina autoritas, temere innitatur, neque temere ab illis abeat. Cum enim capita ante aliquot demum ſecula formata et poſtea numerata, verſiculi vero in Nouo Teſtamento poſt obitum demum Lutheri a ROBERTO STEPHANO inuenti et adhibiti ſint, tanta vbique in illa diſtinctione adhiberi non potuit cura et ἀκρίβεια, quin ſaepe autores laberentur. Relictum ergo hoc Exegetae induſtriae et prudentiae, ſcire et prouidere, quantum vbique his lectionis nouis adminiculis ſit tribuendum? an ferre, an mutare alicubi debeat?

Ad Matth. I, 2--18.

Genealogia iſthaec eſt fuſior explicatio et probatio verſiculi primi et generalis iſtius argumenti. De qua genealogia praeterea obſeruandum, quod per ſe quidem illa non fuiſſet opus; cum nobis ſufficiat noſſe, Ieſum, Dei Filium, hominem fuiſſe natum. Verum Matthaei conſilium attendendum, qui ſcribebat haec in Iudaea conuerſis Iudaeis. Horum igitur caeterorumque Iudaeorum captui et deſiderio ac ſpei debebat inſeruire, ſeque accommodare, vt tanto eſſent promtiores ad fidem amplectendam vel retinendam, quanto magis cum eorum votis res omnis conuenire deprehenderetur. Cum enim expectarent Meſſiam Iudaei, qui regnum teneret Iudaeorum, huic etiam infirmitati inſeruiendum vidit Deus. Quapropter regiam genealogiam et ſucceſſionem Regum, dum regno ſunt potiti, recenſet Matthaeus, et quod, regno ſublato, per genus in poſteris ius ſit translatum in Ieſum, ostendit. Interim quod illi de corporali, hic de ſpirituali regno intelligit. Quapropter etiam in genealogia vocantur *filii,* qui extiterunt *affines* vel *fratres,* qui in regno ſucceſſerunt. Stylus enim hic Iudaeorum vulgatus et conſuetus; cum ſucceſſio habeatur pro generatione. Similiter ob eandem rationem omittuntur quidam ex maioribus, qui vel non adeo inclaruerant in regno, vel macula affecti erant. Vt *filius* in catalogo appelletur, etſi *nepos* fuerit vel *abnepos.* Cum non tam genus merum et nudum, quam in genere ſucceſſio et ius in regnum attendatur. Sic adeo more Iudaeorum conſueto in ſimilibus familiarum recenſionibus, certae claſſes aut interualla

pro

pro diuerſitate fatorum recenſentur, omiſſis quibusdam ignobilioribus membris, vt numerus fiat rotundus memoriae gratia. Cum ergo libri genealogici Regum publice asſeruarentur in Republica Iudaica, ad integritatem familiarum demonſtrandam, et ius ſucceſſionis asſerendum: morem recenſionis imitatur Matthaeus, vt tanto fortius animos Iudaeorum teneat, et ad fidem Ieſu inuitet.

Ad verſ. 18.

Dum natiuitatis modus deſcribitur, miranda ſimul Dei ſapientia in hoc opere indigitatur. Cum enim Deus ex virgine naſci voluerit Ieſum, curat, vt futura mater futuro cuipiam marito mature primum deſponſetur. Quo ipſo ſanctiſſimus et ſapientiſſimus Deus praecauere et auertere voluit varia incommoda, tum ex iniquo rumore populi, tum ex iniuſta publica cenſura, quam femina non facile effugiat, oritura. Nec enim fuiſſet, qui curam et matris et filii gereret, tum in partu, tum in vindicando et defendendo vtroque, tum educando recte filio. Mature igitur proſpexit Deus matri et filio, dum deſponſari eam prius voluit, vt praeſidium aliquod exiſteret vitae vtriusque. Etſi enim Deus miraculoſe tueri et ſeruare famam et vitam potuiſſet, noluit tamen a communi medio hac in re abire, ſed externarum rerum curam per homines alios geri permiſit. Sed maior mox diuinae prouidentiae et ſapientiae ſpecies hic elucet. Cum enim deſponſata eſſet Maria, et a Deo futura Ieſu mater deſtinata, ſtatim, poſtquam ab Angelo Mariae res eſſet nunciata, Maria abstrahitur a Ioſepho, ne eam domum ducat, vt ab eo immunis ſeruetur. Auocatur autem ab eo, dum ab Angelo tacite ad Eliſabetham cognatam ex Galilaea in Iudaeam ire iubetur. Abiit ergo illuc, ibique fere per tres menſes a futuro, deſponſato tamen marito abstracta haeſit. Poſt tres igitur fere menſes, vt Lucas refert, reuerſa domum, ex Iudaea in Galilaeam Nazarethum, nondum ſtatim a Ioſepho domum ducitur. Lex enim Iudaeorum eſt, ſi ſponſa vel vxor peregre a marito abierit, maritum expectare, dum tres menſes ſint elapſi, vt experiatur, an grauida ſit, an integra? Ioſephus ergo ex lege Iudaeorum expectat, ne domum reuerſam ſtatim ducat. Finitis itaque

itaque tribus menſibus, Mariam grauidam animaduertit. Atque ita Deus ſingulari prouidentia iterum cauit, dum tamdiu Mariam a marito abſtraxit, vt ab illo maneret illibata et intacta, dum etiam per legem ciuilem Iudaeorum reuerſam a Ioſepho porro auocauit aut retinuit, vsque dum grauidam agnoſceret, adeoque porro abſtineret. Ioſephi conditio et fortuna externa non expreſſe refertur. Interim a Iudaeis Nazarethanis Matth. XIII, v. 55. appellatur ὁ τέκτων, dum Chriſtus dicitur ὁ τοῦ τέκτονος υἱός. Eſt autem vox generalis, quae *artificem* notat: vt ex ea munus et vitae ſtatus diſtincte agnoſci et determinari per ſe non poſſit. Neque ergo *fabrum* fuiſſe *lignarium*, etſi ex longa traditione communiter cenſeatur, exinde certo colligi aut probari poteſt. Quin potius ſi antiquum Iudaeorum ſtylum attendamus, aliam vim vocis deprehendemus. נַגָּר et בַּר נַגָּר *artifex* et *filius artificis*, appellatur a Iudaeis *vir prudens, ciuilium rerum peritus*, qui ex profeſſo ſacris non ſit deditus, ſed rerum ciuilium curam habeat. Vt idem ſit ac חָכָם *ſapiens, vir prudens*, ein Weltmann, *politicus*, bono ſenſu. Sicuti aperte in Thalmude libr. *Avoda Sara* c. IV. fol. 50. videre eſt, et RASCHI in gloſſa clare ita explicat. Conf. שבת, c. I. fol. יא c. 2. Qui in משנה dictus לבלר *libellarius, ſcriba*, in גמרא explicando vocatur נגר. Vid. BARTENORA in h. l. *Aruch* ſub rad. נגר, et BVXT. in *Lex. Thalm.* rad. נגר. Conf. formula, eruditorum titulus, חכם חרשים, de Ioſippo, ABARB. *Maj. Hajeſch.* f. סח. c. 2. m. Vt ex ſtylo Iudaeorum Ioſeph fuerit *vir prudens* et *politiae peritus*, qui non omni in populo caruerit autoritate, nec infimae ſortis homo, ſed ſpectatus et honoratus inter Iudaeos; etſi non eſſet ex clero aut ſacerdotio addictus, qui ſacra ex profeſſo tractaſſet. Vnde mirantur Nazarethani Ieſum, qui in Synagoga habeat conciones ſacras, parente vſus homine politico, ſacris non addicto. Sicuti etiam alibi Marc. VI, 3. a Iudaeis ipſe Chriſtus dicitur τέκτων, eodem ſenſu, quod a parente, in ciuilibus rebus gerendis ac gubernandis occupato, inſtructus Ieſus et ſimilis factus viſus eſſet rerum ciuilium cultor. Vnde haerent dubii, qui fiat, quod is ſacra iam tractet, ciuilibus relictis, et illa tam egregie et tanta cum virtute conficere poſſit: vt ex *Politico* ſit factus *Theologus*. Eaque conditio Ioſephi optime congruit cum actio-

Digitized by Google

actionibus eius in Scriptura relatis, quae virum prudentem, in negotiis ciuilibus recte inſtituendis ac componendis exercitatum, arguunt.

Ad verſ. 19.

Ioſephi animus et affectus depingitur in praeſenti negotio aliquot characteribus. Dicitur fuiſſe *vir iuſtus*, quod ex ſuperiore eius ſtatu et vitae genere vere confirmatur. Cum enim eſſet vir prudens, qui *iuris peritus*, ſciret, quid deceret, quid ſecus, qui non affectibus indulgeret coecis, ſed honeſtatem et vim legis maioris faceret, eam grauidam ferendam non eſſe vidit, quam nondum duxiſſet domum. Nouerat enim, in ciuilibus rebus expertus, maculam inuri indelebilem et viro et liberis ex vxore maculata. Eſſe vero in familia praecipuum decus et vitae praeſidium, integritatem nominis et familiae; dedecus vero et impedimentum maximum coniugii maculam. Sed et altera affectio animi, *benignitas* et *miſericordia*, regebatur *prudentia*. Maculam enim ſibi nihilominus inuri intelligebat, ſi ad ſupplicium raperet illam: propriae igitur famae ſeruandae cauſa maluit abſtinere. Vnde tandem prudens et aptum conſilium capit clam eam deſerendi, vt tegendo potius, quam diuulgando, euitaret et effugeret omnem maculam.

Ad verſ. 20.

Compellatio Angeli memorabilis eſt, dum appellat Ioſephum *filium David*, quod idem eſt ac *regni* Dauidici aut Iſraëlitici *haeredem:* ex quo apparet inexhauſta Dei ſapientia, dum, facta tali magni iuris commemoratione, animum Ioſephi emollire ac ad aſſumendum, educandumque Mariae filium, Meſſiam aut Iſraëlis Regem, deflectere allaborauit. Non enim cogit Deus mentes, ſed inuitat, pellicit et demulcet. Vtitur igitur modis et mediis ordinariis. Erat autem hoc argumentum aptiſſimum, quo animus Ioſephi teneri, ac in ſententiam deſideratam de aſſumenda Maria cum filio perduci poſſet. Qui enim audiret ac ad animum reuocaret, ſe habere ius in regnum, vi ſucceſſionis, filium quoque Mariae vxoris ſuae, a Deo deſtinatum regni dominum ac vindicem, ex ſua familia et domo tantum populi et

Digitized by Google

ſuum ipſius praeſidium oriturum, non facile videbatur reiecturus. Quanquam vero regnum Meſſiae non eſſet futurum temporale et terrenum; quia tamen animi Iudaeorum tenaciter illi ſpei et perſuaſioni inhaerebant, laetari quoque illa ſpe debebat tantisper Ioſephus, vt eſſet et Mariae et Ieſu patronus, vsque dum Ieſus educatus et adultus, praeſtare poſſet, ad quod erat miſſus. Haec ergo indulgentia eſt argumentum benignitatis ac humanitatis in Deo maximae, qui non ſolum ferre poſſit in homine infirmitates, ſed et illis ſanctiſſime vti et ad optimum finem deducere.

Ad verſ. 22. et 23.

De loco autem citato *Eſ. c. VII. v. 14.* cum fuſe egerint alii, legi poterit Diſſertatio SAVBERTI in *Palaeſtra Theologico-Philologica*, p. 130. et ſeqq. et fuſior multo enarratio Clariſſimi WAGENSEILII, quae habetur in *Telis igneis Satanae* p. 381. vsque ad pag. 453. Nos vnum ſolum addimus momentum. Sicut Propheta illuſtrem illum pollicebatur filii partum, ad Achas animandum in aduerſitatibus et obſidionibus hoſtium, in quibus certiſſima ſalus et praeſentiſſimum Dei auxilium ſeſe eſſent proditura: ita et nunc in illuſtriſſima impletione promiſſionis, Regi Achas olim datae, parem et meliorem ſalutem ac Dei auxilium imminere ſpondet Matthaeus. Vt quam certo olim Achaſo liberatio contigit a ſuis hoſtibus, tam indubitato etiam praeſens et illuſtrior liberatio ſit futura: vt propter incomparabilem ſalutem, per Ieſum reparandam, praeſentia Dei et benigniſſima eius erga homines et populum ſuum voluntas abunde ſit cognoſcenda, et multo glorioſius, quam olim in Achaſi liberatione. De variis modis, quibus in Nouo Teſt. aliquid dicitur *impletum*, ſi quis legere voluerit, videat laudatum WAGENSEILIVM in Mantiſſa ad *Tela ignea Satanae* p. 95. Poterit etiam cum fructu conferri peregregia Diſſertatio D. KESLERI de *dictorum V. T. in Nouo allegatione*, quae eſt ſubiuncta HACKSPANII *Syllogae Diſput. Theol. Philologic.* p. 563.

Ad verſ. 25.

Si verba ita connectantur in vna ſententia: ***Accepit ad ſe vxorem ſuam, nec cognouit eam***, finita hac ſententia per punctum

ctum ſubiunctum, inchoetur dein noua ſententia: *vsque dum pareret filium* etc. tunc exulant ſcrupuli, alias moueri ſoliti circa particulam *donec.* Nam ſic *donec* idem eſt, vt alias ſaepius, ac: *atque ita tandem*, ſic *donec* in initio periodi *certum* notat *euentum* rei alicuius, antea commemoratae, vel et nouae, vt idem ſit, ac: *Atque ita tandem* Chriſtus eſt natus, et res omnis a Maria et Ioſepho geſta, vt erant moniti.

Ad Matth. II, 1.

De *Magis* obſeruandum, quales fuerint viri. Ex Aſia aut Perſia vel Babylonia Philoſophos aut viros doctos fuiſſe, agnoſcunt praeſtantiſſimi Interpretes. Cum ergo eſſent et rerum ſacrarum et ciuilium atque naturalium periti, luce quadam aut ſtella ſunt commoti. An autem Iudaei, in Oriente magno adhuc numero viuentes, cum celeberrimae ibi eſſent Academiae, an gentiles fuerint, non definitur. Non prorſus improbabile eſt, Iudaeos fuiſſe doctos, ex vrbe aut Academia orientali celeberrima Pombeditana vel alia, vt Iudaeorum, hoc eſt, proprium, nouum ſuum Regem quaererent atque agnoſcerent. Quod et cum Dei prouidentia egregie conuenit, qui non ſolum Iudaeos in patria, terra ſancta, ſed et ceteros in diſperſione, in remotis regionibus, allicere et ad ſecuturum Euangelium mature inuitare voluerit. Sed qua luce fuerint ſuſcitati in Oriente et ad iter impulſi, ab omnibus quaeritur. Mirabilis Dei prouidentiae et gubernationis veſtigia vere agnoſci poſſunt, ſi hiſtoria et res ante aduentum Magorum geſta obſeruetur. Notum, quod nato Chriſto, nocte ingens lux in agris affulſerit paſtoribus, Angelis natiuitatem Ieſu nunciantibus. Splendidiſſima illa lux, quae colluſtrauit paſtores in agro, et res per angelos in illo ſplendore geſta, nunciata eſt Mariae et Ioſepho ab aduentantibus paſtoribus: vt innotuerit etiam vicinis, vel et cognatis Mariae, Eliſabethae, Zachariae et aliis, qui ex vicinia Hebron ad Mariam omnino aduolarunt, eique conſilio et auxilio adfuerunt. Mox dum puerulus a Maria et Ioſepho in Templum allatus eſt, res haec non potuit latere, quae tanto cum Angelorum apparatu erat inſtructa. Sed et tantus lucis coeleſtis et angelici fulgoris ſplendor, qui totum aërem illuſtrauit, non potuit non in remotiſſimis etiam videri Orientis regionibus,

nibus, in Aſſyria, Babylonia et in vicinis terris. Maxime vero docti, Philoſophi, Aſtronomi lucem extraordinariam in aëre viſam non ſolent negligere. Viderint ergo lucem eandem ſub coelo, quam viderant paſtores, et eodem tempore ac nocte. Haec ergo lux fulgidiſſima attentiſſimos maximeque ſollicitos reddit in Oriente viros doctos, quid ſibi vellet; vsque dum fama quoque ex Iudaea ad illos in Oriente, in Academias peruenit, hanc lucem nunciam fuiſſe nati Ieſu, noui Iudaeorum Regis: vt ſingulari hac cognita cauſa, tanto redderentur cupidiores, ad videndum et amplectendum natum hunc Iudaeorum Regem, tam illuſtri nuncio celebrem. Vt adeo lucem illam non propter ſolos paſtores ab Archangelis in Iudaea factam eſſe vere appareat, ſed et praecipue propter remotiores ac in aliis Regionibus in Oriente degentes. Dum ergo audiunt in Oriente, luce hac clariſſima nunciatum fuiſſe, quod lux Iudaeorum, Rex eorum aut Iudaicae gentis natus eſſet, vel ablegantur aliqui, vel ſponte iter ſuſcipiunt, ad recognoſcendam rem omnem. Cur autem lux illa viſa dicatur a Magis *ſtella*, dicemus mox ad verſ. 2. Concepta ergo ſpes de Iudaeorum Rege nato pertraxit hos viros doctos, legatos ad ſedem Regum Iudaicorum de domo Dauidis, Hieroſolymam. Etſi enim natum ſcirent, tamen vbi educaretur, ſcire certo non poterant, quod certius alibi ſe cognituros dubitabant, quam in ſede regia; maxime, ſi vel annus effluxit, antequam aduenirent ex Oriente Magi. Ex his ergo patet, quanta ſit Dei benignitas erga homines, et quanta fuerit erga Iudaeos, dum eos tam blande pellexit et ad Ieſum inuitauit, indulta etiam ſpe communi, vsque dum ex ipſo Ieſu adulto agnoſcerent veram ſpiritualis regni rationem.

Ad verſ. 2.

Sermo legatorum comprehendit finem aduentus, quod aduenerint quaeſitum et exceptum Regem Iudaeorum. Atque ita affectus illorum detegitur, quorum animus et deſiderium collimet in ſpem liberationis deſideratiſſimae. Vnde Iudaeos fuiſſe, haud omnino obſcurum eſt, qui ſpei ſuae certitudinem iam quaerunt. Quod autem *Regem Iudaeorum* appellent ipſi Iudaei, arguit odium aduerſus iugum et imperium hoſtile, dum ſub Romanis

manis et duris imperiis et Regibus aliis in toto orbe premerentur. Iudaeorum ergo ſiue proprium et genuinum totius gentis Iudaicae Regem expectant et quaerunt. Rationem aduentus et quaeſiti addunt, quod ſignum eius natiuitatis habeant. *Stellam* ſe vidiſſe aiunt eius, Iudaeorum Regis, h. e. qua eius natiuitas deſignata et palam ſit aperta, totique orbi publicata. Quo ipſo lucem iſtam, quae circa natiuitatem Chriſti affulſerat in agris, in Oriente quoque viſam indigitarunt, eamque *ſtellam* vocant, quod lux maxima in remota regione videatur minor et *ſtellae* haud abſimilis. Quod ergo lux iſta in Iudaea magna, in Oriente minor propter loci diſtantiam ſit viſa, *ſtellam* merito appellant legati. Vel etiam quod quaelibet lux, in aëre viſa, generali vocabulo *ſtella* appellari ſoleat, ex ſententia et conſuetudine vulgi. Denique ingens cupido aſpirandi et penetrandi ad libertatem et regnum Dauidis, omnes moleſtias longi itineris reddit leues. Deſiderium enim rei cognoſcendae vel obtinendae omnem laborem reddit leuem et facilem. Προσκυνεῖν eſt idem ac *ſalutare*, *teſtari obſeruantiam*, *gratulari*. Id quod fiebat ab Orientalibus propter calorem et aeſtum maiorem proſtrato plerumque corpore. Explicabant ergo legati ſuum ac ſuorum ſtudium et vota, qui toto gauderent pectore, eum natum, qui a iugo gentilium illos liberaret.

Ad verſ. 3.

Dum fama haec percrebuit de aduentu legatorum ex Oriente, turbatus eſt Rex Herodes, qui imperium in Iudaea tenebat. Ex qua conſternatione patet, opinionem Regis Herodis et eorum, qui rem diuulgauerant, fuiſſe de corporali et ciuili regno Iudaeorum reſtaurando, et de iugo Romano amouendo ac tollendo. Hac enim fama offenditur Herodes, qui de ſe et ſuo regno periculum fore augurabatur. Atque haec eſt offenſa regis eiusque ratio. Sed et tota Hieroſolyma commota per hosce Magos dicitur. Quo populi Iudaici genius depingitur, quod omnia ſua vota direxiſſent in regem nouum, qui eos a Romanorum poteſtate liberaret. Gaudium deinde publicum, ſubito conceptum ex hac fama, factam populi commotionem explicat. Non enim indignantium illa populi eſt commotio, ſed mirantium, exultan-

Digitized by Google

tium et ſibi gratulantium. Quae populi repentina laetitia ex nato Rege Iudaeorum contemtum Regis praeſentis, Herodis, et imperii Romani genuit, vt ſibi de mutatione regiminis imminente gratularentur, et Regi Romano mala quaevis praeſagirent; quin et durioribus, vt fit in plebe inſolente, non parcerent verbis. Vnde Herodis indignatio et ira magis accenditur, de qua in ſeqq.

Ad verſ. 5. et 6.

Primores Iudaeorum, in hac inquiſitione humanitate Regis ſiſi, ſua iura, quae haberi ſibi perſuadebant in regnum, non celarunt. Sic quod profunde in pectore latet, elici et efferri, et modo non aſpero, ſed blando alloquio extorqueri ſaepe poteſt. Si enim Herodes armis aut aſperitate mentes Iudaeorum ſtatim voluiſſet explorare, nihil impetraſſet a cautis, qui pertinaciter res ſuas celaſſent, metu quoque repreſſi. Multum ergo poteſt modus rem tractandi commodus. Accedit magna in Iudaeis cauſae et rei ſuae confidentia. Quoniam enim credebant, iuſtam ſe habere cauſam in hac inquiſitione, non negabant, de quo erant quaeſiti. Rotunde ergo edicebant et affirmabant. Animus enim rei veritate et cauſae iuſtitia nixus, erigitur, nec formidat aduerſa, ſed aperta fronte confidenter ſententiam expectat. Quapropter etiam definiti ac oſtenſi ſui iuris mox addunt fundamenta, dum prouocant ad iurium ſuorum fontes, ſcripturam, adeoque ad diuinum oraculum. Non enim ſatis eſt edicere ius; addenda iuris ratio. Non nude affirmandum, ſed iungenda aſſertioni probatio. De diuino hoc oraculo ex Micha egregie prae ceteris ſcripſerunt POKOCKIVS, Anglus, in *Porta* MOSIS MAIMONIDIS, et FRISCHMVTHIVS in peculiari Diſſertatione de *Harmonia Michae* cap. V, v. 1. *et Matth.* II, 6. qui et contradictionem apparentem inter verba Michae et Matthaei feliciter ſoluerunt. צָעִיר nempe apud Micham *magnum* notat, ex Arabica ſignificatione: id quod Matthaeus commode expreſſit per *minime paruum.* Etſi vero Iudaei ſacrum hoc eloquium ad conceptum ſuum ciuile regnum detorquerent, hoc tamen a Deo infirmis et opinione iſta faſcinatis tantisper indultum eſt, dum Ieſu educato veriora experirentur.

Ad

Ad verſ. 9.

Quin ſimilis ſplendor aut cometa fulſerit in aëre, qualis olim erat viſus nato Chriſto, a Deo ſuſcitatus, non eſt dubium. Quod in aëre lumen, cum ab iter facientibus conſpiceretur, tam diu in oculis eorum fuit, vsque dum attingerent Bethlehemum, in qua vrbe erat puerulus. Subſtitit autem ibidem ſuper illam vrbem ſplendor: quod idem eſt ac diutius non durauit, ſed tunc iterum euanuit aut disparuit.

Ad verſ. 11.

Ex hac re affectus Ioſephi apparet, qui maluit manere et educari puerulum in illo loco, vbi non tam homo, quam Rex natus eſſet. Omnis enim ſpes erat poſita in regnum. Affectus ergo et deſiderium regni eum tenuit Bethlehemi in ſede regia. Quanquam ergo cum Maria migraſſet, haud longe poſt partum, Hieroſolymam ad Templum, vt ſacrificia pro illa et puerulo, iuxta legem Moſis, offerrentur, vt Lucas memorat, reuerſi tamen ſunt Bethlehemum, non tam itineris longi in patriam, in Galilaeam, declinandi, quam ſpei aucupandae cauſa: ſiue Ioſephus ex ſe hoc conſilium ceperit; ſiue ſuggeſtum a Simeone, Zacharia et aliis cognatis ac regni deſiderati cupidis audiuerit ac probauerit. Etſi vero in textu non fiat mentio Ioſephi praeſentis, eum tamen adfuiſſe, patet ex ſequentibus, dum mox cum filiolo et matre in Aegyptum fugit. Sic etiam quin ſaepius Bethlehemum aduolauerint Zacharias ex Hebron, et alii ex vrbe Hieroſolymorum, qui regni erant cupidi, non eſt dubium. Dicuntur autem hi hoſpites deprehendiſſe puerulum et Mariam, quia hos quaerebant. Veneratio Magorum, dum more orientalium ſalutaturi puerum, Regem, maxime ſeſe in genua prouoluunt, et caput ad terram vsque inclinant, probat in illis cultum ciuilem. Veneratio enim et honor exhibitus non ſolum eſt amoris ac obſeruantiae ſymbolum, ſed et maioris amicitiae et gratiae vel parandae vel conſeruandae inſtrumentum. Mos etiam ſeruatur a Magis Orientalium, qui ſalutaturi alterum, praecipue ſuperiorem, munuſcula afferunt. Quae via eſt non ſolum teſtandi affectum erga eum, qui ſalutatur ac inuiſitur, ſed et

Digitized by Google

eius animum ac affectum occupandi et deliniendi. Definita illa munera partim faciunt ad vitam ſuſtinendam, vt aurum; partim ad ſuffitum faciendum et ſanitatem conſeruandam, vt thus et myrrhae. Haec ergo ſtatui matris et pueruli erant accommodata. Nummos dabant aut aes pro vita et victu, thus et myrrham pro ſanitate. Dabant ergo de illis, quae in ſuum vſum more ſolito adhibebant. Vita enim non eſt, etſi magna adſit opum et victus abundantia, ſi deſit ſanitas. Sanitatis igitur aequa habenda cura ac ſalutis. Neque vero parum ad ſanitatem confert thuris odor et myrrhae vſus.

Ad verſ. 14. et 15.

Sollicitudo Ioſephi apparet ex eo, quod certior factus de imminente periculo et de itinere, quod meditabatur, felici accepto augurio, non nectit moras. Nam in mora periculum. In Aegypto autem apud alios Iudaeos, quorum magnus ibi erat numerus, Ioſephum diuertiſſe probabile. Non autem altera die iter palam aggreditur, ſed prudenter aptum fugae quaerit praeſidium, noctem et tenebras: tum ne ceteri ciues fugam eius ſentirent vel et impedirent; tum ne via innoteſceret, adeoque fugae ſcopus et terminus pateſieret, vt inſequi eum poſſent aemuli. De hoc Ioſephi itinere in Aegyptum iudicium fert Euangeliſta, vt Dei prouidentiam hac in re illuſtret. Impletionem igitur hoc pacto factam ait dicti Hoſeani cap. XI, 1. *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Hoſeam autem deſcribere ingens Dei beneficium, populo Iudaico in Aegypto et in exitu exhibitum, manifeſtum eſt. Cum Iſrael, inquit Deus, adhuc puer, vel miſerrimae vel infimae conditionis eſſet in Aegypto, vt a Regibus Aegypti premeretur et ſeruiliter haberetur, tunc meum amorem, gratiam, miſericordiam ac prouidentiam abunde illis declaraui, dum e manibus hoſtium eos liberaui. Ex amore ergo erga Iſraëlem, tanquam parentis erga filium, ex miſeria Aegyptiaca liberaui Iſraëlem, filium meum a me nominatum et habitum, Exod. IV, 22. 23. Euangeliſta paritatem prouidentiae diuinae in populo Dei dilecto et hoc ſuo filio Ieſu declaraturus, id omnino nunc in Ieſu contigiſſe ait, quod etiam in populo Iſraëlis contigerat. Sicut enim Deus populum ſuum dilectum

in

in Aegypti carcere et in exilio haerentem vi prouidentiae ſuae liberaſſet: eodem plane modo Ieſum ob Herodis inſidias et iniurias in exilio hoc Aegyptiaco detentum, et ab hoc exilio diuina prouidentia tandem eſſe liberatum. Vt par fuerit fortuna Iſraëlis et huius infantis, quorum vtrique in Aegypto detenti, vtrique etiam diuina manu ſint liberati. Quae fortunae paritas *impletio* appellatur: vt idem ſit h. l. *impletum eſt*, ac, *idem factum eſt*, *idem contigit*, *ſimili modo ſe res habuit*. Neque particula *Vt*, ἵνα, notat *cauſam*: ideo Ieſum in Aegyptum fuiſſe deductum, *vt* in eo poſſet *impleri*; ſed exprimit *euentum*: *vt* adeo *impleretur* vel *fieret idem*, quod olim factum. Vt ſit vera *impletio*.

Ad verſ. 17. et 18.

Miſeriam iſtam publicam ex cruenta puerulorum caede ortam illuſtraturus Euangeliſta de magnitudine illius inter Iudaeos calamitatis locum adhibet Scripturae ex Ieremiae Cap. XXXI, 15. Propheta autem deplorat miſeriam populi Iſraëlitici ſub figura Rachelis, matris Beniamin. Populus enim in captiuitatem abductus, ab hoſte, Babyloniorum Rege, crudeliter tractabatur, vt non ſolum abiiſſe, ſed et exſpiraſſe videretur. Euangeliſta vero dicit, illas Prophetae lacrymas in hac caede ab Herode perpetrata omnino impletas: quod eſt, *parem fuiſſe deplorandam fortunam populi Iſraëlitici, olim a Rege Babyloniorum in exilium abducti, et nunc ab Herode preſſi ac tyrannice tractati*. Eſtque haec paritas fortunae *impletio*, dum idem contigit, quod olim: vt iisdem merito vti liceat verbis. Tanto autem aptius quadrat fatum priſtinum et locus Ieremiae ad praeſens infortunium, quanto concinnius verba conueniunt regioni, in qua praeſens infanticidium contigerat, nempe in tribubus Iudae et Beniamin.

Ad verſ. 20.

In *plurali numero* quod *mortui* dicantur tyranni, infantis hoſtes, affectum deſignat *inſultantis* ac *laetantis* ob aduerſantis poenam. Etſi enim *vnus* ſit, ob paritatem tamen poenae cum aliis, de vno tanquam de *pluribus* loquimur. Etſi probabile ſit,

collimatum quoque fuiſſe in caedem Antipatri, Herodis filii, quem quinque diebus ante obitum ſui interemerat pater, vtpote machinas in necem parentis molientem, vt potiretur regno. Quodſi enim et hic regno fuiſſet potitus, pares cum parente inſidias ſtruxiſſet infanti Ieſu, cuius nomen et vita ob ſpem regni ipſi ſudes fuiſſet in oculis. Breui ergo obierant duo hoſtes infantis, regni Iudaici vſurpatores. Hoc erat peruulgatum, nec Ioſephum in Aegypto latere poterat, vt die ac nocte hoc animo obuerſaretur gaudium.

Ad verſ. 22. et *23.*

Summa totius populi et vrbis Hieroſolymae indignatio, et ſanguinis Iudaici reliqui commotio ob effuſum ſanguinem iudaicum, hic perpendenda. Herodis enim obitus, fuſe a Ioſepho rerum Iudaicarum ſcriptore recenſitus, nondum fuit turbarum in vrbe Hieroſolymorum finis. Herodes ferox, ſanguine Iudaeorum effuſo non ſatiatus, ante extremum halitum, morbo grauiſſimo correptus, nouos in vrbe Iudaeorum tumultus erat expertus. Crudelitate namque Herodis ad indignationem commoti Iudaei, de morte Herodis ſenis ſibi publice gratulabantur, ac triumphos ante eius obitum de Herodis obitu agebant. Quidam igitur Rabbinorum auditores ſuos excitabant, vt decumbente Rege e Templo ſimulacra eiicerent, et aquilam auream, portae impoſitam, ſecuribus et armis auulſam proiicerent. Quod audiens Herodes, prehendi hos curauit, et cauſam huius in populo gaudii ob ſuam mortem quaeſiuit. Cui reſponderunt, ſe ali ſpe ſtatus melioris a morte eius, proindeque merito gaudere et maturum eius obitum expectare. Non improbabile, vt ex horum reſponſione fere colligi poteſt, Rabbinos illos, harum turbarum autores, eorumque auditores collimaſſe in nouum Regem, quem de ſua gente expectarent, qui reſtituturus eſſet omnia in integrum: vt in ipſum Ieſum, cuius res non poterat in tota Iudaea eſſe ignota, reſpexerint. Rex igitur, viribus collectis, in publicum progreſſus in haec facinora inquirens, autores Rabbinos cum ſtudioſis eorum auditoribus viuos comburi iuſſit, alios reos decollari mandauit. Quam caedem non potuit non in vrbe ſequi maior ſimultas, quae etiam cum Herode non extinguere-

tur.

tur. Acceſſit alia et grauior Iudaeorum offenſio. Morti enim vicinus Herodes, praecipuos Iudaeorum magnates ex omnibus Iudaeae locis conuocari ac cuſtodiae tradi iuſſit, vt, ſe extincto, et hi ſtatim interficerentur, adeoque Iudaeorum gaudium de ſuo obitu inteſtino temperaretur dolore. Quod ad Archelaum ſucceſſorem et eius ſtatum attinet, proxime ante obitum Herodis, quinto nempe die filio Antipatro interfecto, teſtamentum conditum eſt, quo Archelaus regni haeres conſtituebatur. Quod cum capeſſeret Archelaus, ſtatim in vrbe orta ſeditio, ob interfectos a patre Herode Rabbinos cum auditoribus et reliquis conſciis. Hos motus blandis componere ſtuduit verbis, ſed fruſtra; Templum ingreſſus, lapidibus petitus ac Templo eiectus eſt. Mox in feſto Paſchatos haec aucta ſeditio, nec niſi armis ab Archelao compeſci potuit. Quare cum ſacrificia offerrent, impetus in Templum factus a militibus, a quibus nouem millia Iudaeorum caeſi. Mox cum Romam abiret, coronam regni ſui ab Auguſto Imperatore impetraturus, noui Iudaeorum tumultus ad iugum Romanorum excutiendum in Iudaea orti. Imo Iudaeorum legatio Romam inſtituta, qui Archelaum regno exuerent, et Iudaeis priuilegia ac libertatem pararent. Quorum Legati quinque, octo millia Iudaeorum, Romae agentium, cauſae habuerunt adiutores. Accuſatores illi crudelitatem Herodis, Archelai patris, Caeſari expoſuerunt in Iudaeis exercitam. Praecipue etiam accuſarunt Archelaum, qui ſanguine trium millium Iudaeorum regnum ſuum nouum fundaſſet. Etſi igitur Archelaus ab Imperatore non obtineret plenam patris haereditatem, dimidiam tamen accepit, altera dimidia parte distributa inter duos eius fratres, Philippum et Antipam. Archelaus ergo Idumaeae, Iudaeae et Samariae factus dominus, adeoque Hieroſolyma eius imperio ſubiecta. Archelaus vero non immemor tantarum iniuriarum, ſibi a Iudaeis illatarum, in ſuo inter Iudaeos regno in Iudaeos ſaeuire perrexit. Ioſephus igitur noſter ex Aegypto redux, non potuit non audire infandos hos in Templo clamores caeſorum, quorum exſpirantium terribilis vox totam repleuerat regionem. Territus igitur his aliisque clamoribus et effuſo cruore e Templo manante, et calidum alium ſanguinem praeſentiens, metu retentus eſt, ne in Iudaeam ſe conferret cum filiolo

Digitized by Google

filiolo Mariae. Ditiones igitur Archelai vitandas vidit, ac tutius alibi inter Iudaeos ſub alio domino ſe acturum intellexit. Tantiſper ergo deſeruit Iudaeam, regni Iudaici ſedem, ob Archelai furorem, vsque dum et ille obiret. Quare in Galilaea in patria ſe tam diu latiturum putauit, ſub alio domino. *Impletio* vero a Matthaeo laudata, reſpicit typum et ſymbolum *Naſiraeorum* in V. T. Sicut enim *Naſiraeus* olim erat *ſeparatus*, *ſegregatus* in multis rebus a communi vſu et hominum conſortio, vt ea propter et Ioſephus Gen. 49. diceretur נָזִיר, a fratribus venditus, *excluſus*, *ſegregatus:* ita id revera in Ieſu impletum eſt vel factum, vt propter crudelitatem Archelai *excluderetur* a Iudaea, ac fugere teneretur in *remotiorem* Galilaeam, adeoque vere eſſet נָזִיר *ſegregatus* futurus. *Vocari* autem idem eſt ac *eſſe*. In ſpecie vero reſpici ad exemplum Simſonis, non improbabile, de quo angelus dicebat, quod eſſet נָזִיר *ſegregatus* futurus. Matthaeus igitur dicit, eodem modo, vt Simſonem, ſic et Ieſum factum נָזִיר *ſegregatum.* Quod autem vox *Naſiraei* aliter ſcribatur, ac *Nazareni*, nihil impedit; cum haec leuis alluſio in vocibus quaeſita a Iudaeis vbique captaretur. Pro more ergo Iudaeorum Matthaeus *excluſionem* Chriſti ex Iudaea deploraturus ac depicturus, ominoſum dicit hoc fuiſſe, quod *Nazarethum* a Ioſepho fuiſſet ductus: cum nomen *Nazareni* ſono vocis affini fata argueret Ieſu iniquiora, *excluſionem* nempe eius a Iudaea, quaſi eſſet *Naſiraeus*, *excluſus*.

Ad Matth. III, 1.

Ieſum Nazarethi et Iohannem in vrbe Hebron eodem tempore et pari ſollicitudine fuiſſe educatum, perpendendum. Neque praetereundum, cum vterque puerorum inciperet adoleſcere, vtrumque ad ſacra ſolennia omnia adhibitum, Hieroſolymas a parentibus vectum, vt praeſentes ſacris aſſuefierent. In frequentiori illo et quotannis ſaepius redeunte familiari conſortio et colloquio puerorum et adoleſcentum horum, propinqua cognatione coniunctorum, non poterant illi non arctius magis magisque inter ſe iungi. In vtroque quippe diuinus ſpiritus reluxit, et vterque ex parentibus ſenſim didicit, imminere ipſis diuinitus impoſitum officium. Familiares ergo hi ſibi inuicem noti

et

et alter de alterius officio certus, attentiſſime occaſiones captarunt perficiendi Dei voluntatem. Proinde non dubium eſt, quin cum annis magis magisque ſuum coeperint teſtari deſiderium emendandae Eccleſiae Iudaicae: quod deſiderium etiam ſenſim in apertam erupit populi informationem, correptionem, ac emendationem. Idque abunde patet de Iohanne ex memorato a Matthaeo concionum argumento, quod poenitentiam magna vi vrget. Ante vero quam in has vehementes increpationes publicas erumperet, gradibus vſum mollioris informationis Iohannem, haud eſt dubium, vt non ſtatim in fulmina rueret. Quod multis annis antequam ad baptizandum ſe conuerteret, Hieroſolymis et alibi in Iudaea populum fuerit hortatus, vero maxime eſt ſimile. Neque improbabile, quod impoenitentia plurima inter Iudaeos, a quibus et male habitus et vrbe forte pulſus, commotus magis fuerit ad indignationem, vt conſpectum eorum fugeret, et ſe alio conuerteret, vbi ageret tutius. Et Iohannes forte de imminente Iudaeorum regno nouo multa inter Iudaeos mature dixit: vt et inuidiam magnatum ex eo in ſe contraheret, et locum tandem mouere teneretur. Vnde et prima data anſa, vt et Regis Herodis iram experiretur, a concione quadam acri et graui, inſtigantibus aulicis, regni Iudaici vniuerſalis noui imminentis impatientibus. Sed et Ieſum annis iam maiorem ſuum ſenſim feciſſe officium in Galilaea et Iudaea, res docet. Vt vterque, et Iohannes et Ieſus, populum diu multumque monerent, rogarent, excitarent et ad Deum ac animi integritatem reuocarent. De quibus rebus luculentiora apud ceteros Euangeliſtas extant veſtigia. Matthaeus haec omnia breuibus comprehendit, dum dicit: *Temporibus illis*, ſiue cum Ieſus Nazarethi educaretur, adoleſceret et maiorem tandem attingeret aetatem. Vt oſtendat Dei prouidentiam, qui omnia apte inſtruxerit et compoſuerit, vt finem obtineret, in Iohanne et Ieſu definitum. *Prodiiſſe* tandem dicitur Iohannes, quo ipſo denotatur Iohannis animoſitas, qui ſui memor officii, non fuerit deterritus vel odio populi Iudaici, vel exilio aut iniuncto vel ſpontaneo; ſed qui non abiiciendum munus eſſe videret, quin tanto conſtantius exequendum, quanto maiora ſentiret impedimenta. Sed et zelus Iohannis deſignatur, qui publice et palam

iam aduerſitate excitatus et ad aeſtum commotus, coeperit dicere, quod dicendum erat. Idem ergo eſt *prodire* h. l. ac, animoſius, alacrius, publice tractare, quod antea mitius aut lenius agebatur. Accedit determinatio inſoliti loci, quod *in deſerto* Iudaeae hoc contigerit. Per *deſertum* vero non intelligitur ſtylo noſtro locus ab omni hominum conſortio remotus, ſed comparatiue, locus non aeque cultus et hominibus abundans, ac celebres vrbes, adeoque pagi et villae intelliguntur, quales plures erant in *deſerto Iudaeae* dicto, h. e. longo regionis tractu non aeque culto, etſi variis locis, vrbibus et pagis, ſed ſparſim ſatis conſpicuo, in finibus Iordanis. Ruri igitur egiſſe dicitur. Neque vero dicit Matthaeus, quod ſemper ruri egerit et inter ruſticos ſit educatus, ſed quod ruri docere palam magno cum motu populi coeperit. Vnde potius in rus eum conceſſiſſe putandum, cum Hieroſolymis ſibi locum non amplius datum crederet aut videret, vt neceſſitas eum compelleret in rus emigrandi, ac quod in vrbe non licebat, ruri efficiendi. Cui vlterius accedit circumſtantia temporis. Cum enim Iohannes triginta fere annorum, pro more inter Iudaeos recepto, eorum Synedrio ſtatui et examinari debuerit atque ſacris initiari: dum ſe ſtitit, vel indigne habitus ac iniquius tractatus, munus ſacerdotis deſeruit ac vrbe emigrauit ſponte, ac in rus conceſſit, vel ab illis excluſus, ſecedere iuſſus eſt; vel Synedrium et examen ſolitum fuga declinandum putauit, vt vrbem deſerere teneretur. Quod poſterius probabilius: dum vel iniquiorem cenſuram Synedrii praeuidit, vel ſuum munus diuinitus ſibi iniunctum dignius, amplius ac grauius cenſuit ſacerdotio. Vt ſacerdotium mallet deſerere ob munus nobilius.

Ad verſ. 3.

Matthaeus muneris a Iohanne Baptiſta geſti dignitatem, et exinde ob regni Chriſti propinquitatem, temporis praeſentis maieſtatem ac felicitatem illuſtraturus, locum adducit ex V. T. ex Eſaiae cap. XL. Si commentarius in Eſaiae c. XL. quaeratur, in ipſa iam habetur Scriptura. Nam duo capita, 18. et 19. poſterioris libri Regum, et praecipue cap. 32. poſter. libri Chronicor. et in ipſo Eſaia mox praecedens c. 37. exactiſſimam praeſtabunt

bunt

bunt in concionem hanc Prophetae commentationem. Attendantur autem prae ceteris verba Regis Hiskiae, 2 Chron. 32, 6. 7. 8. *Blande locutus eſt Rex cum populo, dicens: Confirmamini et fortes eſtote. Ne timeatis, neque conſternamini metu Regis Aſſyriae.* Hiſtoria itaque Hiskiae et obſidionis Hieroſolymorum, a Sancheribo tentatae, ad intelligendam concionem Eſaiae ſedulo repetenda. De tempore enim et occaſione concionis habitae ſi conſtet, multa iam ei lux affuſa. Cum igitur haec Eſaiae concio ſit habita tempore obſidionis Hieroſolymorum, ſolatium, quod Rex populo obſeſſo et afflicto dedit, 2 Chron. 32, 6. 7. 8. prorſus idem eſt cum eo, quod Eſaias hac ſua concione expreſſit, id quod eadem pene in illo verba et totus contextus luculenter probant. Quod ergo ad allegationem dicti attinet, a Matthaeo factam, repetendum eſt, Euangeliſtam ſtatum ſui temporis conſideraſſe et ſimilem deprehendiſſe aetati Hiskiae, qui elegans typus fuit Meſſiae. Sicut enim olim tempore Hiskiae Eccleſia Iudaica miſerrime fuerat afflicta, ſed a Deo liberata e manibus hoſtium: ita nunc etiam Eccleſia praeſens lacerata per Chriſtum erat liberanda ac ab interitu vindicanda. Sicuti igitur Eſaias tum temporis praedicabat, et ab aliis nunciari et praedicari iubebat certiſſimam illam imminentem Eccleſiae Iudaicae liberationem: ita Iohannem nunc praedixiſſe imminentem per Chriſtum ſalutem, asſerit Euangeliſta. Vt par eſſet ſtatus Eccleſiae ante Hiskiam et Meſſiam miſerrimus, ſed promiſſa ſimul olim et tunc liberatio praeſentiſſima. Dum ergo dicit Euangeliſta de Iohanne Baptiſta: *Hic eſt dictus ab Eſaia Propheta*, ſenſus eſt apertus et planus. Hic eſt talis, qualis dictus eſt ac definitus ab Eſaia Propheta, h. e. tale eſt officium et negotium, nempe nunciandi imminentem liberationem, quale officium olim Eſaias et geſſit, et alios gerere voluit, qui vrbem Hieroſolymorum liberandam nunciarent. Vno nomine laeta nunciandi officium, et imminentis regni Dei vindicandi munus geſſit Iohannes: vt optime in eum verba Eſaiae quadrent. Iohannes enim in deſerto ſiue in pagis et vrbibus regnum Chriſti imminere nunciauit, adeoque animos in Chriſtum aduentantem dirigere iuſſit.

Ad verſ. 4.

De officio Iohannis dixerat Euangeliſta, idque illuſtrauerat dicto prophetico. Nunc porro et ſtatum eius refert, qualem vitam geſſerit, vt ostendat, eum non fuiſſe deditum pompae ciuium vel et doctorum inter Iudaeos virorum, ſed qui in pagis ac vicinis vrbibus verſaretur, habitum geſſiſſe vilem ac agreſtem, victumque ruri vſitatum. Veſtimentum itaque habuit vile, ſine ſumtibus parandum, ruri conſuetum, ex pelle camelina confectum, einen ledernen Koller von Cameels-Haut. Cingulum quoque dicitur geſſiſſe circa lumbos ſuos coreaceum, quo ipſo indigitatur habitus communis Orientalium, ſed materia veſtimenti diuerſa. Nam cum togae eſſent remiſſae, ne diffluerent, conſtringi debebant circa lumbos cingulo adhibito. Verum cum ciues et alii Iudaeorum pompae ſtudioſi ex ſerico et lino pretioſa cingula ſua pararent, Iohannes adhibuit more ruricolarum coriaceum, quod nullum referret faſtum, ſed vnice neceſſario vſui eſſet ſacrum. Victus quoque non fuit delicatus, ſed vilis et plebeius, ruricolis conſuetus, cum in agris magis verſaretur, quam in ſplendidis vrbibus inter delicias. Vnde dicitur a Chriſto Iohannes non ediſſe non bibiſſe, quod idem eſt, non conuiuia Iudaeorum delicata amaſſe adeoque in vrbibus non frequentaſſe, ſed ruri manſiſſe, et cibis ruricolarum acquieuiſſe. Deſcribuntur autem cibi ſpecies duae: ἀκρίδες et *mel ſilueſtre.* Illas genus foliorum fuiſſe, quae ex apicibus arbuſtorum quorundam depromuntur, ex multis ſcriptoribus antiquis abunde conſtat: qui cibus noſtris fere oleribus reſpondet. Vt adeo ruſticanis cibis veſci conſueuerit Iohannes. Mel ſilueſtre eſt ſuccus, ex arboribus quibusdam inciſis manans, maxime ex ficubus et palmis. Qui dulcis palmarum ſuccus propter dulcedinem dicitur *mel*, et quidem *ſilueſtre*, quod in ſiluis ex palmis inciſis colligeretur. Vnde, propter copiam huius ſucci dulcioris palmarum aut mellis ſilueſtris, terram Canaan *melle fluxiſſe*, hoc eſt, eo melle abundaſſe terram, refert Moſes. Vt eſſet condimentum cibi vulgare, ruri quotidianum. Sic Matthaeus deſcribit vitam eius ſine faſtu geſtam, tenuem, ab omnibus deliciis remotam. Vt doctrina eius aſpera ex tota eius reluceret vita, et adeo vita reſponderet doctrinae; tenuitas quoque iſthaec victus et amictus indicium fuerit egeſtatis,

cum

cum non ſuppeteret, vnde lautius viueret. Sicuti haec fortuna et Eliae deſcribitur, qui paſſim iactatus et omni praeſidio exutus, in deſerta loca ob iniurias hominum debebat fugere. Et tales quidem iniurias iam tum perpeſſum eſſe Iohannem a Iudaeis, ſupra iam indicatum, et haud obscure ex ſequentibus colligitur concionibus, quibus iram Dei Phariſaeis et primatibus Iudaeorum, ipſumque vrbis interitum grauiſſime minatur. Neque adeo talis habitus et vita arguunt ſingularitatem Iohannis, vt vocant, quam eſſet ſectatus. Nam et Prophetarum quorundam habitus ſimilis animum eorum oſtendit humilem, qui vili, nec ſumtuoſo illo victu et amictu eſſent contenti, in quem magnos facere ſumtus non eſſet neceſſe. Confer. de victu Iohannis KNACHTBVL, Anglus, in *Animaduerſionibus in Nouum Teſt.*

Ad verſ. 7.

De *Phariſaeis* ſcripſerunt plurimi; neque tamen ſatis. Nos rariora, nec obuia de illis momenta attingemus. Hos non a verbo פָּרַשׁ, *explicando*, dici, concedunt doctiores Iudaei et Chriſtiani, qui a פרש, *ſeparando*, *Separatiſtas* malunt dictos. Verum concinnior alia ſupereſt appellatio, quae ſtatum Phariſaeorum longe deſcribat plenius. Cum poſt captiuitatem Babylonicam ſub Graecorum eſſent imperio, ex Graeca lingua plurima a Iudaeis asſumta ſunt rerum et rituum ſacrorum nomina. Ita et illis Iudaeis, qui prae ceteris ex plebe ſingularem deuotionem publice prae ſe ferrent, datum nomen a graeco παῤῥησία. Vnde vocabulum Iudaicum natum פָּרוּשׁ, qui ἐν παῤῥησίᾳ, *publice* et *palam* ſingularem religioſitatem profitetur. A quo verbo graeco παῤῥησιάζομαι Iudaei hodienum verbum habent פַּרְסֵם, quod eſt, aliquid *agere* בְּפַרְהֶסְיָא ἐν παῤῥησίᾳ, et participium ac nomen מְפֻרְסָם *publicus*, *manifeſtus*. Olim itaque inter Iudaeos extitiſſe חֲסִידִים מְפֻרְסָמִים *Phariſaeos*, *pios publicos*, aut *publice* et *palam* ſingularem religioſitatem profitentes, teſtantur Iudaei. In his R. MARDOCHAI IAPHE, in ſuo *Levuſch* Part. I. fol. 2. colum. 3. et 4. aliquoties eos ita appellat, quod prae religioſitate nunquam locum ſecretum petierint ante, quam hanc recitaſſent precatiunculam: *Sanctiſſimi Angeli, Dei miniſtri! cuſtodite me, iuuate me et expectate, dum ingrediar et egrediar: humanum enim eſt, quod faciam.*

faciam. Quam orationem ſic explicat R. MARDOCHAI, vt notet obſecrationem, ad Angelos comitantes fuſam, qui libertatem concedant ingrediendi, dum opus faciendum, et vt tam diu ante fores expectent, quos ob ſanctitatem nolint ſecum intromittere ad illa ſecreta. Malint igitur eos tam diu expectare, vsque dum redeant. Hodie vero id non amplius obſeruari, memorat laudatus Rabbi, cum non ſint hoc tempore חֲסִידִים מְפֻרְסָמִים *Pharisaei, manifeſte pii.* Vnde ſi quis eſſet, qui ita oraret, opus ſuum facturus, habitum iri tanquam caput ſingulare et hypocritam affirmant. Quod autem ipſi Iudaei de Phariſaeorum appellatione aliter ſentiant, nec ex graecis eam repetant, non mirum: cum Iudaeorum poſteri, graecae linguae ignari, plerisque vocibus, aut ex Graecia petitis et ab antiquis Rabbinis aſſumtis, radices dederint aut affinxerint Hebraicas. Ignorantia igitur Iudaeorum non dat autoritatem deriuationi. Idque in mille aliis vocabulis poteſt demonſtrari. *Sadducaeos* a Iudaeorum doctore *Zadok* appellari, communis eſt Iudaeorum et Chriſtianorum ſententia. Vixit autem Zadok poſt captiuitatem Babylonicam in Iudaea, auditor Antigoni Sochaei, qui haud longe poſt tempora Eſdrae, et eum in praeſidio Synedrii ſecuti Simeonis Iuſti, inter Iudaeos claruit. Antigonus, ille celebris Iudaeus, in collegio ſuo auditoribus ſuis hanc inculcauit theſin: *Ne ſitis ſicut ſerui, qui non ſeruiunt, niſi praemii gratia: Timore ergo Domini ducamini.* Quod dictum non recte acceptum ferunt ab auditoribus Zadok et Baithus. Vnde anſa illis data, noua dogmata cudendi, qui praemium et poenam poſt mortem negarent, et praeter libros ſacros nullas admitterent traditiones, inter Iudaeos receptas. Haec eſt ſchiſmatum inter Iudaeos origo ante natum Chriſtum. Ex his Iudaeorum ſectis plurimi ad Iohannem, in agris, pagis et vrbibus Iudaeae agentem, venerunt et baptiſmum eius ſpectarunt. Ad baptiſmum enim Iohannis veniſſe dicuntur, non animo eum recipiendi, ſed Iohannis nouum inſtitutum obſeruandi, vel et occaſionem quaerendi, vt eum reprehenderent et coram Synedrio accuſarent. Iohannes etiam non tam incautus fuit, qui ſcopum illum et inſidias non animaduertiſſet. Quos enim iam ante expertus erat dolos et iniurias, de illis meliorem ferre tunc ſententiam non poterat. Dura increpatio, dum ſpectatores hos vo-

cat

cat *progeniem viperarum*, animo et affectui hoſtium prorſus erat congrua. Ea enim acri compellatione abunde declarat inſidias eorum, quas ſibi ſtruant, dum non niſi anſam quaerant ſe perdendi, more *viperarum*. *Viperinam* igitur et venenatam naturam illos habere dicit, h.e. plenam odio et fraude, noſtro ſtylo, giftböſe Leute. Quaeſtio vero Iohannis non tam quaeſtio, quam falſiſſima eſt reprehenſio. Non tam quaerit, quis eos docuiſſet iram imminentem effugere, quam potius negat, eos iram effugituros. Comminatio vero iſthaec certiſſimae poenae ſimul arguit perſuaſionem aduerſariorum, qui ſecuri nihil mali metuerunt. Hanc igitur vanam fiduciam dum carpit Iohannes et tanto vehementius in eos inuehitur, falſe quaerit: *An putatis, vos effugituros iram Dei? quis vobis hoc perſuaſit? quis hoc vobis monſtravit?* quae eſt duriſſima negatio. Vnde quaeſtio haec eſt *admirantis* et *ſtupentis* duritiem Phariſaeorum, eorumque pertinaciam, minaturque Iohannes oblique vrbis et gentis praefractae interitum, qui poenitentiam nunciatam repudiaſſent, repudiandi a Deo et mox perdendi.

Ad verſ. 13.

Dum Iohannes plus ſimplici vice in ſuis ad Iudaeos concionibus ſucceſſoris mentionem facit, qui maiora daturus ac repudiantibus poenam grauiſſimam inflicturus eſſet, aduenit tandem, vtrumque officium palam ſuſcepturus, docturus et vindicaturus, nempe Ieſus. Dum *veniſſe* dicitur *ex Galilaea*, deſignatur quidem patria, vbi educatus fuerat et vbi ſedem hactenus habuerat; ſed ſimul etiam quaſi exilium et metus aliquis Ioſephi ac cognatorum innuitur, qui non permiſerant, Ieſum agere in Iudaea, propter inſidias a iuuentute illi ſtructas. Neque vero aduentus Ieſu ex Galilaea omnimodam arguit abſentiam, quaſi nunquam in Iudaea eſſet viſus, qui quotannis in feſtis comparere debuerat, et absque dubio plerisque Iudaeis abunde iam cognitus erat. Sed nouam et ſingularem Ieſu intentionem aperit. *Venire* enim non nude *iter* notat, ſed et *conſilium ſingulare et inſolitum* ac nouam intentionem. Propoſitum igitur Ieſu hoc aduentu deſcribitur, qui ad officium ſubeundum ſeſe nunc accinxerit.

Ad verſ. 16.

Inſtar columbae deſcendiſſe dicitur Spiritus ſanctus. Cum alias inuiſibilis Deus deſcendens aut praeſentiam ſuam patefaciens, ſolitus ſit in igne vel nube deſcendere aut ſe reuelare, viſibili iam hic ſpecie deſcendit, ut eius praeſentia poſſit agnoſci. Neque vero definitur ab Euangeliſtis ſpecialius in hac reuelatione modus, quam quod *inſtar columbae* deſcenderit. Fatendum quidem, nunquam alias in V. T. Deum in forma vllius creaturae, maxime animalis, niſi in viſione ſub idea iudicis, foris conſpectui hominum ſeſe obtuliſſe, ne Iudaeis anſa daretur ad idololatriam. Etſi etiam prorſus indubitato ex formula, *inſtar columbae*, forma talis animalis asſumta tradi aut elici non queat, quae modum potius deſcenſus arguat, non ſpeciem externam, vt, ſicut columba velociter ſolet deſcendere in ictu fere oculi, plus cadendo, quam ſeſe motitando: ſic et Spiritus S. in ictu oculi ſubito, mediante igne vel nube candida, aperte viſa, in Ieſum ſit delapſus. Retineri tamen commode poteſt ſententia veterum, non modum et ſpeciem deſcenſus fuiſſe columbae deſcenſui ſimilem, ſed columbae ideam fuiſſe viſam. Non quod columba extiterit, ſed quod vehiculum aut medium, quo mediante ſe in deſcenſu reuelauit, ſiue ignis fuerit, ſiue nubes, habuerit ſpeciem columbae. Ignem autem fuiſſe, quo mediante Spiritus S. deſcendit, ex conſuetudine fere Vet. Teſt. patet. Quando enim Deus aperte de coelo locutus dicitur, in igne plerumque apparuiſſe refertur. Cui congruit fere circumſtantia praeſentis actus, dum *coelum apertum* dicitur, cuius conſpectus in igne ſolet obſeruari, nec alias a ſpectantibus attendi potuiſſet. Qui ignis in coelo conſpectus attentionem in praeſentibus parauit, vt Spiritus deſcenſum tanto diligentius mox obſeruarent. Quocum conuenit et altera circumſtantia, quod *vidiſſe* deſcenſum eius dicantur praeſentes Iohannes cum Ieſu et aliis. Ignis vero vel nubes deſcendens apertiſſime in oculos incurrit. Sicuti Matth. XVII, 5. in apparitione in monte nubes candida diſcipulos obumbrauit, voce ex ea audita, vt hic. *Veniſſe* autem *ſuper eum* ac *manſiſſe* dicitur Spiritus S., dum delapſus ignis aut aër vel nubes ſub forma columbae in Ieſum tendit, ac dum in eum pertigit, alio non peruenit, ſed dum non amplius viſus eſt, *manſiſſe*, h. e. ab eo iterum

abiiſſe

Digitized by Google

abiiſſe agnitus eſt. Dicitur quidem in textu εἶδε *vidit*, in tertia perſona nude, non addita diſerte videntis perſona. Sed et Ieſum et Iohannem ceterosque praeſentes vidiſſe, probabile eſt; cum illuſtriſſima iſta eſſet apparitio, quae oculos omnium non poſſet non et pectora penetrare. Vt in Matthaeo verbum *vidit* commode hic referatur ad Ieſum, qui viderit, de quo paulo ante dictum erat, quod illi aut propter ipſum coelum eſſet apertum.

Ad verſ. 17.

Dum fulgur ac ſplendor igneus repente de coelo deſcendere viſus eſt ac in Ieſum orantem tendere, mox audita etiam vox Dei e coelis. Cum enim ad attentionem quaſi excitati vel ſubitaneo fulgure moti ſtuperent ſpectantes, ſicut fulgur ſequitur tonitru, ita fulgur, in quo Spiritus S. deſcenderat, ſecuta eſt vox Dei penetrantiſſima. Nec dubium, quin vox Dei intonuerit et reſonuerit quaſi tonitru, vt et ex circumſtantibus aliqui forte non agnouerint finem huius apparitionis vel intellexerint vocem. Sicuti poſtea ſimilis prope reuelatio contigit, referente Iohanne Euangeliſta cap. X, 28. 29. 30. *Cum deuotiſſime oraret Ieſus ac Patrem inuocaret, venit vox de coelo, dicens: Glorificaui et amplius glorificabo. Turba ergo, quae adſtabat et audiebat, putabat, tonitru eſſe factum. Alii dicebant: Angelus eum allocutus eſt. Reſpondit autem Ieſus et dixit: Non propter me haec vox facta eſt, ſed propter vos.* Vox autem audita publicum et ſolenniſſimum dedit de Ieſu diuinitatis teſtimonium, ex quo omnis pendet ſalus. Eademque vox fuit, quae poſtea in ſimili plane reuelatione, e nube candida, quae diſcipulos obumbrauit, audita eſt, autoritatem et obſequium Meſſiae debitum illi parans ac declarans, Matth. XV, 5. Conuenit autem vox iſthaec, in diuerſis reuelationibus de Chriſto audita, cum phraſi Scripturae Eſ. XLII, 1. Quem locum tota Iudaeorum gens ab antiquiſſimis temporibus de Meſſia explicauit, vt vel ex Targum patet, cuius autor Ionathan Chriſto fuit coaeuus vel et ſuperior, qui aperte in laudato loco Meſſiam nominat. Idem agnoſcunt ex recentioribus RASCHI, KIMCHI, MAIMONIDES, ABARBANEL, qui de Meſſia laudatum Eſaiae caput exponunt.

Digitized by Google

Breuis Exegeſis difficiliorum locorum Matthaei.

Pleniori ac vberiori trium capitum Matthaei Exegeſi abſoluta, ex qua conſtare poteſt, quomodo in verbis etiam leuiſſimis et planiſſimis inſignia et praeclara arduaque doctrinae momenta inueniri posſint, affectu obſeruato: in enarratione reliquorum capitum tanto erimus breuiores. Quapropter nonniſi difficiliora atque obſcuriora loca, vt votis ſatisfaciamus, nunc ſeligemus, quae vel ex ſtylo vel recondita antiquitate nodos ſoluendos habeant. Idque fiet, vt licebit, breuiter et perſpicue.

Ad Capitis IV. Matthaei verſ. 1. vsque ad 11.

Tota haec tentationis hiſtoria cum multis ſit implicita dubiis, nonnihil illuſtrari meretur. Repetendus itaque ex ſuperioribus nexus rerum, vt exinde conſtet de conſilio Chriſti, cur in deſertum abierit. Baptizatus ac Meſſias declaratus munerique ſolenniſſime initiatus, precibus ſe armaturus atque inſtructurus, mox a baptiſmo non in Galilaeam redit, vnde venerat, ſed ſolitudinem quaerit. Magnum quippe munus magnum requirit animum, isque in principio ſtatim ſumendus eſt. Tantoque ſollicitius cuncta in primo exordio perpendenda, inſtruenda ac ſtatuenda, quanto res ſunt conficiendae maiores. Erat autem Chriſti ſancta conſuetudo, ſolitudinem petere ad fundendas preces. Quod ex tota Chriſti reliqua hiſtoria patet. Solitudo namque precibus ardentibus aptior eſt, quod affectus cordis liberior ſe prodat, nemine inſpiciente, adeoque animus tanto fiat ſerenior, quanto familiarius et confidentius ſermo cum Deo habetur. Neque enim fieri poteſt, quin habitus corporis in ardentibus precibus, in vultu maxime et ore, mutetur, et in ardore geſtus naſcatur inuſitatus. Vnde et Chriſtus in conclaue ſe recondere iubet, dum preces ſint fundendae. Non quod publicae preces minoris ſint virtutis: cum Chriſtus et Apoſtoli in Templum ſe contulerint tempore precum; ſed quod priuata illa et ſecreta deuotio non ſit negligenda, cum ſaepe ſit penetrantior. *Ductus* autem Chriſtus *a Spiritu in deſertum* dicitur, quod eſt: Cum a baptiſmi celebritate et publica renunciatione plenus Spiritu arderet, precibus ad Deum fundendis ſerio imminens, deſertum petiit. Vt conſtet de ingenuo Chriſti pectore, qui munus ſolenne non frigide et tepide

tepide inchoauit, ſed cum ardore ſpiritus. Nec adeo ſe potuit continere, quin ſolus a turba remotus, in preces rueret deuotiſſimas. Euenit autem in ſolitudine, *vt tentaretur* aut torqueretur vehementer: non quod hic *finis* fuerit, *cur* in deſertum abiret, ſpiritus ardore compulſus; ſed quod tunc *acciderit*, vt ex Marc. cap. I, 12. Luc. c. IV, 12. recenſione clarius patet. Infinitiuus autem a Matthaeo adhibitus non *finem*, ſed *caſum* notat. Sicuti particula *Vt* ſaepiſſime non *finis* et *intentionis*, ſed *caſus* et *euentus* nota eſt, pro, *Vt adeo*. Mittendus autem Doct. BALTHASAR BECKERVS, inter Reformatos Theologus Batauus, qui in ſuo *Mundo Faſcinato* faſcinatus eſt, dum internum et inuiſibilem animi fuiſſe motum fingit, non externam tentationem. *Tentari* vero eſt *periclitari, premi, torqueri, in diſcrimen* aut *periculum fortunae aut vitae deduci, inſidias pati, omnia aduerſa experiri.* Quod in his Chriſti fatis manifeſtum. Inſidiae autem iſtae diabolicae et grauiſſimae quin ſub forma hominis, teſtibus interpretibus, et quidem Iudaei alicuius praecipui, ſint proditae, non eſt dubium: vtpote a quo poſſet huc illuc tanquam ab itinerum comite duci, et quocum de rebus arduis, res Iudaicas attinentibus, tanto familiarius videretur agere. Maxime cum primores Iudaeorum Ieſu iam dudum vehementer eſſent infenſi, a Iohanne Baptiſta acerbiſſime propterea reprehenſi. Primum autem ſannis excipitur Chriſtus, dum paupertas et egeſtas illi obiicitur. Cum enim Chriſtus a cura hominum et externis praeſidiis remotus, in deſerto ageret, aggreditur eum hoſtis et penuriam ac miſeriam vitae illi obiectat. Quibus ſannis eum conuincere allaborat inanis operae et ſpei ceptae, ex nomine et charactere Meſſiae. Eum nullo modo eſſe et fore Meſſiam, qui ne ſe quidem, quanto minus totam gentem alere et ſeruare poſſet. Quam vilem conditionem omnes Iudaeorum primates ſemper in Chriſto notarunt, ac ex ſuo genio Regem eum fore exinde negarunt. Frangere itaque animum Chriſti ſtuduit hoſtis, egeſtatis et debilioris conditionis ſcrupulo iniecto. Quod dubium Chriſtus egregie ſoluit dicto Deut. VIII, 3. et exemplo virtutis ac promiſſionis diuinae, olim populo Iudaico in deſerto factae atque praeſtitae. Poſſe Deum mille modos adhibere pro ſua virtute, gratia et promiſſione, egeſtatem tollendi et vitam ſuſten-

tandi. Vt in Iudaeis in deſerto olim demonſtratum. Quo ipſo Chriſtus fidei ſuae conſtantiam animoſe prodidit. Alius triſtior caſus, quo Chriſto aegre fecit hoſtis, fuit, dum eum in vrbem ſanctam, Hieroſolymam, deduxit, ac in alam Templi ſtitit. Qui locus aptiſſime conuenit cum baſilica in Templo aut Synedrii conclaui, quod erat celſum et magnificum aedificium in Templo in monte Moria. Idque Conſiſtorium aut conclaue Synedrii duas habebat *alas*, zwey Ercker. Vna ſpectabat in atrium Iſraëlitarum, altera foris prominebat in ambitum vel atrium gentium. In interiori ala ſedebat Rex, in exteriori ala Synedrium. Ad vtramque alam erant gradus foris et intus: vt foris aſcenderetur in baſilicam, et intus ex baſilica deſcenderetur in atrium Iſraëlitarum. De qua templi ala et baſilica actum in *Ephemeridibus Philologicis* diſcurſu I. cap. IV. Ad Conſiſtorium itaque aut Synedrium Chriſtus raptus, accuſatur et examinatur. Vbi inter alias interminationes, quales et Apoſtolis poſtea coram Synedrio factae, minae additae cum ſannis nouis. *Num*, inquit ibi hoſtis, *filius ſis Dei? tune ſis Meſſias Rex Iudaeorum? apage te, et proripe te illico*, packe dich herunter! Cum enim, vti dictum, gradus eſſent, per quos aſcenderetur in Synedrii conclaue, Chriſtus deſcendere aut fugere iubetur ſponte, ni malit proiici: Wo er ſich nicht bey Zeiten aus dem Staube machte, ſolten ihm bald Füſſe gemacht werden. Et vt fiduciam Ieſu in Deum poſitam eluderent magis, ironice et ſalſe obiiciunt locum Pſalmi, quo promiſſum eſt Dei auxilium in omnibus aduerſis. Vane Ieſum niti illis Dei promiſſionibus, idque re ipſa mox demonſtratum iri, ſi daretur praeceps. Quas minas iterum Chriſtus graui increpatione damnauit, ne eſſet θεομάχος, cum Deo non pugnaret. Deo aduerſari, eius conſilia velle irrita reddere, Meſſiam nolle agnoſcere, Ieſum velle premere, torquere, occidere, rem fore difficillimam. Qua reſponſione et muneris ſui autoritatem diuinam et animi ſui praeſentiam ac fiduciam immotam aſſerit, qui minas et caedem non metueret. Alio denique modo Ieſum aggreditur hoſtis, dum in deſerto errantem deducit in celſiſſimum montem, ex quo ad regna eminus monſtrata occupanda opem ſuam offert, ſi imploret. Quae res non eſt obſcura, ſi repetatur, Moſen, in finibus terrae Canaan in deſerto conſtitutum, aſcendiſſe celſiſſimum montem

montem Nebo, ex quo terrae Canaan decus et regnorum in illa maieſtatem videret. In eundem itaque montem Nebo Chriſtus, in deſerto agens, deductus apparet, vt exemplo Moſis Chriſtus exinde regna terrae Canaan videret. Per *regna τȣ κόσμȣ* intelliguntur regna de monte illo conſpecta, in ampliſſima regione Canaan ſita. Sicuti et Euangeliſta Lucas cap. IV. vocat *regna τῆς οἰκȣμένης*, ditionis aut regionis iſtius, quae oculis poterant conſpici de monte. Id conuenit cum fine iſtius colloquii et perſona Chriſti. Cum enim Meſſias, Rex Iudaeorum, crederetur occupaturus terram Canaan, in multa regna diuiſam, gentibus Romanis iam magna ex parte ſubiectam, hoſtis Chriſto hunc regnorum ſplendorem et regionum illarum amplitudinem monſtrat. Sic ergo in momento de tam celſo monte glorioſi imperii Iudaici deſiderati, a Meſſia reparandi ex ſententia Iudaeorum, maieſtatem ostendit. Addit autem hoſtis, ſe praeſentia illa terrae Canaan regna, Iudaicae genti iam olim propria et a Meſſia iterum occupanda, Ieſu daturum, ſi eum adoret. Quae eſt falſa exprobratio impotentiae Ieſu, qui ſine armis et viribus exiſteret, adeoque vane ſibi perſuaderet, ſe Regem aliquando fore horum regnorum in terra Canaan, quae in conſpectu eſſent poſita. Quapropter promiſſio, ab hoſte facta ſub forma Iudaei alicuius primarii cum Chriſto diſſerentis, eſt obliqua negatio, Chriſtum nunquam eorum regnorum fore haeredem ac dominum, adeoque nec Iudaeorum Regem. Ratio: quod Iudaeorum non quaerat opem et auxilium; quippe quorum magnates eum iam dudum cum Iohanne damnaſſent. Iudaeorum igitur ope deſtitutum, nihil effecturum in occupandis illis regnis. Illam ergo creditam temeritatem Chriſto obiectat hoſtis, qui ſine Iudaeorum ope et auxilio ſibi polliceretur tam ampla regna. *Si*, inquit, *me adoraueris*, *regna haec habebis*, hoc eſt: ſi me Iudaeorum principem, totius gentis Iudaicae nomine cum Chriſto agentem, (ſub cuius forma eum apparuiſſe, vero ſimile,) colueris et veneratus fueris; ſi Iudaeorum magnates decenti amore et honore fueris proſecutus, quod non feciſti hactenus; ſi eorum ope et conſilio atque auxilio fueris vſus, qui exercitus colligant tibique offerant, teque adeo belligeraturum iuuent: regna haec habebis. Hi tibi comparabunt, hi tibi aſſiſtent exercitibus collectis. Hoc eſt

proſterni coram altero eumque *adorare: venerari* ſcil. alterum, eiusque *opem implorare.* Negat hoc ſe facturum Ieſus; opem et auxilium eorum plane repudiat. Quos iam ante cum Iohanne damnaſſet progeniemque viperarum vocaſſet, eos ſe nolle colere et venerari, eorum nunquam ſe quaeſiturum opem; Deum ſe colere, quem non colant Iudaei, vti ſaepius poſtea Iudaeis ingeſſit Chriſtus. Se Deum venerari, quem illi non venerentur, qui non Dei, ſed ſuam quaerant gloriam. Se ergo et opem in omnibus negotiis ſuis expectare a Deo, non ab illis Deo aduerſis. Quando Lucas cap. IV. poſtremam tentationis ſpeciem ponit Chriſti deductionem in alam Templi, ordo omnino accuratius ab illo ſeruari, quam a Matthaeo, videtur. Nam res ipſa fere docet, praeceſſiſſe tentationem in monte; cum haec facta ſit, Chriſto adhuc in deſerto exiſtente: vt finitis diebus, quibus in deſerto erat commoratus, raperetur poſtremo ex deſerto ad Conſiſtorium in Templum Hieroſolymitanum. Quare et Chriſtus ſic duriter in Conſiſtorio Hieroſolymitano exceptus, vrbem mox fugit, et in Galilaeam iterum ſe recepit, ibique maximam vitae partem inſumſit. Sic Chriſtus, deſerta vrbe et regione, ad tempus quidem immunis et liber fuit ab iniuriis et tentationibus, vti dicit Lucas c. IV, 13. Verum cum circa dies feſtos Hieroſolymam reuerteretur, rediere tentationes et aduerſitates per ipſos contribules Iudaeos. Quod ex tota hiſtoria abunde patet. Miniſtraſſe autem Chriſto dicuntur poſt ieiunium ἄγγελοι aliqui, vel Hebrone, vel Hieroſolymae, vel aliunde ab amicis et in ipſum credentibus, in deſertum *miſſi,* qui Chriſto eſurienti cibum afferrent. Quod eſt διακονεῖν.

Ad Matth. V, 3.

De *paupertate ſpiritus* ex hoc loco multi habentur ſermones. Vt et TAVLERVS integrum conſcripſit librum de *paupertate ſpiritus.* Sed haec myſtica explicatio ferri poterat extra praeſentem textum et contextum. Textus autem ipſe in ſe plane aliud quid notat, dubiaque omnia de *paupertate ſpiritus* moueri ſolita ſponte corruunt. Agit Chriſtus cum diſcipulis, eos in aduerſitatibus propter fidem in nomen ſuum ſolaturus. Quare *beatos* vocat illos, ad *paupertatem* redactos. Quae *pau-*

per-

Digitized by Google

pertas hoc loco eſt rei familiaris defectus, ipſaque penuria, dum omnia ipſis ſint ſurrepta bona, ex quibus huius vitae petuntur ſubſidia ac praeſidia. Quae fortuna cum obtingeret diſcipulis Chriſti, vt omnibus exuerentur bonis, eos ſic bonis exutos beatos praedicat. Neque de omnibus ergo abſolute *pauperibus* ſermo, ſed de talibus, quales tunc erant Chriſti diſcipuli aliique in Chriſtum credentes, qui vel ſponte omnia ſua deſeruerant amore Chriſti, vel quibus erant ſubducta a Iudaeis odio Chriſti. De qua *paupertate* ſua aliquando querebatur Petrus, *Domine!* inquiens, *nos omnia deſeruimus.* Cum igitur praeuideret Chriſtus, fortunam diſcipulorum multo adhuc fore difficiliorem, qui omnibus porro, ſi quid ſupereſſet, eſſent priuandi bonis, eos mature erigit, ne animum deſpondeant. Beatos igitur eos eſſe aut felices praedicat in ipſa illa infelicitate. Addit autem *beatitudinis* iſtius aut felicitatis characterem, dum eos *beatos* vocat *ſpiritu.* Vox enim *ſpiritus* referenda ad *beatitudinem*, non ad *paupertatem.* Id quod etiam contextus docet, in quo de vitae moleſtiis omnibusque aduerſitatibus ordine agitur. Accedit, quod Lucas cap. VI, 20. plane non exprimat hanc vocem, abſolute pauperes illos vocans *beatos.* A Matthaeo autem beatitudinis additur character, ſymbolum vel ſigillum, cur ſint beati, et ex quo ſigno cognoſcere poſſint, ſe eſſe beatos: nempe *Spiritus.* Quod, cum habeant *Spiritum*, beatitudinis habeant ſigillum. Sicuti Paulus in Epiſtolis ſaepiſſime *Spiritum* vocat ἀῤῥαβῶνα *vitae aeternae.* *Eſurientes* et *ſitientes* hic proprie intelliguntur, quibus victus deeſt. Idque docet iterum ſcopus concionis Chriſti, qui erigere diſcipulos in ſe credentes ſtudebat in praeſentibus aut ingruentibus aduerſitatibus. Sicuti ergo antea paupertatem notauerat, et beatos illos praedicauerat, etſi omnibus eſſent exuti bonis: ita nunc *eſurientes* et *ſitientes* ex penuria et hoſtium iniuria conſolatur. Idque iterum patet apertiſſime ex Lucae cap. VI, 21. vbi ſimpliciter dicuntur *eſurientes*, et quidem cum addito νῦν *nunc:* vt pateat, defectum *temporalium* notari. Beatos autem hos praedicat ſiue ſaluos, felices et futurorum bonorum haeredes, additque characterem beatitudinis, *iuſtitiam.* Vox enim haec *iuſtitiae* plane non ſpectat ad verba *eſuriendi* et *ſitiendi*, quaſi *eſuriant* ac *ſitiant iuſtitiam.* Quod interpretibus magnum

facit

Digitized by Google

facit negotium, vt ſe explicare vix poſſint. Sed refertur ad beatitudinem: vt ſit character et ſymbolum beatitudinis *iuſtitia.* Beati itaque dicuntur *iuſtitia* ſiue *ope iuſtitiae.* Vt *iuſtitia* in ipſis, dum ſint ex Chriſto iuſti, vtpote eius diſcipuli, indubitatum ſit beatitudinis teſtimonium. Iuſti enim vitam aeternam obtinebunt. Accuſatiuus vero apud Matthaeum optime exprimitur per Ablatiuum a Latinis. Nam eſt forma illa Graecorum elliptica. Τὴν δικαιοσύνην, h. e. κατὰ τὴν δικαιοσύνην, *quoad iuſtitiam, propter iuſtitiam, iuſtitiâ.*

Ad verſ. 13.

Multum in hoc verſu *ſalis*, ſed peregrini, qui non ſapit interpretibus: vt neſciant, cuius ſit generis. Nos autem diiudicabimus facile, dum nos conferemus in Iudaeam, et inter Chriſti diſcipulos ac auditores nos ſtiterimus. Sic enim in Iudaea verſantes, deprehendemus *ſalis* cuiusdam apud illos vſum, apud nos plane ignotum. Habent ibi *ſal Sodomiticum,* quod adhibent ad ſuffitum ſacrum in Templo et ad ſacrificia adolenda. Erat autem hoc nihil aliud, quam ipſum *bitumen,* quod ob quandam *ſalſuginem* commune *ſalis* nomen habebat. Et hoc quidem *ſal* aut *bitumen* dicitur *Sodomiticum,* quia e mari ſalſo aut bituminoſo depromtum. Quod ſal aut bitumen Sodomiticum, in terra Iudaeorum natum, Juden-Leim appellatur aut Juden-Pech. Adhibitum hoc *ſal* aut *bitumen Sodomiticum* ad conglutinandas res et arcte conſtringendas. Ab hoc bitumine, quod *ſal* aut *bitumen Sodomiticum,* Iudaeis notiſſimum, vocatur, Chriſtus petit figuram, dum diſcipulos tale *ſal,* hoc eſt *bitumen Sodomiticum*, appellat. Qua elegantiſſima figura officium diſcipulorum egregie depingit, vnionem nempe et amorem ſuadens. Cum enim antea dixiſſet, beatos eſſe pacificos, diſcipulis hoc pacis, inter Chriſtianos parandae ſeruandaeque, munus inculcaturus magis, illos quaſi *bitumen* eſſe debere affirmat. Quod amorem ac vnionem inter Chriſtianos parare ac tueri debeant omni ſtudio, adeoque tum inter ſe, tum cum aliis amoris vinculis, tenaciſſimo quaſi bitumine, colligari et conſtringi, vt pectora Chriſtianorum inter ſe ipſorum operâ ſint quaſi conglutinata: Daß die Chriſten an einander halten wie Pech und Leim. Vocantur autem *bitumen terrae,* h. e. hominum in terra

terra, vſitata metonymia: quod hominum animos vnire et ad ſuauem coniunctionem perducere teneantur, deſcripto hac figura officio diſcipulorum, qui doctrina et vita alios ad pacem et amorem perducere deberent. Addit etiam negligentibus aut pacem turbantibus et vnionem disſoluentibus minas, dignamque illis indicit poenam, allegoria aptiſſima. *Si ſal*, inquit, *infatuatus fuerit, quomodo ſalietur?* hoc eſt, ſi notum bitumen, quo res conglutinantur, vel aetate longa, vel vſu multo, inſtar picis, calcis aut glutinis veteris ſit eneruatum, aut vim ſuam combinandi amiſerit, quomodo tale ineptum et combinandi virtute priuatum bitumen poterit reddi aptum, vt iterum posſit conglutinare et conſtringere? Iſt einmal Kalck, Pech, leimen verdorben und will nicht mehr kleben und binden, womit will man es wieder zu recht bringen, daß es wieder kleben und binden könne? Qualis interrogatio eſt pura negatio, cum indignatione loquentis coniuncta. Neque enim poſſibile eſt, vt bitumen, calx, gluten, dum ſunt eneruata et ad glutinandum inepta reddita, iterum posſint reparari et reſtitui, virtute priori reddita. Depingit autem Chriſtus hac figura periculum, quod ſit in disſidiis et discordiis. Si pectora animique ſemel disſoluantur, vinculo pacis rupto, ſi non amplius conſentiant et cohaereant, periculum imminere amoris nunquam reſtaurandi. Si ſemel inter ſe disſideant diſcipuli, vel admittant, vt animi a ſe inuicem diſcedant, amore ſoluto, vix ac ne vix quidem futurum, vt ad amorem redeant ac reduniantur. Quam Chriſtus poenam quoque nunciat his, qui vnioni alendae ac ſeruandae non ſtudeant conſtanter, allegoria bituminis ſeruata. *Bitumen*, inquit, *quod vim conglutinandi ſemel amiſit, ad nihil valet amplius, ſed proiiciendum foras*, more picis et calcis eneruatae, in viam publicam, cum alia ſaburra, *vt pedibus conculcetur.* Qua figura poenam denunciat illis, qui pacis et amoris vincula ſoluerint. Eos nempe homines inutiles a Deo repudiari, qui non ſint digni, qui in domo aut regno Dei ferantur, ſed qui ex domo et regno Dei ſint excludendi, eiiciendi ac aeternae poenae mancipandi. Conferri poterunt, quae in hunc locum et ſimilia apud alios Euangeliſtas loca dicta ſunt in *Ephemeridibus Philologicis* diſcurſu XI. de *condimento ſacrificiorum.*

Ad

Ad verſ. 18.

Adhibet Chriſtus in aſſeueratione de Chriſtianiſmi officio pietati et ſanctitati ſtudendi, figuram ab externa legis ſcriptae forma deſumtam: *Ne vnum quidem iota periturum*, ait, *aut minutiſſimum apicem*. Qua figura, ab externis literarum formis ſumta, non *literarum materiale*, ſed *vocum formale* denotat, h. e. res verbis deſcriptas, leges a Moſe et Prophetis datas. Non ergo ſermo eſt Chriſto de literarum mutatione futura vel non futura, de integritate vel corruptione earum, deque antiquitate vel nouitate; ſed de rebus per verba ſignificatis, et quidem hoc loco de lege morali: id quod ſcopus vniuerſus, antecedentium vel conſequentium nexus abunde declarant. Eſtque illa formula vel ipſis Germanis vſitatiſſima in aſſeueratione rei certo praeſtandae: Nicht ein Tittelchen ſoll daran fehlen, es ſoll alles richtig geſchehen. *Apices* autem in literis omnium linguarum exiſtere ſiue *lineolas acutas et prominentes*, manifeſtum eſt: vt ad certum idioma linguae vel Hebraicum vel Syriacum non collimauerit Chriſtus. *Iota* enim in omnibus prope linguis tenuiſſima eſt lineola. Vt non definite vllum idioma attenderit, ſed communem apud gentes ſcribendi rationem. Dum autem Chriſtus affirmat, omnia debere fieri aut praeſtari, vniuerſitas eſt *extenſiua*, non *intenſiua*. Quicquid praeceptum, debere obſeruari a Chriſtiano, etſi non plane cuncta ad rigorem legalem poſſit praeſtare. Poenam quoque transgreſſoribus inter Chriſtianos dictat Chriſtus v. 19. *Quicunque ſoluerit aut neglexerit vllum horum praeceptorum*, quae a Moſe et Prophetis data, et in illis, ipſorum iudicio ac perſuaſione, *vel minimum*, quod non tantopere curandum videatur, atque hanc licentiam negligendi aut peccandi dederit aliis vel exemplo vel doctrina: *is excluſus erit a regno Dei*. Vocat autem praecepta *minima* non per ſe, ſed ex opinione hominum, et illorum quidem, qui ſibi licentiam peccandi in Chriſtianiſmo datam putent. Quapropter ſicuti leges ab illis vocantur *minimae* aut negligendae, ita et excluſionem a regno Dei paribus verbis depingit. Vt *minimus ſit in regno Dei* dictus, qui non ſit curandus in regno Dei, adeoque praetereundus et excludendus. Vt ſit ius quaſi talionis. Prout legem aut Dei mandatum obſeruaſſent, ita et illos olim iri tractatum.

Eſtque

Eſtque talis extenuatio pro omnimoda negatione in communi vita vſitata, dum *minimum* vocamus; quod *nullum* eſt aut reſpuendum. Sed et praemium Chriſtus decernit illis, qui praecepta obſeruent et praeſtent, obſeruandaque tradant et inculcent, nempe vitae aeternae fruitionem. Rurſus igitur ad quandam talionis rationem reſpicit: *Qui magni fecit praecepta, is magni fiet in coelo,* id eſt, *is praemium feret in coelo.*

Ad verſ. 29. et 30.

Eruere oculum et *praeſcindere manum*, quibus ad peccandum quis alliciatur, eſt coërcere ſeria animi intentione affectus prauos, inhibere motus effrenatos. Quae figura non inuſitata Germanis aliisque gentibus. Dum deliciis cibi et victus deditus quis ab alio corripitur, dici ſolet: Du muſt den Lecker-Zahn ausziehen. Sicuti et in haud disſimili caſu, ſi quis rapiat, in quod non ſit ius, dicitur: Die Finger ſind ihm zu lang, die müſſen ihm beſchnitten werden; man muß ihm die Pfoten behauen.

Ad Matth. VI, 7. et ſeq.

Formulas precum determinat Chriſtus, vt prauum Iudaeorum et Phariſaeorum vſum corrigat. Garrulitatem et otioſam verboſitatem damnat. Reſpicit Iudaeorum conſuetudinem, qui in precibus ſuis quotidianis aeque ac feſtiuis demurmurandis numerum attendebant. Nam 18. preces, ab Eſrae aetate Synedrio praeſcriptas hodieque ſeruatas, deblaterabant ſinguli quotidie. Poſt has fixas aliae plures effuſae. Superfluitatem verborum hoc vocat Chriſtus, non per ſe, ſed ex vſu vulgi et affectu, qui eas nude effunderent. Exemplum autem gentilium dum allegat, oſtendit gentiles eodem peccato notatos, qui ſimiliter in ſuis precibus coram deaſtris eſſent verboſi. Quo ipſo et Iudaeis inurit maculam, qui non meliores hac in parte gentilibus. Dum garrulitatem in precibus, in numero formularum poſitam, reiecerat Chriſtus, modum praeſcribit preces breuius cum deuotione inſtituendi. Neque vero iuſtum hunc iterum numerum verborum diſcipulos retinere praecepit, ſed modum ſolum et formulam oſtendit, quomodo verbis poſſent parcere in precibus ſuis quotidianis, vt deuotionis maior haberetur ratio. Vnde non nouae

nouae ſunt petitiones, nec noua verba; ſed argumentum eſt precum vſitatarum aut compendium. Vt doceat Chriſtus, paucis idem poſſe peti, quod multis vulgo faciant. Sic igitur in precibus ſuis quotidianis Iudaei hanc Dei adhibent compellationem: *Pater noſter, qui es in coelis!* Deus enim olim populo ſe patrem fore promiſerat. Vſitatiſſima itaque apud Iudaeos haec Dei compellatio. *Sanctificari nomen Dei*, quotidie petebant et petunt Iudaei, ſed multis verbis. Nam Dauid cum Prophetis *ſanctum* h. e. *venerabile* Dei nomen dixerant, et *ſanctificari*, h. e. celebrari et apud omnes magni fieri debere aiebant. *Sanctum* enim idem ac *ſeparatum*, *ſingulare*, *haud vulgare*. Sic Deus dicitur *ſanctus*, h. e. *ſeparatus* ab omni creaturarum imperfectione. Sic et *ſancta* dicebantur vaſa in Templo, h. e. remota ab vſu vulgari et quotidiano. *Sanctificatur* itaque *nomen Dei*, dum ſumma eius gratia, potentia, maieſtas cognoſcitur et celebratur. Et Iudaei quidem illam Dei potentiam declaratum iri ſperabant in fundendis hoſtibus: vt Deus potens et iuſtus praedicetur ex iuſta vindicta. Chriſtus non repudiat formulam, ſed diſcipulis indulget, vtpote per ſe optimam. Etſi vulgo Iudaei illius vſu reſpicerent ad ſtragem, in hoſtibus Iudaeorum edendam in principio regni Meſſiae, quod terrenum expectabant. Credebant enim, Meſſiam fuſurum hoſtes, Romanos, et Iudaeos e manibus eorum liberaturum. *Regnum Dei aduenire*, precabantur Iudaei quotidie et petunt hodienum. Etſi vero Iudaei tunc temporis per regnum Dei intelligerent regnum Meſſiae terrenum, quod immune foret a iugo hoſtium, ab abſoluto imperio et maieſtate regnum Dei dictum, a Deo inſtituendum, ad ſimilitudinem regiminis diuini; Chriſtus tamen formulam per ſe optimam retinendam dicit: ſicut et in concionum ſuarum principio Iohannes Baptiſta et Chriſtus dixerunt: *Appropinquauit regnum coelorum*. Quod quidem Iudaei vulgo de ſplendidiſſimo ac potentiſſimo Meſſiae regno intelligebant. Chriſtus tamen formulam, meliori ac ſaniori ſenſu adhibitam, prudenter retinuit, ne mutatis verbis animum ſuum a Chriſto auerterent, a quo ſibi merito magna pollicebantur, etſi illorum voto et ſpe meliora. *Voluntatem Dei, vt in coelo, ita et in terra fieri*, Iudaei in ſuis precibus precabantur et precantur hodie. Etſi vero iterum Iudaei in regno

gno

gno Meſſiae terreno tunc temporis illa formula tranquillitatem et ſanctitatem peterent et expectarent; Chriſtus tamen per ſe optimam, melius intelligendam, ſeruauit; ne preces conſuetas mutare videretur. Expectabant etiam in regno imminente, vt reſtitutionem ac reparationem omnis creaturae, ita et victum ſingularem, *panem*, vt appellabant, סְגֻלָּה *peculii* ſ. Iudaeis in regno proprium, quem et *panem* appellabant רוּחָנִי *ſpiritualem*. Rogare autem Chriſtus dum videtur iubere, quod ſperabat Iudaeorum vulgus, victum nouum ac Iudaeis proprium in regno, prudenter, amore eorum ductus, indulget, ſenſu meliori intellecta phraſi, ne diſcipulis ſpem bonorum et victus melioris videretur praeſcindere. Sicuti et alias *vinum nouum* in regno bibendum diſcipulis ſponte pollicebatur, animos eorum infirmos lactandi gratia. *Remiſſionem delictorum* etiam publice precati ſunt Iudaei. Propter peccata autem ſe in captiuitate aut ſub iugo gentilium teneri agnoſcebant, vt hodienum agnoſcunt. *Peccata* itaque *remitti* rogabant, vt iugum Romanorum tolleretur ac Iudaeorum regnum reſtauraretur. Sic ergo Chriſtus preces per ſe non malas pro *remiſſione peccatorum* retinere ſuadet. Sicuti Iohannes et ipſe Chriſtus coniunxerant poenitentiam et regni aduentum. Metuebant autem Iudaei in principio regni grandia pericula et aduerſitates. Sicuti et hodienum illas regnum praeceſſuras afflictiones Iudaei vocant *dolores Meſſiae*, ſ. regnum Meſſiae praeeuntes. Tales itaque aduerſitates cum metuerent Iudaei et diſcipuli in regni exordio, formulam et ipſas preces retinet Chriſtus, meliori ſenſu. Sicuti et in horto adhibebat, ingruentibus hoſtibus: *Orate, ne veniatis in tentationem*, h. e. pericula, manus hoſtium. Proxime igitur et immediate intelliguntur pericula corporalia, perſecutiones: ſiquidem πειρασμὸς notat quamlibet *aduerſitatem*, quodlibet *periculum*. Mediate tamen et per conſequens non excluduntur ſpiritualia pericula et dubia interna. Inducere autem in aduerſitatem, *moralis* eſt appellatio, et notat *permittere, vt quis in eam incidat, non auertere*. Ne ergo inducantur, rogare iubet, h. e. ne permittat Deus in illa incidere pericula. Deinde vox ſaepe non de nuda re intelligitur, ſed de adiuncto aut certa rei circumſtantia: vt aduerſitas non ſit nuda aduerſitas, ſed aduerſitatis gradus, impetus, moles. Vt

ſus ſit: *Ne permittas*, vt in nimis graues et inſuperabiles incidamus aduerſitates, ne illis ſuccumbamus. Vnde ſuccedit precatio poſtrema, ex priori nata: *vt liberentur a malo.* Quod ex ſenſu Iudaeorum communi iterum notabat afflictionem externam. Ex hac igitur, in qua haeſiſſe ſe putabant ſub iugo Romanorum, et quam duriorem adhuc in exordio regni expectabant, ſe liberatos cupiebant Iudaei. Chriſtus igitur preces eorum melius intellectas non repudiat. Nam et Chriſtus rogare iubet, vt liberentur ex periculis et aduerſitatibus. Proxime igitur et haec petitio corporalia damna notat, ſed per conſequens etiam ſpiritualia. Pro more Iudaeorum ſubiungit etiam Chriſtus doxologiam, per ſe itidem non malam, etſi a Iudaeis vulgo aliter intellectam. Nam per *regnum Dei* Iudaei intelligebant regnum Meſſiae terrenum, a Deo inſtaurandum, ad exemplum regiminis diuini, Deique fore hoc regnum Iudaeorum, aiebant, quod gentilium Reges ac Imperatores hactenus tenuiſſent. Chriſtus meliori ſenſu phraſin acceptam retinet; ſicuti *regnum Dei appropinquare* ſemper dixerat, et Patris ſui regnum vocauerat. Deo etiam in doxologia tribuebant Iudaei *potentiam*, quod is pro ſua potentia regnum deſideratum reſtaurare et gentiles delere poſſet. Dein *gloriam* Deo adſcribebant: quod in reſtitutione regni Iudaici maximam Deus gloriam eſſet reportaturus. Claudebant quoque, vt hodienum faciunt, doxologiam hac formula: *In ſecula ſeculorum.* Quia regnum erigendum diutiſſime per multa ſecula duraturum credebant. Subiuncta pro more certae ſpei et gaudii nota, *Amen*, quod eſt idem ac *omnino, vere, fiat.* Quam doxologiam integram, per ſe ſanam, Chriſtus retinet, alio ſanctiori ſenſu ſumtam, quam Iudaei vulgo aeſtimarent. Vt hac indulgentia ſancta infirmos arctius ſibi aduniret.

Ad Matth. VII, 3-6.

Illuſtrat Chriſtus hanc rem egregio ſimili, apud Iudaeos prouerbiali locutione hodienum vſitato, conf. ערכין, f. יו, c. 2. m. et Gloſ. שבת f. יא cap. 2. et BARTENOR. in h. l. ineptum eſſe eum, qui in alio videat et taxet maculas et naeuos, in ſe vero longe maiores et turpiores non attendat: haud aliter ac ſi quis

in

in altero notet viſus vitium, ante cuius oculos pendeat aut iaceat feſtuca, ipſe vero maiori laboret vitio, ante cuius oculos magna trabs pendeat aut iaceat, qua viſus prorſus impediatur. Turpiter itaque ſe dare eum, qui alterum velit corrigere aut repudiare, et quaſi feſtucam ex oculis eius remouere, cum ipſe multo magis ſit corrigendus, ac ab eius oculis quaſi magna trabs prius remouenda. Sententia huc redit: Quisque ſuos patimur manes; nemo ſine crimine viuit. Non igitur in alio vel hoſte naeui ſunt exaggerandi, noſtris praeteritis, vt ea propter illis temere denegemus neceſſaria vitae adiumenta: ne idem nobis eueniat, iure talionis, iuſto Dei iudicio. Huic theſi de improba tali egenorum cenſura, quam appoſito illuſtrauerat ſimili, ſubiungit Chriſtus v. 6. aliud ſimile, quo rationem datam de talionis iure magis declarat: *Non ſane, dederitis, inquit, ſanctum canibus.* Quibus alludit ad ſacrificia et carnem ſacratam. Hanc, ait, nemo facile dabit canibus, cum ſit cibus ſacerdotum et ſacrificantium: Ihr werdet ja, weiß ich gewiß, das heilige Opfer-Fleiſch den Hunden nicht fürwerfen. Quae res erat nota omnibus et ab omnibus concedenda. Neque enim hic imperandi affectus locum habet, ſed obteſtandi, et re nota ac conceſſa conuincendi. Vt ſit non interdictum, ſed abſoluta negatio. Nemo ſacrificia aut carnem ſacram canibus obiicit. Dum auaris et inuidis hominibus, nemini boni quidpiam largientibus, Deus etiam ſit denegaturus bona deſiderata. Sicuti nemo canibus obiiciat carnem ſacram, ita nec Deum canibus illis aut auaris hominibus ſua daturum bona. Wie man den gierigen Hunden das beſte Fleiſch nicht hinwerfe, ſo werde GOtt ſolchen Filtzen und geitzigen Hunden, welche denen Bedürftigen nichts gönnen, ſondern alles für ſich verzehren, auch das Beſte nicht in den Rachen werfen. Par eſt alterum ſimile: *Non proieceritis margaritas porcis.* Quo ſimili iterum argumentum a iure talionis declarat. Neque eſt affectus imperantis, quid non facere debeant, ſed conuincentis, quid nemo facere ſoleat: Ihr werdet ja den Säuen keine Perlen fürwerfen. Applicationem, quam Chriſtus a ſuperioribus faciendam menti et iudicio relinquit, facile fecerimus. Senſus ergo huc redit: Vti nemo facile tam ſit futurus ineptus aut imprudens, qui praeſtantiſſima ſua bona et κειμήλια porcis proiiciat:

 ita

ita nec Deum auaris et voracibus hominibus, qui nihil concedant aliis indigis, ſed ſoli ſua abſumant bona, ſua etiam daturum bona. Wollen ſie andern Menſchen nichts gönnen, ſondern vor ſich alles einſchlucken und auffreſſen, ſo wolle es GOtt mit ſolchen freßigen Säuen wieder ſo machen und ihnen nichts geben. Ignominioſis illis characteribus *canis* et *porci* auaros et inuidos egregie depingit Chriſtus. Inſimul talionis ius iuſtumque Dei iudicium, qui optima etiam illis aliquando ſit denegaturus bona, clare illuſtrat.

Ad verſ. 13. et 14.

Communis apud omnes gentes eſt virtutis et vitiorum fata depingendi figura, deſumta a *via anguſta*, a paucis quaeſita, et lata, a maxima turba trita: vt *anguſtam* viam ad beatitudinem aut felicitatem ducere dicerent, *latam* vero et *ſpatioſam* ad interitum. Quibus difficultatem quandam in ſtudio virtutis ac contendendi conatum notarunt, vanas vero in vitiis voluptates et vagam peccandi libertatem deſignarunt. Pinxerunt enim beatitudinem ex virtute ortam ſub idea *arcis excelſae*, et ex vitiis oriundum interitum ſub forma *abyſſi*. Pari fere ratione Iudaei veteres beatitudinem aeternam depinxerunt ad exemplar arcis et palatii aut ſplendidae vrbis atque horti aut paradiſi. Hinc integri apud illos libri ſcripti de *portis paradiſi*. Similiter et infernum figurarunt forma carceris, in quo multa ſceleratorum et damnatorum receptacula. Vnde et libri apud Iudaeos de *portis Gehennae*.

Ad Matth. VIII, 12.

Filios regni vocat Iudaeos tunc in terra Canaan ibi praeſentes, vbi Chriſtus, Iudaeorum Rex, de regno ſuo cum illis coram egerat. Eſt autem appellatio aut phraſis haec Iudaeis familiariſſima, vt *filii* dicantur illi, *in quorum* quid *eſt manibus, ad quos* aliquid *pertinet*, ſiue velint, ſiue nolint. Sic *filii regni* vocantur Iudaei tunc praeſentes, quibus Chriſtus regnum ſuum addixerat, obtulerat et nunciauerat, in quod ius haberent, modo vti vellent. Quo nomine praeſentes Iudaeos, qui iam potiri regno Chriſti poſſent, etſi nollent, falſo tamen regnum ſibi pollicen-

licentes, diſtinguit ab illis Iudaeis, qui in exiliis per Orientem et Occidentem diſperſi, de regno nihil adhuc audiuiſſent. De his enim ante egerat verſ. 11. eosque ex Oriente et Occidente aliquando aduenturos dixerat, ac cum Abrahamo, Iſaaco et Iacobo ad menſam in regno accubituros. Quibus verbis alluſerat Chriſtus ad hypotheſin et communem Iudaeorum opinionem: ſuſcitato regno Meſſiae, quod terrenum expectabant aut in terra Canaan reſtaurandum, totam gentem Iudaicam iri reuocatum ac in terram aut patriam ſuam reſtitutum. Sic ergo ab Oriente et Occidente reſpectu terrae Canaan aduolaturos ſperabant vniuerſos. Et rurſus quidem reſuſcitatum iri credebant defunctos ex gente Iudaica, vt maiores ſimul cum nepotibus in regno Meſſiae comparerent. Cum in terram Canaan inſtaurandum hoc regnum putarent, menſas lautiſſimas aut vitam iucundiſſimam, ſine peccato tamen, in regno Meſſiae ſibi pollicebantur. Quibus opinionibus conniuet Chriſtus, et phraſibus ſeruatis, ſaniorem veterum a primis formularum autoribus intentatum ſenſum de Eccleſiae felicitate tenet. Nec enim prudentia Chriſti permittebat, conſuetas populi in religione et fide formulas mutare, et totam a ſe abalienare gentem. Illos igitur exteros Iudaeos aut exules, non quidem omnes, ſed multos, aduenturos aliquando dicit ad regnum, h. e. Eccleſiae aſſociandos; ſed praeſentes Iudaeos, qui regnum ſibi pollicerentur eoque iam potiri poſſent, aut Eccleſiae commodis frui, ingratos, Chriſtum repudiantes, fidem negantes, a communione regni aut Eccleſiae excludendos. Ad poenam hanc deſcribendam adhibet iterum Chriſtus communes et populo Iudaico vſitatas formulas. Vti enim alias facinoroſi plectendi in carceres coniiciuntur, vbi in vinculis luce careant et frigoris iniuriis premantur: ita poena, ab impiis incredulis ſumenda iuſto Dei iudicio, vel olim in inferno, vel et adhuc in terris, tali carceris ſolet deſcribi idea. *Coniici* igitur *in tenebras exteriores* eſt, in carcerem et infima, vltima ac remotiſſima obſcuriſſimaque eius receptacula coniici, ins tiefeſte und finſterſte Loch geworfen werden. Ibique *fletum et ſtridorem dentium* fore, eſt, in carcere infimo et tenebroſiſſimo inſuperabiles fore anguſtias, vt lacrimis calamitatem ſuam ſatis deplorare nequeant, et ex inclementia rigidi aëris, accedente

 pauo-

pauore, dentes quatiant et collidant. Qua figura grauiſſima carceris poena deſcribitur ſumenda a Iudaeis incredulis. In antiquo libro Iudaico שַׁעֲרֵי גֵּיהִנָּם, *portae inferni*, deſcribuntur eiusmodi imaginibus poenae infernales, et in carcere vnum antrum profundius, caliginoſius ac triſtius dicitur altero. Quibus gradus aliqui poenarum figurantur, qui et alibi in Nouo T. attinguntur.

Ad verſ. 28. vsque ad 32.

Cum Chriſtum furioſi daemoniaci conſpexiſſent in regione Gergeſenorum, obuiam illi facti, exclamarunt, nihil Chriſto eſſe cum ipſis. Cum enim eſſet gentilium regio, Iudaeis autem cum gentilibus nihil alias commercii, hoc ergo vrgent daemoniaci furentes, ac Ieſum Iudaeorum eorumque Meſſiam fatentur, ſe vero gentiles nihil cum illo habere iuris et commercii innuunt. Quae communis apud Iudaeos et gentiles erat opinio. Quaerunt autem daemoniaci, cur in eam gentilium regionem venerit, vt gentiles perderet? Vulgata namque Iudaeorum opinio et magna ſpes erat, Meſſiam in regno ſuo inſtaurando gentiles perditurum ac deleturum. Ad hanc Iudaeorum ſententiam collimabant daemoniaci illi gentiles, ac pro gente ſua vniuerſa ſiue gentilibus, eorumque triſti fortuna imminente, ſolliciti, quaerebant, an iam eo fine in illam ſuam regionem ethnicam veniſſet, vt gentiles perderet? Pronomen namque ἡμᾶς, *nos*, in daemoniacorum quaeſtione, non ſolum eſt perſonae, ſed et gentis: vt non pertineat ad ſolos duos illos daemoniacos, ſed ad gentem et nationem horum daemoniacorum. Ex qua daemoniacorum quaeſtione elucet metus interitus, quem ethnicis imminere ex ſententia vicinorum Iudaeorum crederent. Hic metus hos daemoniacos mitigauit et ad confeſſionem fidei impulit, vt Ieſum Meſſiam agnoſcerent. Quod autem dicerent, cur Ieſus, Iudaeorum Rex, veniret in regionem ethnicam, perditum ethnicos ante tempus, reſpiciunt iterum ſententiam Iudaeorum, qui tum demum gentiles perdendos putabant, cum regnum Meſſiae eſſet inchoatum. Mirantur itaque cum tremore, qui fiat, quod Ieſus, Iudaeorum Rex, tam cito et mature ad ethnicos perdendos veniat, regno Iudaico nondum ſuscitato. Dum autem rogarunt, metu iam preſſi et ſubacti, et ad fidem compulſi, furore ta-

men

Digitized by Google

men daemoniaco adhuc correpti: an liceret in gregem porcorum poſtremo inuolare? metus daemoniacos illos gentiles furentes ad hoc conſilium adegit, quaſi gratiam quandam Chriſto, Iudaeo, facerent, deletis porcis gentilium, vtpote a quibus Iudaei abhorrerent. Dum Chriſtus hunc daemoniaci furoris finem et terminum indulſiſſet, daemoniaci illi praecipiti curſu, ſiue fuſtibus prehenſis, ſiue manibus panſis, ſiue clamore incondito, in gregem porcorum inuolarunt, ac ad mare vicinum Galilaeae magno furoris motu adegerunt: vt totus porcorum grex praeceps in mare ageretur et extingueretur.

Ad Matth. IX, 20.

Attigit foemina τὰ κράσπεδα veſtimenti Chriſti. Quae erant *peniculamenta* pendentia ad oram veſtium, ציצית appellata. Cum nulla in Iudaeis ſit veſtis quatuor angulos habens, cui non ſint annexa et appenſa in terram profluentia fila aut peniculamenta. Quae religionis apud Iudaeos erant character, et hodienum apud Iudaeos ſunt vſitata. Chriſtus enim non ritus conſuetos nude abieciſſe vnquam legitur, ſed ab abuſu liberaſſe. Tulit itaque cum ceteris conſueta religionis indicia et veſtigia, adeoque et in veſtibus peniculamenta, vt ex hac et aliis hiſtoriis abunde patet.

Ad Matth. X, 14.

Impoenitentes et praefractos, qui diſcipulos, in itineribus et munere Euangelico occupatos, recipere vel audire nollent, non dimittere iubet ſine declaratione poenae Deo dandae. Ex domo et vrbe egrediantur et veſtimentorum puluerem excutiant. Quod et ab Apoſtolis factum patet ex cap. XIII, 52. et cap. XVIII, 6. Actorum. Petitum autem hoc ſymbolum declarandae irae et poenae videtur ex ritu apud Iudaeos vſitato in denegato matrimonio, officio et vinculo inter fratrem et fratris defuncti vxorem. Cum enim frater fratriam ducere nollet, iniunxerat Moſes, denegati officii et amoris iniuriam ignominioſo ritu vindicare. Debebat enim foemina exuere calceum viro malo et ingrato, amoris experti, et coram calceo in terram exſpuere, additis minis: *Sic tractetur et aeſtimetur is, qui fratri defuncto officium et amorem in relicta vidua denegat.* Quae magna viri

ignominia cum minis vindictae diuinae coniuncta erat. Ad exemplum huius ritus iuſſiſſe videtur Chriſtus, excutere veſtes et calceos in ignominiam vrbis et domus, quae fidem et amorem ipſis denegaſſet, additis minis et vindictae diuinae ſignificatione: *ſanguis veſter ſuper vos*, quod eſt, *digna vos manebit poena.*

Ad verſ. 25.

A reditu Iudaeorum ex captiuitate Babylonica Doctores eorum ſingulis rebus attribuerunt *ſpiritus*, eosque certis inſigniuerunt nominibus, ex natura rei deſumtis. Sicuti ergo ignominioſa eſt appellatio rei, ſi vocetur *ſtercoris* nomine, quemadmodum Prophetae ceterique Iudaei *idola* appellabant: ita rem ſumma ignominia notandam inſigniebant Iudaei nomine *ſpiritus ſtercorei*, h. e. *fanatici*, in gentilibus idololatris, pythonibus furentibus, atque ita etiam mira patrantibus. Chriſto ergo et hunc ſpiritum tribuunt, quaſi Chriſti actiones inſolitae ex eodem ſpiritu proficiſcerentur, ex quo ſacrificulorum inter gentiles aut magorum facta prouenirent. Et hanc quidem artium magicarum ſuſpicionem blaſphemi Iudaei in ſuis adhuc libris repetunt.

Ad Matth. XI, 12.

Βιαςὰς vocat primates Iudaeorum, ſui et verbi aduerſarios, qui regnum aut Euangelium non ſolum non admitterent ipſi, ſed et *premerent*, et *violenta manu ſupprimere* conarentur: quippe omni modo doctrinam Chriſti e medio tollere contendant. Hos ergo ſui et diſcipulorum adeoque Euangelii perſecutores reprehendit, quod curſum Euangelii turbent et inhibeant. *Rapere* et *diripere* illos *regnum Dei* ait, quod eſt, Phariſaeos ceterosque Iudaeos praefractos more *praedonum* hoſtili manu affectuque ferri aduerſus Euangelium, id perditum et extinctum.

Ad verſ. 14-19.

Quod Iohannem, regni Chriſti praecurſorem, praeconem et praeſentis nuncium appellet *Eliam*, qui crederetur venturus, eo reſpicit Chriſtus hypotheſin Iudaeorum vulgatam. Traditio namque erat notiſſima in populo de aduentu Eliae ante aduentum Meſ-

Digitized by Google

Meſſiae. Cui traditioni autoritatem ex ipſa Scriptura conciliare conarentur ex Malachiae III. vbi Elias dicitur venturus. Ex quo loco hypotheſin ſuam de Eliae Thisbitae aduentu roborare ſunt annisi. Vnde in verſione graeca Malachiae expreſſe additur: *Elias Thisbites veniet.* Quae eſt aperta Iudaeorum hypotheſis textui inſerta, de Eliae Thisbitae Prophetae reditu: Quem et hodie anxie expectant Iudaei, deque eo in omnibus ſuis libris magna ſibi pollicentur. Chriſtus, memor Iudaicae opinionis, omnem excuſationem Iudaeis praecluſurus, nihil deſiderari ait, quod in regni initio expectaretur. Praecurſorem et nuncium regno praeeuntem omnino iam adeſſe, Iohannem, eumque Eliam ab ipſis expectatum. Quo ipſo Iudaeorum opinioni nonnihil conniuens, in ſaniorem ſenſum traditionem deflectit. Non prophetam fore Eliam Thisbiten, ſed alium pari ſpiritu et affectu praeditum, poenitentiam ſuadentem et impoenitentibus poenam Dei nunciantem, more et exemplo priſci Eliae Thisbitae. Qualis tropica locutio eſt vulgatiſſima. Iudicii temeritatem de ſe et Iohanne graui epiphonemate damnat Chriſtus. *Sapientia*, inquit, ſiue ſapientiſſimus cum Iudaeis agendi modus, duriter et molliter eos tractandi, per Iohannem et ſe, prout Iudaeorum ſtatus requireret, *reprehenſa* et a Iudaeis, iudicium ſibi arrogantibus, *reprobata* et *damnata eſt*, cum ſibi ſint viſi ſapientiſſimi. Magnus, inquit, hic iudicii lapſus apud Iudaeos. *Sapientia* hic notat modum docendi et informandi Iudaeos ſapientiſſimum et optimum, a ſe et Iohanne adhibitum. Ille docendi et vel duriter vel molliter Iudaeos tractandi modus, a Iohanne et Chriſto adhibitus, temerario iudicio reprehenſus eſt a Iudaeis et ignominia exceptus. *Filii ſapientiae* dicuntur Iudaei, qui ſibi perſuadebant, ſe eſſe ſapientiſſimos, qui nec Iohannis nec Chriſti rationem docendi et viuendi rectam et probandam putarent; qui in omnibus rectius ſentire et agere ſcirent. *Filius* enim *ſapientiae* eſt, qui ſibi perſuadet, ſe eſſe ſapientem, ſiue vere ſiue falſo. Inanem igitur ſapientiae perſuaſionem in Iudaeis oblique damnat Chriſtus, qui nec Iohannis nec Chriſti monitis et vel minis vel precibus moueri ſe ſinerent, nec illis opus eſſe iudicarent. Quam impudentiam Iudaeorum ac impoenitentiam ſeuerius mox corripit, duriſſimis minis additis.

Digitized by Google

Ad Matth. XII, 17-21.

Prohibuerat Chriſtus v. 16. ne ſanati a Chriſto Chriſtum patefacerent. Quae erat magna humilitas. Hanc itaque arrogantiae et gloriae fugam in Chriſto commendat Euangeliſta vaticinio. Praedictam fuiſſe ab Eſaia hanc in Meſſia humilitatem et iactantiae fugam, qui regni ſui negotia absque pompa et faſtu leniter eſſet confecturus, non ſua facta iactaturus et ſtrepitum gloriatione excitaturus, ſed quiete et tranquille cuncta peracturus. Ὅπως, *vt*, non *finem* et intentionem notat: quod Chriſtus voluerit ideo celari ſua facta, vt poſſet impleri praedictio; ſed *euentum* et *caſum* importat: quod dum Chriſtus voluerit latere ſua facta, eo ipſo impleturus ſit Eſaiae locum, qui de ſtrepitus fuga agit. Eſt autem adhuc hodie plerorumque Iudaeorum ſententia de hoc loco Eſaiae cap. XLII. quod agat de Meſſia. Vti et Targum, antiquiſſima interpretatio, temporibus Chriſti fere maior aut ſuperior, ad Meſſiam refert. Vt Matthaeus merito et apte ex Iudaeorum hypotheſi communi locum alleget. Dicitur autem *dilectus* ille (conferatur Matth. III, v. 17. et Cap. XVII, v. 5.) *nunciaturus ſententiam*, *iuſtum regimen*, *iuſtitiam et rectitudinem factorum*. Quod eſt: efficiet, vt gentes agnoſcant iuſtiſſimam ſuam cauſam, rectiſſima ſua facta et regni ſtatuta; vt videant et intelligant, recte et iuſte ab eo cuncta geri et regnum bene gubernari. *Non contendet*, non more et affectu litigantium effera voce pro ſuis factis contendet, eaque praedicabit et collaudabit. Neque praeconem aget ſuarum rerum glorioſum, neque iactabundus ſua vbique diuulgabit facta. Tribus his formulis, eandem rem deſignantibus, ſubiunguntur figurae, quibus magis illuſtretur iactantiae et ſtrepitus inanis fuga. *Arundinem quaſſatam* aut *contuſam non fracturus* dicitur. Quae eſt tranquillitatis exaggeratio, quod ne talem quidem ſonum aut ſtrepitum gloriatione ſua ſit excitaturus, qualem tinnitum arundo leuis et fere contrita reddat, ſi qua frangatur. Qui arundinis fractae ſtrepitus admodum leuis et breuis eſt. Similis eſt figura altera, dum *linum fumigans non extincturus* dicitur. Quod eſt: ellychnium aut tenuem candelam, vnde fumus cum luce exiguus redeat, flatu non extincturus eſt. Quae eſt noua quietis et tranquillitatis exaggeratio, et iactantiae ac ex vanae gloriae cupidi-

ne

ne ſtrepitus extenuatio. Quod ne talem quidem ſtrepitum ſua iactantia ſit excitaturus, qualem in ellychnio extinguendo flatus oris referat: qui ſibilus aut ſonus eſt tenuiſſimus. Inque ea modeſtia et gloriae fuga perſeueraturum illum dicit, vsque dum regnum firmauerit, vt iuſta ſua cauſa victoriam reportet.

Ad verſ. 43-45.

Impoenitentiam Iudaeorum creſcentem depingit graui figura, a *daemoniaci* aut *furioſi* exemplo deſumta. Sicut daemoniacus aliquis, liberandus a furore ſuo, oberret in ſyluis et deſertis, quaerens requiem, nec inueniat, ideoque ad ſaniorem mentem rediturus, redeat in domum, vnde aufugerat, quae interea ſit a reliquis domeſticis in abſentia furioſi purgata et ornata, reuerſus autem priſtino corripiatur furore, vt ſepties amplius furat et frendeat: ſic comparatum vere eſſe cum populo Iudaico. Talem etiam euentum fore, ait Chriſtus. Ante aduentum nempe et praedicationem Chriſti miſerrimus populi fuerat ſtatus, qui in Iohannem iam inueherentur more daemoniaci et furioſi. Verum cum tempus eſſet, quo liberari deberet a malitia ſua et in integrum reſtitui, adueniente Meſſia, qui illos a miſeria quaſi daemoniaca erat liberaturus, Meſſiam quidem audiuit, a quo requiem impetrare deſideratam poſſet, ſed illam a Chriſto oblatam requiem non admiſit. Quare omnis ſpes quietis deſideratae et a Meſſia expectandae, quin et exhibitae, euanuit. Vt adeo populus Iudaicus, poſthabita Meſſiae gratia et oblata quiete, ad ſuam malitiam reuerteretur, multoque euaderet peior et turbulentior. *Impurus ſpiritus exiturus* notat ſtatum praedicationis, a Iohanne inter Iudaeos factae. Cum enim Deus conſtituiſſet redimere populum ſuum totumque orbem, rem inter Iudaeos orſus, Iohannem primum excitauit, qui impurum Iudaeorum ſpiritum, quo eſſent affecti, ſ. prauitatem et malitiam ſummam, redargueret, damnaret et nunciata poenitentia ex cordibus eorum eximeret. In eo itaque fuit Iohannes, vt progeniem illam ſerpentinam a peccatis liberaret poenitentiae praedicatione. *Oberrare* autem dicitur *ſpiritus immundus*, h. e. *homo immundo ſpiritu agitatus*, a ſpiritu illo liberari cupiens, ſpiritus immundus cum ſuo ſubiecto aut homine, in quo eſt.

Tri-

Tribuitur autem ſpiritui error aut oberratio aut diſcurſitatio daemoniaci. Quo exemplo ſtatum peſſimorum Iudaeorum magis deſcribit: quod etſi liberari voluerint et optauerint a ſua prauitate et miſeria, Iohanne primum audito, qui in deſertis poenitentiam nunciaret, veram tamen requiem aut a ſua miſeria liberationem in Iohanne non inuenerint aut ab eo impetrauerint. Poenitentia enim terret quidem et quatit, vulnerat et lacerat, ſed non dat requiem et conſcientiae tranquillitatem. *Domus* interea, dum oberret ille in deſertis, *purgata, mundata* et *ornata,* notat ſtatum gratiae et Euangelii in Chriſto. Quod, cum Iohannes praedicaſſet poenitentiam, Chriſtus interea coeperit in populo verbo et praedicatione purgare, ornare et comere domum aut Eccleſiam Iudaicam, gratia Dei et beneficiis maximis nunciatis, exhibitis et confirmatis. Quo ipſo adeo officium et ſtudium Chriſti in populum Iudaicum deſcribitur, qui mundare ſuo Euangelio et ornare continua eius praedicatione omni ſtudio annifus ſit Eccleſiam Iudaicam. Spiritus immundi aut ſpiritu immundo praediti ſententia de reditu ſuo ad domum, notat publicum deſiderium de emendatione Eccleſiae per Meſſiam; ipſe vero reditus et mundatae et ornatae domus inſpectio, denotat conuictionem conſcientiae de Meſſiae praeſentia eiusdemque Euangelio ſ. gratia et beneficiis. Senſit enim abunde populus Iudaicus gratiam Chriſti oblatam, ad quam antea adſpirauerat et anhelauerat, etſi dein non frueretur, ſed repudiaret. Spiritus immundus, aut ſpiritu immundo affecti ſtatus in domo mundata et ornata, ad quam reuerſus, deſignat ſtatum Iudaeorum tempore Euangelii Chriſti, ſub praedicatione gratiae, ſeu in Eccleſia a Chriſto redintegrari coepta et beneficiis ſuis ornata: vno nomine, quomodo Iudaei ſe geſſerint erga Euangelium nunciatum et a Chriſto praedicatum; quem animum habuerint in fortunatiſſimo Eccleſiae renouatae et per Chriſtum reſtitutae ſtatu. Abiiſſe nempe dicitur ſpiritus immundus aut ſpiritu immundo affectus et deteriores multo ſpiritus aſſumſiſſe ſecum, et domum mundatam occupaſſe. Quae eſt deſcriptio ſummae ingratitudinis, ſtultitiae et malitiae Iudaicae: quod Iudaei ingratiſſimi et malitia ſua excoecati, Chriſti Euangelium omnemque beneficiorum Chriſti mundum et ornatum animo promto

acci-

Digitized by Google

accipere, et quiete aut gratia a Chriſto oblata frui detrectauerint. Potuiſſent frui quiete in domo mundata, frui gratia Dei in Eccleſia renouata. Sed noluerunt. Neque ſuffecit, quod gratia Dei ac tranquillitate frui noluerint. Acceſſit ſeptuplo maior malitia Iudaeorum. Coeperunt enim aduerſari prorſus Euangelio et priſtinam malitiam arguere, furere magis et iniuriam Euangelio inferre. Vt tempore Chriſti et in luce Euangelii nequiores eſſent, quam vnquam antehac. Quam malitiam magis adhuc auctum iri pronunciat, vt indurati pertinaciter Euangelio ſint aduerſaturi. Vnde paucis verbis fit applicatio Chriſti: quod talis ſit futurus miſerrimus Iudaeorum praeſentium ſtatus, qualis in tali daemoniaco appareat. Qui eſt dolor de induratione Iudaeorum malitioſa.

Ad Matth. XIII, 55.

Filius artificis apud antiquos Iudaeos eſt *inſtructus a viro prudente* in rebus dubiis, quas poſſit ſoluere. Nos *Politicum* vel *Conſiliarium* aut *Senatorem* diceremus. Vt non tam *architectus* vel *faber lignarius* fuerit pater, quam *vir rerum ciuilium peritus. ICtus* noſtro ſtylo. A quo patre non plebeio, ſed rerum ciuilium conſcio, nomen datum Ieſu, phraſi conſueta, quod diceretur *filius artificis*, non in re manuaria, ſed negotio ciuili ac morali, *filius ICti, ICtus.* Cum igitur Chriſtus diſſereret de rebus ſacris tam diffuſe, accurate et eleganter, mirati ſunt ciues eius in patria theologicam hanc in eo ſcientiam, qui a patre politico, a ICto eſſet educatus. Vnde mirantur in eo ſapientiam non abſolute, ſed hanc praeciſe, nempe theologicam, vna cum ſtupendis ſpiritus operibus et gradibus ac miraculoſis factis, quae ab homine ciuilibus rebus dedito expectari non poſſent.

Ad Matth. XIV, 25.

Nox profunda apud veteres Iudaeos fuit diuiſa non in horas breuiores, ſed tria interualla. Spatia vocarunt *vigilias*, quae ſuis a Iudaeis inſigniebantur nominibus aenigmaticis. Prima dicebatur *aſinus rudens*, altera *canis latrans*, tertia *mulier colloquens cum marito* et *infans ſugens.* *Gallicinium* etiam dicebatur

tur tertia. Hae tres *vigiliae* erant profundae noctis. Poſt has erat quarta *vigilia*, quae matutinum tempus attingit et ad noctem quidem pertinet, ſed non ad *profundam noctem*.

Ad Matth. XV, 2.

Innumeris traditionibus vel legibus de certis ritibus et religionis cancellis ſcatebat Iudaiſmus. Praeter Moſis conſtitutiones, poſt captiuitatem Babylonicam a praeſidibus Iudaeorum et ſacrorum directoribus millena alia in ſacris facta decreta. Quibus distenta ſunt grandia rituum et traditionum volumina. In his conſtitutionibus eccleſiaſticis, a ſupremo Iudaeorum Conſiſtorio factis, erat *lotio manuum*: quae conſtitutio a praeſidibus facta eſt primitus non malo ſine, ſed pro neceſſitate ſtatus, tum praeſentis. Cum enim in calidioribus regionibus plus ſit ſudoris adeoque impuritatis ex ſudore non deterſo; at vero impuritas omnis, oris ac manus, non ſolum indecora, ſed et ſenſibus vel et totius corporis ſanitati officiat: conſulere decretis voluerunt antiſtites ſordibus vulgi detergendis et mundiciei curandae. Eaque conſtitutionis veneratio mox in religionem ſuperſtitionemque abiit. Praeterquam vero, quod de lotione manuum matutina ante preces multa fecerint decreta, ſpeciatim de *lotione manuum* ante menſam ſunt ſanctiones multo plures, in magnis ritualium Iudaicorum libris ordine recenſitae.

Ad verſ. 3.

Expreſſa eſt haec Rabbinorum in multis caſibus ſententia: *Lex Dei vel Moſis cedit, dum rigor traditionis poſtulat.* Quanquam enim per ſe improbari non posſit, a poſterioribus antiſtitibus, pro ratione reipublicae et Eccleſiae, in aliquibus legibus mutata conditio, vt vel ſint reſtrictae vel extenſae; nihilominus aduerſari non debent nouae conſtitutiones Eccleſiaſticae antiquis et moralibus. Licentia interim per ſe conceſſa, leges etiam ſacras ceremoniales latas limitandi aut reſtringendi, anſam dedit Iudaeis legem moralem violandi praetextu nouae legis ceremonialis: vt maius in populo eſſet ſtudium conſtitutionum Eccleſiaſticarum, quam legis moralis.

Ad

Digitized by Google

Ad verſ. 5.

Abuſus illius manifeſtum et notabile exemplum Phariſaeis obiicit Chriſtus. Lex moralis eſt, parentes eſſe amandos, colendos, alendos ac ſuſtentandos. Lex ceremonialis erat, ſacrificia eſſe offerenda, eaque, ſi ſint promiſſa, eſſe praeſtanda. Ad ſacrificia vero pertinebant oues, boues, variaque genera animalium, fructuum, ciborum, quae facerent alias ad vitam ſuſtentandam. In praeiudicium igitur prioris legis moralis de ſuſtentandis et iuuandis parentibus, prouocabant ad rigorem legis ceremonialis, adeoque parentibus ſubducere victum non putabant nefas, dummodo ſacrificia facere et ſacra externa praeſtare viderentur. Per *munus* intelligi *ſacrificium*, ex lege Moſis et Iudaeorum ritibus abunde conſtat. Parentibus ergo ſubtrahentes victum profano hoc et impio vtebantur praetextu: ſacrificio eſſe deſtinatum illud, quod parentes ad victum ſuum a filio expectarent vel deſiderarent.

Ad Matth. XVI, 17. et 18.

Caro et ſanguis phraſi Iudaeis vſitatiſſima notat *homines*, et quidem plerumque tenuis conditionis. Vnde ſaepe opponitur in Nouo Teſt. magnatibus, vel ipſi Deo, vt hoc loco. Conf. *Gal.* I, 16. vbi *caro* et *ſanguis* vocantur homines, quibuscum negotium ſuum non contulerit Paulus: id quod vel ex v. 1. patet, vbi ſe Euangelium non accepiſſe *ab hominibus* dicit. Quod et confirmat c. II, 6. Videatur etiam *Epheſ.* c. VI, 12. Suam igitur cognitionem de Chriſto Petrum adeptum eſſe *non a carne et ſanguine*, eſt, *non ab homine*. Quare additur, *ſed a Patre coeleſti*. Non autem nuda illa cognitio hiſtorica putatur, quam plures etiam ex Iohanne Baptiſta habere potuerant, qui Ieſum eſſe Meſſiam palam pronunciauerat, ſed fiduciam et fidem Petri, vel cognitionem ſolidam et immotam in fide fundatam. Quare fiducialem illam cognitionem de Chriſto laudat primum Chriſtus in Petro, dum ad eius nomen alludit: *Tu es Petrus*. Quod idem eſt, ac: tu firma ac ſolida fide es praeditus, vt merito ab illa fide firma immota dicaris *Petrus*, *ſaxeus* et firma fide imbutus de me et regno meo. Sic commendat primo Chriſtus in Petro fidei robur. Idque maxime ex eo, quod fides illa Petri

eſſet

eſſet diuina. Poſt haec commendat Chriſtus amplius et illuſtrius fidem eiusque robur, occaſione firmae fidei Petrinae: quod talis firma fides, qualis eſſet in Petro, egregie ab eo iam prodita, ſit futura immotum eccleſiae fundamentum. Pronomen ὗτος non ſemper *identitatem* aut *rem praeſentem* notat, ſed ſaepe *paritatem, aequalitatem, conformitatem cum re praeſenti*: vt τὸ *hic* ſit idem ac *talis, ſimilis*, ſolch, dergleichen, eben der Art, ſolcherley. Ita et hoc loco ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, *ſuper hac petra*, ſ. *ſuper tali*, τοιαύτῃ, *petra* ſeu fide, ſic comparata, vt fides in Petro iam prodita, quae ſit ſolida, firma ac diuina. Vt vera firmaque fides in Chriſtum Dei filium dicatur baſis, ſuper quam ſit ponenda Eccleſia. Quo pacto fundamentum Eccleſiae, in fide poſitum, reſoluitur in ipſum Chriſtum: vt Chriſtus fide apprehenſus ſit baſis Eccleſiae et lapis eius angularis. Conferatur *Epheſ.* II, 19. 20. 21. 22. et cap. III, 17. 18. 19. De fidei robore cum egiſſet, iam porro Eccleſiae quoque robur, ex fidei robore ortum, praedicat. Soliditatem illam ac firmitatem Eccleſiae, vera fide in Chriſtum praeditae, declarat figurata locutione: *Portae inferorum non praeualebunt Eccleſiae*, ſic in fide fundatae. Qua phraſi felicitatem Eccleſiae et immunitatem ab omnibus iniuriis, maxime vero mortis, deſcribit. Quod Eccleſia illa, ſic in fide Chriſti fundata, non ſit extinguenda, ſed omnes hoſtium inſultus ac perſecutiones ſuſtinere queat. Totus autem figurae ſenſus huc tandem redit, quod ſit Eccleſia Chriſti futura immortalis. Quae eſt vitae aeternae promiſſio. Vox ᾅδης notat generatim *ſtatum hominis poſt mortem*, adeoque et *ipſam mortem*. Quod autem morti tribuantur *portae*, fit ex ſtylo Iudaeorum figurato, qui mortem deſcribunt tanquam hoſtem robuſtum. Conferatur 1 *Cor.* XV, 26. Iam vero munitio vrbium olim erat poſita maxime in portis munitis. *Porta* igitur *mortis* aut *inferorum* eſt *vis mortis*. Vim mortis vero non praeualituram Eccleſiae, eſt, pios et credentes, etiamſi moriantur vel per aduerſarios extincti, non manſuros in morte, vt Chriſtus alias dicit, ſed reſurrecturos ad vitam et in aeternum cum Chriſto victuros. Quae eſt promiſſio vitae aeternae.

Digitized by Google

Ad Matth. XVII, 20.

Vim fidei exaggeraturus et diſcipulis commendaturus Chriſtus, phraſi vtitur Iudaeis conſueta. Hyperbolica locutio apud Iudaeos fuit vſitatiſſima de magna doctorum virtute, qui ſua doctrina magna et inſolita posſint praeſtare, dum magnum doctorem vocarunt עוֹקֵר הָרִים *eradicatorem montium.* Pari ratione et diſcipulos magna per fidem praeſtituros, dicit Chriſtus, phraſi adhibita vſitata de *eradicandis et transplantandis montibus.* Ad quam phraſin gentis reſpicit etiam Paulus in Epiſt. ad Corinth. dum fidei indolem deſcribit, munitam aut roboratam amoris fructu: non iuuare vberrimam et accuratiſſimam de fide ſcientiam, quae magna omnino posſit praeſtare, niſi amor adſit.

Ad Matth. XVIII, 6.

Per *paruulos* intelligi Chriſti diſcipulos, notum eſt, nempe ex forma aut conditione vitae externa et ex iudicio ceterorum, quod parui fierent a Iudaeorum magnatibus. Per *ſcandalum* intelligitur *afflictio.* Vt ſenſus ſit: Qui preſſerit, torſerit, afflixerit diſcipulos, poenam luet grauiſſimam. Perſecutorum et diſcipulos Chriſti prementium facinus indignum illuſtrat exemplo *ſubmerſionis:* quod ſatius ſit, tales mergi vndis, quam ſubire huius ſceleris pericula. Submerſio autem refertur pro more conſueto ad vicinum mare mortuum, in quod proiici dicebantur res abolendae. Erat autem hoc mare ob innatans bitumen cortice quaſi veſtitum, vt, quod iniiceretur, non mergeretur, niſi onere lapidum eſſet grauatum.

Ad Matth. XX, 22.

Duae ſunt quaeſtiones: de *poculo* et *baptiſmo.* Quaerit Chriſtus: an ſuum *poculum* posſint bibere hi duo fratres, quod ipſe bibiturus eſſet? Quae quaeſtio in auribus diſcipulorum ſonabat de ſplendida Meſſiae menſa, quam in nouo regno expectabant Iudaei. Ad quam menſam lautiſſimam aliquoties alluſit Chriſtus. Quare promtiſſimi diſcipuli et epularum in menſa Meſſiae auidiſſimi, lubentes annuerunt, et ſe id facturos affirmarunt. Altera quaeſtio de *baptiſmo*, quo Chriſtus eſſet baptizandus, reſpicit conſuetudinem in coenis et conuiuiis. Ne-

Digitized by Google

que enim ad menſam accedere fas erat inter Iudaeos, niſi praecederet lotio manuum et pedum. Quae lotio βαπτισμὸς dicta; ſicuti et vaſorum *clutio* dicebatur βαπτισμός. Quaerit igitur Chriſtus: an, cum ad menſam ſuam in regno ſuo ſint accubituri ſecum et idem *poculum* hauſturi, eandem etiam cum Chriſto *lotionem* ſint admiſſuri? Cum diſcipuli non niſi menſam lautam animo conciperent et rituum lotionis non eſſent ignari, annuerunt et hoc ſponte, vtrumque non magnae fore difficultatis et moleſtiae, ſibi perſuadentes. Ceterum cum Chriſtus cum ore, tum phraſi gentis diſcipulos lactaſſet, viſus eſt etiam vtrumque illis concedere, cum ex reſponſione affectum eorum erga ſe obſeruaſſet. Fiet, inquit, vt et *poculum* meum, quod bibam, bibatis, et *lotionem*, quam ſubibo, ſubeatis ante menſam. Qua indulgentia prudenter firmius ſibi adunit Chriſtus diſcipulos. Etſi vero diſcipuli lautam ſibi menſam imaginarentur, Chriſtus tamen ſub phraſi conſueta non dapes, ſed *calamitates* intellexit, quae et *poculum* et *acris lotio* dicebantur. Vt potius calamitatum eos ſecum fore participes innuerit Chriſtus, cum ſibi delicias promitterent diſcipuli.

Ad Matth. XXI, 8. 9.

Cum ex Galilaea Hieroſolymam ad feſtum Paſchatos petentem Chriſtum comitata eſſet magna Iudaeorum turba, feſtum itidem petitura, vidiſſetque in itinere miranda Chriſti facta, reſuſcitationem praecipue Lazari, Bethaniae factam, non potuit diutius ſe continere, quin gaudium ſuum et de imminente regno ſpem patefaceret. Quare cum ſumma feſtiuitas in populo eſſet feſti tabernaculorum, hinc partem feſtiuitatis repetunt. Qua propter frondes aut ſpatas palmarum aliarumque arborum vicinarum in monte olîueti amputant, et partim manibus ferunt, partim *iuxta viam* (ἐν τῇ ὁδῷ, an dem Wege) tabernacula parant ex frondibus terrae infixis et ſurſum inflexis. Illis tabernaculis ex frondibus paratis inſtratae veſtes aut pallia, quibus amicti erant Iudaei. Altera pars pompae, ex celebritate feſti tabernaculorum petitae, fuit fauſta acclamatio conſuetae formulae ex *Magno Hallel*, et quidem ex Pſalmo CXVIII. v. 25. et 26. Vox *Hoſanna*, ex laudato Pſalmo deſumta, ingeminabatur aliquoties in feſtiuitate laudata. Cum igitur notet votum liberationis, (*ſerua nos, quaeſo, libera*

libera obſecro!) eo teſtatur turba ſuam de Ieſu ſpem, qui ſit liberator populi futurus, accinitque hoc canticum vulgatum et ſolenne tum filio Dauid ſeu Meſſiae, tum Deo in altiſſimis, ſeu honorem et laudem vtriusque. Cum Meſſias eſſet futurus liberator et Deus per Meſſiam. Quare et gratulatio conſueta ex verſ. 26. a populo acclamatur Chriſto: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, h. e. laudandus ac celebrandus Ieſus, qui venit a Deo miſſus, autoritate Dei munitus. Quae publica erat populi confeſſio de Ieſu Meſſia.

Ad verſ. 12. 13.

Templum dicebatur vniuerſus aedificiorum et atriorum ambitus in monte Moria: vt et *atrium gentilium* ſpatioſiſſimum pertineret ad Templum, adeoque et gentiles cum pecudibus eſſent in Templo, cum eſſent in atrio gentium. Vendebantur in hoc atrio gentium pecora, oues, boues, vinum, oleum, aliaque ad ſacrificia neceſſaria. Es war da allezeit Kirmeß. Cum enim Moſis lege obligati eſſent Iudaei, ſacrificia offerre non ſolum iugia et quotidiana, matutina et veſpertina in Templo, ſed et pro variis fortunae, vitae et peccatorum caſibus: ideo in promtu ſemper eſſe illa debebant ſacrificaturis. Quoniam vero colligere ſemper adducereque tantum pecorum et aliarum rerum apparatum non erat vel ſacerdotum vel aliorum Iudaeorum, qui erant ſacrificaturi, maxime qui ex regionibus remotis venirent, hinc medium aptum inuentum, vt in atrio gentium continuum eſſet forum, in quo parata vendi ac emi poſſent omnia. *Nummulariorum* quoque tabernae, menſae ac ciſtae erant in atrio iſthoc et ambulacris et porticibus atrii. Cum enim ad conſeruationem ſacrorum iuſſu Moſis et poſterorum tenerentur omnes Iudaei, quotannis afferre et offerre dimidium ſiclum, erant in Templi atrio gentium *collybiſtae*, Wechsler, qui oblaturis pro alia pecunia darent ſemiſiclum. Nec enim omnes, maxime ex remotioribus regionibus venientes, in promtu habere ſemper poterant ſemiſiclum pendendum. Quod ſi igitur nummularius daret dimidium ſiclum pro alia pecunia, lucrum illi ſimul pro ſolutione et penſione pendebatur, das Aufgeld. Praeterea in atrio laudato ac continuo foro erant, qui venderent turtures et

columbas. Lege enim Moſis obſtrictae erant puerperae et obligatae profluuio laborantes, offerre in Templo pro purificatione columbas vel turtures. Cum autem e longinquo venientes Iudaei omnia afferre non poſſent aut obtinere, emi poterant in Templo pro parata pecunia, vt legi Moſis ſatisfieret. Chriſtus cum magna plebis turba et ſtrepitu populi acclamantis Templum ingreſſus, zelo Dei et ira ſancta correptus, et vel a pecoribus illis bipedibus et cornutis bobus, negotiatoribus publicis, in foro Templi, von den Kirmeß-Krämern, agitatus aut turbatus, dum vel nummularius ſemiſiclum poſtulauit vel obtulit redimendum, irruit in hos, tudit ac pepulit menſas et ciſtas nummulariorum, quaeſtum in Templo facientium, reliquorumque negotiatorum tabernas ſubuertit. Etſi enim antea fine bono illa eſſent conſtituta, vt ſacra a Iudaeis aduenientibus poſſent praeſtari; abuſus tamen bonum finem et ordinem iam extinxerat, vt merum eſſet lucri ſtudium, adeoque profana mercatura. So ſtöhrete Chriſtus die Kirmeß. Quapropter cauſſam facti ſui addit Chriſtus et magnum tuetur facinus: precibus fundendis deſtinatum eſſe Templum, non excluſis ſacrificiis legitime offerendis, cum inter ſacrificia oblata preces quoque eſſent fundendae; ſed *oratorium* ſacrum factum eſſe a bobus illis et nummulariis *ſpeluncam latronum.* Quibus verbis praecipue redarguit mercatorum et nummulariorum illorum quaeſtum, qui tam caro pretio ſingula venderent, vt ementes emungerent, nummulos eis ſubducerent et more *latronum* clam eriperent.

Ad Matth. XXIII, 5.

Hypocriſin Iudaeorum damnaturus Chriſtus, exempla refert. Proinde praecipuum religionis characterem externum tangit, in quo hypocriſeos notas monſtret. *Phylacteria*, a Iudaeis תְּפִלִּין dicta, a Rabbinis referuntur ad aetatem Moſis. Verum fucus eſt plebi a Rabbinis factus. Moſes nihil de illis mirabilibus capitis et brachii ornamentis. Poſt captiuitatem demum Babylonicam orta ſunt haec Iudaiſmi inſignia, vt diſtinguerentur Iudaei externo hoc ſymbolo et indicio a gentilibus. Autoritas autem quaedam quaeſita ex Moſe. Etſi vero Moſes non iniunxiſſet; quia tamen a magiſtratu, tanquam externum Iudaiſmi ſymbolum, erant prae-

 cepta,

cepta, ea non improbat per ſe; ſed notabilem hypocriſin Rabbinorum in publicis illis religionis inſignibus notat. Religioſiores namque Rabbini conſueta illa *Phylacteria*, exiguae alias magnitudinis, dilatabant, aut lata, ampla et grandia parabant, tum in fronte, tum in manu. Vt propter maiorem molem et inſignem magnitudinem conſpici ab omnibus poſſent, vnde et argumentum maioris deuotionis ſumeretur. Sic et hodie *Phylacteriorum* diſcrimen tenetur. Vulgus habet parua et exigua in fronte et brachio; ſed religioſiores et magis deuoti viſi Rabbini lata habent et praegrandia, quae ſpectantem terreant magis, quam in admirationem rapiant. Alia pars huius characteris publici in religione ſunt *κράσπεδα*, ציצית Iudaeis dicta: peniculamenta ſunt, ſeu fila lanea et candida, quatuor veſtium angulis innexa et implexa, ac deorſum in terram defluentia. Quae itidem ad Moſen referunt, autoritatem diuinam illis conciliaturi. Sed Moſes non peniculamenta noua iniunxit, ſed colorem deſtinauit caeruleum conſuetis alias veſtium peniculamentis. Fuſe de his actum in Programmate publico. Et ab his peniculamentis pendebat apud Iudaeos magna ſuperſtitio, dum religioſiores longiora fecerunt ſolito, longitudineque filorum illorum ſuperbiuerunt, et ſanctitatem quandam vel ſingulare legis ſtudium oſtentarunt. Neque igitur Chriſtus ipſa peniculamenta, externum religionis Iudaicae characterem, damnat, ſed ſuperſtitionem et hypocriſin: quod ea longiora facerent iuſto vel ſolito, vt in terram defluentia manifeſtius a vulgo viderentur, et admiratio magnae deuotionis et religioſitatis in animis omnium excitaretur.

Ad verſ. 35.

Caedis Phariſaeos fuſe conuincit Chriſtus. Chriſtum enim et diſcipulos e medio tollere dudum erant anniſi. Poenam itaque digniſſimam pluribus minatur. Quam poenam reddit grauiorem caedium et poenarum exemplis. *Sanguis* dicitur *venire ſuper alterum*, h. e. *caedes* et *caedis culpa ac poena.* Vt poena detur commiſſae caedis. *Sanguis iuſtus*, eſt *caedes hominis iuſti.* Minatur itaque Chriſtus Iudaeis poenam homicidarum, qui Chriſto et diſcipulis mortem minentur. Refert autem duo illuſtria iniuſtae caedis a Iudaeorum maioribus commiſſa exem-

 pla.

pla. Primum iuſti *Abelis*, occiſi olim in terra illa aut regione, quam iam poſſiderent ex haereditate praeſentes Iudaei. Γῆ enim ſiue *terra* non *orbem* ſemper *vniuerſum*, ſed *certam* ſaepe *regionem* aut *ditionem* deſignat, quod ex ſcopo, contextu aliisque rei geſtae aut gerendae circumſtantiis colligendum. Adamum autem, ex Paradiſo eiectum, habitaſſe in iſta regione, poſt diluuium *Canaan* dicta, conſtans Iudaeorum eſt traditio, nec per ſe a fide aliena. Vt et Chriſtus eandem ſententiam hic retinuerit, Abelem in illa regione occiſum memorans. Eaque ratio eſt, cur Chriſtus ſanguinem occiſi Abelis ſuper Iudaeos venturum dicat: quod Abel ſit ex maioribus Iudaeorum, etſi antediluuianis. Vnde et Moſes in pentateucho gentis Iudaicae ortum deſcripturus, imo et terrae Canaan poſſeſſionem Iudaeis vindicaturus; vtrumque repetit ab Adamo, eius genealogiam continuam breuiter ad Abrahamum pertexens. Quo pacto *Ius* Iudaeorum *publicum* conſignauit. *Sanguinem* itaque *Abelis*, in illa terra occiſi, *ſuper Iudaeos venturum* dicit; ſimilem nunciaturus poenam, quam olim dederat Cain caedis perpetratae, duriſſimum nempe exilium. A Caino enim poena homicidii ſumta, dum in exilium pulſus, coactus eſt patriam et haereditatem ſuam ſiue regionem illam, poſtea *Canaan* dictam, inuitus relinquere. De cuius exilii grauiſſima et intolerabili poena miſere conquerebatur Cain. Eandem exilii poenam daturos nunc Iudaeos, ait Chriſtus, ob iuſtum ſanguinem Chriſti et Apoſtolorum a Iudaeis effundendum. Alterum exemplum iniuſtae caedis, a Iudaeis perpetratae, eſt *Zachariae*, filii Barachiae, vt ab Eſaia appellatur cap. VIII, 2. alias etiam *Ioiadae* dicti, vt et *Iddo*. Refertur grande hoc facinus 2 Paralip. XXIV, 20. 21. et 22. Cum enim hic Zacharias, ſummus Sacerdos, redargueret Eccleſiae corruptionem ac idololatriam, iuſſu Regis Ioas occiſus eſt in Templo inter altare et ſanctuarium. Quod horrendum facinus ſic percrebuit inter Iudaeos, vt, iuxta exſpirantis Zachariae vocem: *Deus videbit et vindicabit*, ſtatim Syris in Iudaeos irruentibus et magnam ſtragem edentibus, grauiſſimam ob commiſſam caedem dari poenam agnoſcerent. De qua mox ſecuta poena 2 Chron. XXIV, v. 23. ſqq. Sed non ſuffecit haec vltio. Exilium gentis totius ſecuturum, minati ſunt Prophetae ſequentes, vt Eſaias cap.

VIII.

Digitized by Google

VIII. qui de exilio Iudaeorum imminente agens, prouocat ad teſtem proxime occiſum Zachariam, filium Barachiae, qui Deum vindicaturum clare edixerat. Sic caedes horribilis iuſtiſſimi Zachariae, filii Barachiae, in ore et memoria fuit omnium poſterorum, vt, cum tandem a Nebucadnezare in exilium agerentur, agnoſcerent, dignam hanc poenam eſſe caedis, in Zacharia a Ioaſo rege in Templo commiſſae. Hoc itaque Zachariae a Iudaeis occiſi exemplo allegato, parem praeſentibus Iudaeis, vt caedis, ita et poenae ac exilii fortunam depinxit et praedixit Chriſtus.

Ad Matth. XXIV, 29.

Depingit Chriſtus ampliorem, poſt vrbis et Templi deſolationem, Iudaicae gentis miſeriam. Cum enim vrbs diruta et Templum in cineres redactum eſſet, tunc demum plane actum fore cum Iudaeis: ita vt omnis Iudaeorum fortuna penitus ſit extincta. Eſt autem phraſis Iudaeorum, Prophetis etiam vſitatiſſima, cum deſcribenda eſt extrema miſeria, vt dicatur *ſol* et *luna priuari luce.* Quoniam enim *ſolis* et *lunae luce* figurari ſolet *fortuna ſerena* et *ſplendida*, ideo *obſcurata ſolis* et *lunae luce* depingitur *triſtiſſima calamitas.* Sed et *ſtellae de coelo cadere* dicuntur, dum coelum eſt nubilum, vt oculis ſpectantium ſint ſubductae, quaſi decidiſſent aut euanuiſſent. Eaque ratio eſt *tempeſtatis*, adeoque et figura miſerrimae et calamitoſiſſimae fortunae inter homines in vrbe vel gente. Dicuntur etiam *vires coeli mouendae*: quae eſt plenior deſcriptio horrendae tempeſtatis, dum fulguribus et tonitrubus coelum intonat ac perfremit, adeoque amplior figura ineffabilis miſeriae, quae futura ſit inter Iudaeos, vrbe deleta et Templo in cineres redacto.

Ad verſ. 30.

Senſum tum irae diuinae abunde in ſe animaduerſuros Iudaeos, innuit porro Chriſtus, qui veſtigia et ſigna iuſti iudicii Chriſti, dudum praedicti, tunc ante oculos ſint habituri, vt horreant et tremant. *Tum*, inquit, *apparebit ſignum filii hominis in coelo.* Reſpicit figuram praecedentem, horrendam illam tempeſtatem,

Digitized by Google

quae capitibus omnium impendeat, et qua inter tenebras fulminibus et fulguribus continuisque incendiis extincti ſint et deleti. Qua tempeſtate horrore plena pingebatur ira Dei et iuſtiſſimum Chriſti iudicium, ipſumque Iudaeorum exitium. Agnituros igitur ait Iudaeos tunc temporis, tempeſtatem illam aut ſummam miſeriam irae diuinae et iuſtiſſimae poenae, propter Chriſti caedem promeritae, eſſe ſigna. Quibus verbis conſcientiae conuictio deſcribitur, quod Iudaei illa poena ſic ſint conuincendi, vt agnoſcere cogantur iuſtum Chriſti iudicium. Tunc etiam omnes tribus in Iudaea aut omnes Iudaeos ſuperſtites ſummum dolorem teſtaturos ait, dum ſint viſuri filium hominis venientem in nubibus coeli cum magna poteſtate et gloria. Quae eſt plenior declaratio conuictionis conſcientiae ex agnitione iuſtiſſimae poenae. Reſpicit autem illa phraſis ſuperiorem figuram de horribili tempeſtate inter nubes denſas et fulgura atque tonitrua: qua figura extrema calamitas deſcribebatur.

Ad verſ. 31.

Miſſurum ſe tunc temporis in extremis illis populi Iudaici fatis, dicit Chriſtus, *angelos* ſuos, qui magna et ſonora voce inſtar *tubae congregent electos* aut fideles Chriſto addictos. Quibus verbis euaſio fidelium ex illis periculis in exitio vrbis et gentis depingitur: quippe ingruentibus illis calamitatibus ſint monendi ac vrgendi pii, vt fugiant et euadant ſalui. Per *angelos* itaque h. l. *colligendi* dicuntur fideles in illis turbis, h. e. per Apoſtolos aliosque a Deo motos et impulſos verbi et euangelii miniſtros, Chriſti ſeruos, ex tempeſtatibus et interitu euocandi et educendi. Sicuti conſtat, proxime ante vaſtationem vrbis euocatos fideles ex vrbe et regione Iudaeae in Syriam, migraſſe Pellam. *Vox* autem *tubae magnae* manifeſtam omnino tunc fugae capeſſendae ſignificationem deſignat: quaſi tubae ſigno dato euocentur. Quemadmodum Iohannes ante vaſtationem Hieroſolymae libro ſuo Apocalypſeos ſcripto et publicato, publice tanquam clariſſima tuba imminentem miſerabilem vrbis et gentis interitum indicauit, eumque figuris multis depinxit et praefigurauit, fideles etiam publice monuit, deſerere vrbem et emigrare fugaque ſalutem quaerere. Fuit ergo Iohannes in hoc nego-

negotio cum aliis Apoſtolis tuba clariſſima, emigrationem ex Iudaea nuncians, vt ſalui euaderent. *Ex quatuor* autem *ventis* et *ab vna extremitate coeli ad aliam* euocandos eſſe fideles dum ait, deſcribit euocationem non vnius aut alterius, ex vna aut altera vrbe, ſed omnium ex tota Iudaea: vt omnes Iudaeae fines intelligantur. Quae deſcriptio terrae ſanctae aut regionis Iudaicae Iudaeis frequens. Non igitur abſolute, ſed comparatiue hoc intelligendum. Tota haec tandem promiſſio huc redit, vt polliceatur, Iudaeis deletis, Eccleſiam fore immunem ab omnibus Iudaeorum inſultibus. Iudaeis extinctis, Eccleſiam ſuperfore ſaluam et incolumem. Id quod etiam Iohannes in Apocalypſi inculcat et fidelibus ſpondet: nempe poſt Iudaeorum interitum, incolumitatem Eccleſiae. Neque omnino negandum, Chriſtum alluſiſſe verbis aut figurae vſu ad Iudaeorum hypotheſin, qui expectabant, vti et hodienum expectant, in aduentu Meſſiae Eliam ſub porta Hieroſolymitana conſtitutum, tuba clariſſima canentem, eumque tubae ſonum auditum iri per totum orbem, vt illo ſigno conuocentur Iudaei ad Meſſiam. Quae Iudaeorum traditiones ominoſae in vaſtatione vrbis, interitu gentis, Eccleſiae liberatione et Apoſtolorum miniſterio exacte ſunt confectae et completae.

Ad verſ. 32. 33.

Diſſeruerat Chriſtus hactenus de circumſtantiis temporis et fatis Iudaeorum et Eccleſiae in excidio Hieroſolymae. Pergit iam monere, vt attenti et circumſpecte illa tempora obſeruent, vt tum fuga ſalutem quaerant, tum poenam a Iudaeis ſumendam agnoſcant, tum de ſui liberatione optime ſperent et gaudeant. Diſerte etiam affirmat, proxime inſtare illam πανολεθρίαν vrbis et Eccleſiae liberationem, v. 32. 33. 34. Propinquitatem illius ſupplicii depingit figura *ficus* et *meſſis*. Cum Chriſtus cum diſcipulis hos haberet ſermones, proxime inſtabat Paſcha, et ipſe conſidebat cum illis in monte oliuarum v. 3. vnde proſpicere in vrbem licebat. At vero circa Paſcha matura erat *meſſis*, vt proxime a feſto inchoaretur et continuaretur vsque ad Pentecoſten. Circa idem tempus *ficus* protrudebant folia. Cum igitur Chriſtus ſederet inter *ficus*, quibus mons oliuarum conſitus erat, eaeque iam ante Paſcha protruderent folia et inſtaret *meſſis*, figuram ex

re praeſenti ſumit, diſcipulis facile cognoſcendam et ab illis intelligendam. *Quando*, ait, *rami ficus ſiunt teneri et folia protrudunt, meſſem inſtare noſtis.* Qui igitur certi eſtis de *meſſe* ex *ficus* foliis protruſis, vtpote indubitatis temporis circumſtantiis, certiſſimi etiam eſſe poteritis de imminente vrbis deſolatione ex circumſtantiis memoratis. Vt ante fores ſit Iudaeorum interitus et Eccleſiae liberatio, v. 33.

Ad Matth. XXVI, 29.

Lactat Chriſtus animos diſcipulorum ſpe, a gente concepta, in nouo regno omnia iri renouatum, adeoque et *vinum* fore *nouum.* Sicuti cellam Adami tempore Meſſiae aperiendam, et vinum paradiſiacum in menſa Meſſiae bibendum praedicant Iudaei. Verum primi et antiqui figurarum autores innouationem orbis dixere fortunatum ex verbo et fide Eccleſiae ſtatum, cellamque vinariam Adami, in paradiſo aperiendam, vocarunt beatitudinem et fruitionem bonorum, quae in paradiſo habuerit Adam, poſtea vero per lapſum ſint quaſi recluſa et occultata, per Meſſiam reſtauranda ac redintegranda. Quas figuras cum poſteri non caperent, craſſe ſapuerunt. Chriſtus igitur cognitas hypotheſes verbis repetit et meliorem Eccleſiae fortunam, caeſis Iudaeis, orituram inculcat.

Ad verſ. 39.

Reſpicit Chriſtus *poculum horroris* vel *amarum*, ex vino et myrrha mixtum, morti et ſupplicio vicinis praeberi ſolitum. Vnde vulgata Iudaeorum phraſis de qualibet anguſtia magna, vt appellent *poculum horroris.* Quo de frequenter Prophetae. Senſus igitur petitionis Chriſti eſt: Fac liberer ex grauiſſimis imminentibus periculis.

Ad Matth. XXVII, 46- 49.

Cum Chriſtus dialecto Syro-Chaldaica vteretur, quae popularis Iudaeis erat lingua, inſultarunt illi antiqua opinione Iudaica faſcinati. Erat enim perſuaſio in populo, Eliam apparere Iudaeis ſanctis et religioſis, reuelare multa arcana, iuuare, miracula edere: quarum apparitionum Elianarum longus catalogus apud Iudaeos. Imo *Sohar*, liber Cabbaliſticus apud Iudaeos celebris, dicta-

dictatus fere totus creditur R. Simeoni Ben Iochai ab Elia, ipſi frequenter apparente et inter varia miracula eum docente.

Ad Marci I, 23-25.

Interfuit concionibus Chriſti in Synagoga gentilis daemoniacus, qui furore correptus, coepit metum ſuum, quo ex concione Ieſu erat perculſus, publico clamore teſtari: vnde tragica vox *Ah!* ſignum *pauoris* et *metus*. Metus in iſthoc homine ortus ex communi fama et vulgata inter Iudaeos opinione: Meſſiam, Iudaeorum Regem, deleturum gentiles, ſub quorum iugo et imperio gemerent et ſuſpirarent. Haec Iudaeorum ſpes de perdendis gentilibus per Meſſiam, non poterat non per iactabundos Iudaeos dudum percrebuiſſe inter Romanos, Syros vicinosque gentiles, maxime illos, qui terrae Canaan praecipuam partem poſſiderent. Continua illa Iudaeorum iactantia de futuro ſuo in gentiles imperio et dominio, deque gentilibus per Meſſiam perdendis, et ex illa ſpe auctus animus, etſi quibusdam gentilium fuerit riſui, quibusdam tamen metum incuſſit, qui vanitatem ſpei Iudaicae non penetrarent. Credulitas itaque gentilium, inter quos habitarent Iudaei, metum illis incuſſit, vt, adueniente Ieſu eoque magna cum virtute loquente et agente, ac a Iudaeorum plebe pro Meſſia aeſtimato, iamiam interitum ſuis capitibus imminere crederent. Etiamſi vero metus ille fuerit vanus, ex vana Iudaeorum iactantia ortus, potens tamen fuit in gentilium credulitate, vt praeſente Ieſu augeretur eorum metus, quod eum eſſe Meſſiam aut Regem ex Iudaeis accepiſſent. Interitum vero et exitium cum a Meſſia, Iudaeorum Rege, ſuis impendere capitibus crederent gentiles, a Iudaeis iactabundis perſuaſi, inter metum indignationem quoque ſuam aperire non deſtiterunt. Iniuſtum quippe ſuum illum interitum non poterant non iudicare; aut ad minimum aegerrime ferre imminentia illa damna et pericula coëgit metus. Metui igitur iuncta fuit indignatio, vt conquererentur gentiles de hoc ſuo exitio, a Meſſia, Iudaeorum Rege, impendente. Metum hunc, vt et animum indignabundum, publico et triſti clamore aperit furioſus ille ſpiritu immundo agitatus gentilis, Ieſum cum autoritate dicentem audiens: *Ah!* inquit, *quid nobis* gentilibus *rei tecum, Ieſu Nazarene?* Quid nos ad te? ſcimus

mus et audimus ex Iudaeis abunde, quae mala nobis gentilibus impendeant a nouo Iudaeorum Rege. Scimus et colligimus ergo ex tuis grauiſſimis dictis et factis, te iam veniſſe, vt nos gentiles perdas et deleas. *Veniſti nos perditum.* Hoc nos non latet. Hic hominis affectus docet, non eſſe *interrogationem dubitatiuam*: num ideo venerit Ieſus, vt eos perderet? ſed *diſertam affirmationem* cum *indignatione* coniunctam: notum eſſe ſatis, quod venerit, illos perditum. Quapropter etiam diſerte additur ratio illius metus: *Noui te*, inquit, *quis ſis. Es ſanctus ille Dei* vel *Meſſias*, Iudaeorum Rex. Cum igitur ſis ille, non ignoramus nos, quid a te nobis impendeat mali. Tu nos perdes, Iudaeos in libertatem aſſerturus. Ieſus non ferre potuit illam querelam de gentilibus delendis. Iuſſit itaque tacere et quieſcere. Silentium vero impoſuit gentili querulo, cum intelligeret, has querelas repetitas ceteris gentilibus anſam daturas, vt odio aduerſus ſe accenſo, in ſe irruerent ac vim ſibi inferrent. Erat quippe haec ſpes Iudaeorum, vaniſſima licet, de delendis per Meſſiam gentilibus, ſudes in oculis gentilium. Tanto vero ſollicitius ſilentium impoſuit, quanto frequentius inter gentiles terrae Canaan dominos ac poſſeſſores agere debebat. Capernaum quippe, in qua degebat Chriſtus cum diſcipulis, gentilium vrbs erat, in qua et Iudaei ſparſim habitarent. Inuidiae igitur et periculi declinandi cauſa, noluit Ieſus admittere haec inter gentiles moleſta ſui praeconia. Quae prudentia erat maxima. Neque obſtat, quod haec res in ſynagoga contigerit, vnde Iudaeum fuiſſe, videatur colligi. Nam in tota regione iam tum innotuerat, quod Ieſus, in litore maris vicini Genezaret obambulans, nunciaſſet imminens regnum, et ad eius conſtitutionem colligere coepiſſet diſcipulos, tanquam regni ſocios. Quod, vti Iudaei, ita et gentiles de regno ciuili deſideratiſſimo interpretabantur. Quare non ſolum Iudaei, ſed et gentiles hoc nuntio commoti ſunt, vt magna Iudaeorum ac gentilium turba eum ſectaretur. Secuti itaque eum in ſynagogam in vrbe Capernaum cum Iudaeis gentiles, nouitatis ſtudio. Cum igitur illa occaſione gentilis iſte audiuiſſet Ieſum in ſynagoga de regno Iudaeorum, iamiam inchoando, cum magna virtute ac autoritate diſſerentem, furoris ſui impetu compulſus, coepit indignabundus metum ſuum aperire.

rire. Quapropter indignatio hominis gentilis queruli reprimenda erat reciproca graui indignatione ac increpatione, cum eum obiurgaret Chriſtus ac ſilentium cum autoritate imponeret.

Ad Marc. VII, 3. 4.

Regula inter Canoniſtas Iudaeos eſt, vt manus lauentur עַד הַפֶּרֶק *vsque ad iuncturam manus*, vbi cohaeret manus cum brachio. Cum enim lotio ad tollendam impuritatem manuum ſit deſtinata, eo usque lauantur, quo usque ab externis rebus attingi et affici posſunt. Quod fit *vsque ad iuncturam*. Brachium enim ordinarie tectum eſt vsque ad flexuram illam. Neque vero illam conſtitutionem a Moſe eſſe repetendam, innuit Euangeliſta, *traditionem Seniorum* vocans. Neque dubitandum, quin ad conſtitutionem illam anſa fuerit data ex ſordibus plebis Iudaicae. Conſulturi itaque antiſtites plebis huius ſanitati et decori, definitam illam praeceperunt lotionem ante menſam. In munditia namque magnum ſanitatis momentum ſitum eſt. Deinde lotio manuum ante menſam iuuat etiam nonnihil et prodeſt ventriculo, dum calor exterior reprimitur et pellitur ad interiora. Cum itaque in prandio et coena caloris interni magna ſit habenda ratio, vero ſimile eſt, veteres huc reſpicientes iniunxiſſe Iudaeis hanc manuum lotionem, concoctionis iuuandae cauſa ex calore ad interiora repreſſo; maxime cum maior aeſtus in orientalibus illis regionibus magis corpora exhauriret et calore priuaret. Non itaque in prima inſtitutione a Senioribus fuit peccatum, ſed a poſteris, qui maiorum conſilium non attenderunt, ſed dum factum et ritum obſeruarunt, ſimul ſub ritu ſpeciem religionis falſo conceperunt, adeoque in plebe vel minimum neglectum damnarunt. Poſthaec, prae nimio ſtudio harum conſtitutionum, negligebant diuinas, conſcientiam obligantes. *Communes* manus vocantur manus *illotae* v. 3. ſtylo Iudaeorum, quibus חול *profanum* et *commune* eſt, quod non eſt legibus conforme. Lotio iſthaec manuum v. 3. laudata, fit affuſa aqua munda. Sed et v. 4. notatur βαπτισμὸς, *manuum baptiſmus* ante menſam. Dicebatur a Iudaeis טְבִילָה, *merſio manuum in aquam*. Praeterea et lotio et merſio munditiem toti reddere corpori credebatur. Vt, cum foris ex contactu rei immundae immundi eſſent

ſent facti, lotis manibus, toti crederentur iterum facti mundi. Vt lotio manuum ſignum haberetur lotionis moralis aut aeſtimatae puritatis. Lectorum et linteamentorum inſtratorum lotio itidem iniuncta a magiſtris. Celebrata, ſed et proſcripta ab illis pollutio ex profluuioſo morbo, polluebat veſtimenta in homine polluto: vt et calceus in tali homine crederetur pollutus. Neque vero is duntaxat cenſebatur immundus, qui morbo affectus eſſet, ſed et qui veſtimenta talis hominis attingeret. Siue igitur quis ad lectum acceſſiſſet laborantis, ſtando vel ſedendo vel recumbendo, pollutus erat aeque ac alter; vel et ſi alius contactus veſtimentorum contigiſſet. In tali pollutione etiam lecti elui et mundari debebant. Neque vero per ſe hoc improbandum erat, cum et hac in re munditia magnum ſit ſanitatis praeſidium. Tanto autem religioſius hanc lectorum quoque et veſtimentorum munditiem vrgebant Phariſaei in plebe, quanto ſordidior plerumque eſſet plebs. Ex quo plebis neglectu ortus eſt contemtus apud Phariſaeos, vt veſtes plebeiorum cenſerentur immundae.

Ad Marci VIII, u. 12.

Phariſaeorum poſtulatum, daret Chriſtus ſignum de coelo, reſpicit perſuaſionem Iudaicae gentis. Vt gens Orientalis, praecipue Iudaica, rudis plerumque, rebus imminebat nouis et miris, ita iactatis et venditis miraculis a callidis ſaepe viris faſcinabatur. Praecipue poſt captiuitatem Babylonicam iactatae inter Iudaeos apparitiones ſanctorum Prophetarum, qui recondita panderent. Ad quam et cognatam hypotheſin, in gente receptam, reſpiciebat Herodes, Chriſtum credens eſſe vel Iohannem reſuſcitatum, vel alium ex Prophetis rediuiuum. Quo etiam ſpectat vulgi inter Iudaeos opinio de Ieſu, eum eſſe Iohannem, Eliam, aliumve Prophetam, v. 28. 29. Quo pertinet vox ſubſannantium ſub cruce Chriſti: *Videamus, an Elias ſit venturus eique auxilium laturus.* Eliam praecipue apparere Doctoribus iactatum, a quo R. Simeon Ben Iochai illa aetate omnem ſuam doctrinam cabbaliſticam hauſiſſe, hodierni etiam gloriantur Iudaei. Refertur in Thalmude, cum per duodecim annos haeſiſſet in ſpelunca, Eliam tandem adueniſſe, et ante fores ſpeluncae ſtantem exclamaſſe:

ſe: *Quis indicabit Simeoni filio Iochai, quod mortuus ſit Caeſar, et ſententia eius de Simeone irrita ſit reddita? Exite et videte homines, quomodo colant et ſeminent.* Similiter cum audiuiſſet alius R. Simeonem ex ſpelunca proditurum, cupidus viſendi, ad iter ſe accinxiſſe dicitur. In littore maris poſitus in terra Canaan cum duobus comitibus, vt cymbam conſcenderet, duos angelos ſub forma auium in mari volitantes vidit, ſi fides Iudaeis habenda. Allocutus eſt aues illas: *O aves, aves, quae volitatis in mari! anne vidiſtis locum, vbi R. Simeon Ben Iochai degit?* Mox denuo eas compellans, dixit: *O aues, aues, abite et perferte rem mihi!* Abiiſſe aues memorant et rediiſſe cum tabella, in qua ſcriptum, filium Iochai egreſſum eſſe ex ſpelunca cum filio Elieſere, quem auium nutum ſecutus Rabbi ille, inueniſſe fertur Simeonem e ſpelunca egredientem. Similibus nugis et fictis prodigiis tenebant Rabbini ora oculosque plebis, vt autoritatem captarent. Inter quae apud Iudaeos iactata diuina noua oracula erat בַּת קוֹל. Cum poſt captiuitatem Babylonicam Prophetae mox exſpiraſſent, vt nulla publica Dei nomine fierent alloquia, excogitarunt Iudaei faſcinum plebis. Dixerunt, Deum iam poſt Prophetarum obitum ex aëre dare ſonitum quendam et alloqui Rabbinos. Vocarunt alloquium *colloquium per tonitru.* Facile enim plebi perſuaſum a Rabbinis, ſe in tonitrubus quibusdam audiuiſſe Deum ſibi loquentem, maxime cum in illis climatibus aeſtuantioribus frequentiora eſſent tonitrua, alia leuiora, alia magis horribilia in montanis regionibus. Cum itaque Phariſaei cum Ieſu contenderent, autoritate illius contemta, inſidias illi ſtruxerunt, quaeſito aut poſtulato ſigno de coelo, vt, quo Rabbinorum primi autoritatem ſibi paraſſent, Ieſus etiam ſibi pararet. Vel itaque apparitionem Eliae vel alterius Prophetae, de coelo a Ieſu ſtatim conciliandam, vel et בַּת קוֹל, alloquium coeleſte per tonitru, in momento parandum poſtularunt. Vt, ſi hoc non ſtatim praeſtaret, autoritas Ieſu videretur exſpirare, qui minor eſſet Rabbinis. Quas inſidias animaduertens Ieſus, ira commotus diſerte pronunciauit, ſe Iudaeis illis praefractis quaeſitum de coelo ſignum non daturum.

Ad

Digitized by Google

Ad Marci IX, 2.

Negotii et apparitionis huius occaſionem fuiſſe disputationem Chriſti cum Phariſaeis de ſigno ex coelo dando, ad vindicandam autoritatem, ex eo patet, quod ſtatim ſex diebus poſt illam disputationem haec apparitio in monte contigerit. Cum enim negaſſet, praefractae genti Iudaicae dandum eſſe ſignum de coelo, (videatur capitis VIII. verſ. 11.) diſcipuli hinc ſpei ſumſerunt argumentum, Phariſaeis et genti Iudaicae pertinaci denegatum eſſe de coelo ſignum, non ſibi. Sibi itaque ſpem reliquam ſigni de coelo dandi, crediderunt. Non igitur dubium, quin Petrus, pro more, cum aliis diſcipulis rogauerit Chriſtum, diſcipulis daret, quod Phariſaeis denegaſſet; vel ſi non aperte rogauit, expectauit tamen anxie, vti praeceps Petrus erat animatus. Chriſtus igitur, agnita diſcipulorum infirmitate, indulſit hanc ſpem ac implere ſtuduit. Hinc apparitio praeſens in monte coram Petro, Iacobo et Iohanne ſolis. In qua apparitione Petrus cum ceteris ſenſit, quod exſpectauerant Iudaei: primum Eliae praeſentiam, deinde alloquium Dei in nube, quale per tonitru deſignauerant Phariſaei. Vt, his viſis, Petrus cum ceteris confirmarentur in fide.

Ad verſ. 48-50.

Haerent interpretes plerique in hoc *igne*, qui eos vrit, vt neſciant, quis ſit et vnde. Facile nos expediemus, ſi ad antecedentia primum reſpexerimus, vt conſtet, de quibus ſit ſermo. Actum fuerat v. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. de *poena* eorum, qui affectuum ſuorum ſerui et mancipia, in ſcelera prolabantur. Poena erat definita a Chriſto *ignis Gehennae*. *Ignem* vero illum, quo ſint vrendi ſceleſti, non iri extinctum dixerat v. 43. 44. 48. Qua poena ignis non extinguendi collimauerat ad Eſaiae caput vltimum. Cum Eſaias, poſt ſtragem infandam Aſſyriorum in obſidione Hieroſolymae, frequentes Deo ageret gratias pro ſingulari illa liberatione vrbis e manu hoſtium: hoc etiam caput vltimum talem refert concionem, qua Deum celebraret pro ſtupendo illo beneficio et auxilio, qui hoſtes mirabili clade omnes fudiſſet. Inter alia, gaudii plenus, dicit v. 22. Sicut Deus per cladem illam ſubitam et hoſtium immaniſſimorum caedem populo

Digitized by Google

lo Iudaico nouam prorſus parauit fortunam, vt, cum antea inter meras tempeſtates coelum et terra viderentur aduerſari Iudaeis, nunc per gratiam Dei coelum ſudum in liberatione inſolita illis arrideat, vt laeta iam fruantur fortuna, *coelo* quaſi *nouo* ac *terra noua* parata. Ita et poſt liberationem illam nunc ſeruabitur poſteritas Iudaeorum, ab Aſſyriis non deleta. Addit Propheta, poſt liberationem iſtam, gaudium populi in tranquillitate Reipublicae et Eccleſiae ſecutura, v. 23. vt poſt caedem illam omnia ſua *feſta, nouilunia* et *ſabbata* cum feſtiuitate poſſint celebrare Deoque ſacra facere. Poſtremo v. 24. cauſam repetit tranquillitatis laudatae in Eccleſia et Republica Iudaeorum: quod hoſtes, qui Hieroſolymam turbauerant, omnes ſint caeſi et fuſi, vt cadauera omnia ſtrata humi iaceant. *Exeant*, ait, ex portis Hieroſolymae, *et inſpiciant proſtrata hominum cadauera* Aſſyriorum hoſtium immaniſſimorum, *qui Deum contumeliis affecerant. Vermis enim* cadauerum *illorum non morietur* ſiue putreſcent cadauera illa hoſtium, neque iam ex hac ſtrage reſurgent et Hieroſolymam iterum oppugnabunt. *Ignis* etiam *eorum non extinguetur*, ignis ante portas Hieroſolymorum ſuſcitatus, in quem cadauera Aſſyriorum coniicientur. Quae eſt deſcriptio cladis Aſſyriorum: quod ſic ſint fuſi, vt ex clade nunquam reſurgant et Hieroſolymam iterum obſideant. Sicuti in epiſtola Iudae ignis, quo conflagrarunt Sodoma et Gomorrha, *ignis* dicitur *aeternus*, quod eſt, nunquam ex igne aut cineribus reſurrexiſſe Sodomam et Gomorrham. Concludit itaque Propheta: ſic putreſcentes et igne conſumti Aſſyrii horrori ſunt omnibus ſpectantibus, inſolitum diuinae vindictae exemplum. Ex hac hiſtoria et Prophetae ἐπινικίῳ, adeoque poena et ſtrage Aſſyriorum, figura deſumta eſt a Iudaeorum poſteris et ab ipſo Chriſto, ad deſcribendam aeternam omnium hominum ſceleratorum poenam. Dum igitur Chriſtus poenam impiorum determinat, phraſi apud Iudaeos conſueta vtitur, deſumta ex Eſaiae capite vltimo. Cum Chriſtus non niſi de impiis hoc loco agat, quorum poenam deſignat per ignem non extinguendum, τὸ πᾶς, *omnis*, vi contextus, non ad homines abſolute ſpectat, ſed ad illos homines, de quibus ſermo fuerat, nempe ad impios. Senſus itaque eſt: Omnis, qui ſic male ſe geſſerit, vti dictum, ſeruus affectuum et peccato-

 rum,

rum, *igne ſalietur* aut *in ignem coniicietur*. *Igne* vero *ardere* vocat Chriſtus *igne ſaliri*. Quae phraſis orta ex figura proxime connexa: *Omnis victima ſale ſalitur*. Vbi per *ſal* intelligi bitumen Sodomiticum, quo conſpergerentur ſacrificia, vt flammas alerent, dictum in notis ad Matthaei cap. V. v. 13. et in *Ephemeridibus Philologicis* Discurſu XI. de *condimento ſacrificiorum*, vbi et de noſtro hoc loco quaedam obſeruata. *Igne ſaliri* eſt *in ignem* aut *flammans bitumen coniici* aut igni et ardenti bitumini committi, exemplo ſacrificiorum. Quae figura maior poenae eſt exaggeratio: quod ad augendum ſupplicium ignis ſit augendus iniecto bitumine, quod flagraret, vti in ſacrificiis vſitatum. Quapropter addit Chriſtus ipſum talis incendii bitumine aucti exemplum, ex ſacrificiis ſumtum, quae iuſſu Moſis *Leuit*. cap. II. v. 13. adſperſo bitumine accendebantur et in cineres redigebantur. A figura laudata, a bitumine ſacrificiorum ardente ſumta, occaſio data v. 50. nouam deducendi admonitionem. Cum egiſſet antea fuſe de non offendendis aut laedendis Chriſti diſcipulis, poenamque ſubiunxiſſet ignem flagrantiſſimum, nunc ad amorem et vnionem hortatur. *Bona*, inquit, *res eſt ſal* ſiue *bitumen*. Egregie enim connectit, combinat et conglutinat: vt ſit commodiſſimum rerum compingendarum vinculum. Quod ſi vero *ſal* ſiue *bitumen* reddatur *ineptum*, vt viribus exhauſtum non amplius conglutinet, quo, quaeſo, reddetur vis conglutinandi bitumini, quam amiſit? Quod ſi ſimili ratione amorem quis abiecerit mutuum, vt cum ceteris credentibus non ſit adunitus, quam difficulter, vel plane non, ad amorem et vnionis vinculum iterum poteſt adduci? Difficillimum eſt, eum, qui ſemel amoris Chriſtiani vinculum rupit, poſſe iterum adduci, vt ab odio ad amoris integritatem redeat. Quae grauis eſt deteſtatio odii inter Chriſti diſcipulos, qua deterrere Chriſtus ſtudet diſcipulos ab inteſtinis odiis, ſimultatibus et, vt dixerat, offenſionibus. Quare diſertam tandem ſubiungit adhortationem ad amorem mutuum: *ἔχετε, tenete, retinete, ſeruate inter vos amorem* et vinculum *pacis* arctiſſimum, quaſi bitumen firmiſſime conglutinans, adeoque *pacem inter vos alite*.

Ad Marci X, 21.

In genua prouolutus coram Ieſu Iudaeus opulentior, cum audiuiſſet a Ieſu concionem poenitentiae ex lege, et diligentiam ſuam in praeceptis ſeruandis iactaſſet, eum *intuitus* Ieſus, *amaſſe* dicitur: vbi tum amoris iſtius demonſtrati modum, tum rationem obſeruare oportet. *Amare*, iuxta ſtylum Orientalem, eſt ſaepe idem, ac *amorem teſtari* externis quibusdam ſignis et geſtibus, ſiue ingenuus ſit amor ſiue fucatus. Inter externa vero amoris ſigna erat quotidianum inter Orientales ſignum *amplexus* et *oſculum*. Qua ratione *amare* idem ſaepe eſt ſtylo antiquorum, ac *amplecti* et *oſculari*. Erat autem hic etiam inter viros geſtus et affectionis character vſitatiſſimus. Cum enim Orientales populi ob aeſtum maiorem in affectibus et actionibus ſint impetuoſiores, quam Occidentales, hinc in externis affectuum ſignis et indiciis ſunt abundantiores, indeque amandi vel amplectendi et oſculandi in vtroque ſexu vſus frequentiſſimus, absque omni illecebrarum ſuſpicione. Sic Chriſtus hunc in genua prouolutum Iudaeum complexus eſt et oſculatus. Ratio huius amplexus erat commiſeratio et ardens votum occupandi magis et emolliendi animum Iudaei. Magna erat in Iudaeo arrogantia, dicere palam, ſe omnia praecepta a iuuentute ſancte ſeruaſſe. Quare Ieſus miſertus hominis non rectius informati, deterrere eum noluit graui reprehenſione; quin ſuaui complexu et conſueto oſculo illum ſibi magis deuincire allaborauit, vt infirmitatem ſuam tanto agnoſceret lubentius. Vnde benigna compellatione animum eius porro explorauit, dum *vendere* iuſſit *magnam vim opum.*

Ad Marci XII. verſ. 29. et ſeqq.

Ad quaeſtionem Doctoris Iudaei de ſummo Dei praecepto, (v. 28.) reſpondet Chriſtus ex propria Iudaeorum hypotheſi v. 29. Iudaei ex captiuitate Babylonica reuerſi et variis calamitatibus ab idololatria tandem auocati et abſterriti, plebem externis quibusdam ſymbolis, quotidie ob oculos verſantibus, monere et ad vnius veri Dei cultum inuitare ſtuduerunt. Huic fini ſummam totius confeſſionis Iudaicae complexi ſunt vno alterove dicto breui, ex Moſe petito: vt eius intuitu et frequenti commemoratione

memores eſſe diſcerent vnius Dei, et idololatriam tanto vitarent diligentius. Symbolum hoc fidei Iudaicae, verbis Moſis conceptum, fuit dictum Deut. VI, 5. *Audi, Iſrael! Dominus Deus tuus vnus eſt: diliges Deum tuum ex toto corde.* Iniunctum ſimul plebi, vt hoc fidei Iudaicae ſymbolum, quo ab omnibus gentilibus diſcernerentur, quotidie recitarent. Additusque dein nouus externus ſymboli character. Cum enim plebs imperita recitare ac quotidie repetere verba confeſſionis negligat, adeoque periculum ſit, ne ex mente eius ſtatim excidat et exſpiret, inuentum eſt memoriae ſubſidium, plebi exhibitum. Parata eſt domuncula aut capſula, in qua membranae, vti tunc moris erat, inſcripta confeſſio reconderetur. Eaque capſula et fronti et brachio ſemper erat alliganda, vt vbique confeſſionis Iudaicae ſuccurreret memoria et intuitu capſulae confeſſionis. Iudaicum hoc obliuionis et negligentiae fuit remedium. Quales capſulae vel aediculae dictae φυλακτήρια. Continet autem illud fidei Iudaicae ſymbolum duos Articulos: vnum de *vnitate Dei*, oppoſitum idololatriae gentilium; alterum de *amore vnius Dei*, adeoque de obſeruatione praeceptorum eius vel cultu Dei. Vt ſenſus totius confeſſionis huc redeat: *Vnus verus Deus amandus eſt.* Nulla ſacrificiorum mentio in hoc fidei Iudaicae ſymbolo. Cum enim gentiles idololatriam ſuam per ſacrificia exercerent, occaſionem idololatriae praeſcindendam iudicarunt antiſtites; etſi non quidem abiicerent ſacrificia priſtina, confeſſioni tamen Iudaicae publicae non includerent, adeoque minoris facienda eſſe, ſilentio iſto ſignificarent. Agnouerunt enim prudentiores antiſtites, dum ſacrificiis nimis inhaereret vulgus, memorabilem legem parui pendi, cuius tamen potior habenda ratio. Quapropter vnitatem Dei inculcandam cenſuerunt, et amoris Dei ac proximi ſtudium vel legis moralis obſeruationem, tacitis ſacrificiis. Dum itaque Iudaicus ille Doctor ex Chriſto quaerit: quodnam ſummum aeſtimet Dei mandatum? confeſſionem Iudaicae fidei extorquere ſtudet; inſimul audire geſtit, an conſentiat cum maioribus et Iudaeorum antiſtitibus, qui in condenda confeſſione praeterierunt ſacrificia, vtpote minoris facienda, et Dei vnius amorem cum amore proximi coniunctum inculcauerant. Quando igitur in ardua illa quaeſtione, quae totius Iudaiſmi animam concerneret,

ret, Chriſtus publicum Iudaeorum ſymbolum probauit, ad illud ſtatim prouocauit illudque allegauit: quippe cui contradicere nemo poterat. Qua ſymboli Iudaici repetitione conuictus Doctor Iudaeus, non potuit, quin publice reſponſionem Chriſti probaret, v. 32. Quare confeſſionis allegatae Articulos duos diſtincte et ipſe repetit et vtrumque ſuo confirmat calculo. *Verum eſt*, inquit, *vnum eſſe Deum, et non alium eſſe Deum praeter vnum.* Quo idololatria omnis damnatur. Verum etiam, quod amor Dei et proximi ſanctiſſime ſit iniunctus, adeoque lex moralis firmiſſime nos obliget. Quo legem ceremonialem morali poſtponi, diſerte affirmat. Vt hic Doctoris Iudaici calculus ſit in ſymbolum fidei Iudaicae commentarius. Cui Iudaici Doctoris calculo ſuum iterum adiecit Chriſtus, et cum animum viri integrum animaduertiſſet, blanda compellatione et encomio magis ad fidem eum pellexit et in ſui amorem pertraxit.

Ad verſ. 38.

Cum Chriſtus faſtum Scribarum aut legis peritorum Doctorum reprehenderet, varios arrogantiae characteres deſignabat. *Incedere cupiunt*, inquit, *in ſtolis.* Verbum *volendi* θέλειν non merum *voluntatis actum* notat, ſed *affectum:* quod ſummopere hoc agant, vt cum ſtolis vbique compareant. Summum itaque ſtudium et deſiderium indicatur. Nec *cum ſtolis incedere* malum adeoque reprehenſione dignum videri poterat. Interim affectus actionem iterum deprauat: vt *incedere* non ſit aliud, quam multis magniſque faſtus characteribus proditis greſſus facere, referre externo habitu ſingularem religioſitatem et deuotionis maieſtatem, qua oculi ſpectantium percellantur et in religioſitatis admirationem rapiantur. Proinde ſubindicat et vellicat appenſas religionis notas ציצית *peniculamenta ſacra*, quibus ſuperbiebant Phariſaei et ceteri Iudaeorum Doctores. Ingens itaque pondus religionis vel ſuperſtitionis, vel et magnam ſpirituum vim in togis et ſtolis, peniculamentis ornatis, reconditam tangit et mouet Chriſtus. Id quod intendiſſe Chriſtum, patet ex Matthaei XXIII. v. 7. vbi expreſſe hunc in peniculamentis faſtum damnat. *Salutationes* Doctorum in foro aut plateis etiam taxat Chriſtus, non per ſe, ſed propter arrogantiam latentem et

 ſalu-

ſalutationis pompam. Decretum etiam hodie apud Iudaeos, vt Rabbinorum aut Doctorum Iudaicorum maxima ſit veneratio; ſalutationes iniunctae humaniſſimae; diſerta lege cautum eſt, maiorem praeceptoris, quam parentis debere eſſe cultum; qui cum praeceptore contendat, eum contendere cum Spiritu ſancto aut praeſentiſſimo Deo; qui aduerſus eum vel abſentem murmuret aut mali quid machinetur, machinari contra Deum. Si Rabbi vltra 10. milliaria abſit, quaeratur autem diſcipulus de ſententia in religione, caſu ita ferente, reſpondeat. Sed conſidere et Doctoris perſonam induere, nefas eſt, quam diu *Doctor* viuit, etiamſi centum milliaribus abſit, niſi vel diem obierit Doctor, vel veniam docendi diſcipulo dederit. Sunt adeo rigidi, vt mortis ſupplicium decernant illi, qui doceat, dum Doctor aut praeceptor eius non longius quam 12. abeſt milliaribus. Si vltra 12. milliaria abſit, a morte quidem abſoluunt diſcipulum, grauiter interim interdicunt. Si vero ſit Candidatus vel Adiunctus aut Aſſeſſor, in abſentia magiſtri ſui intra 12. milliaria abſtinere a docendo debet; vlterius ſi abſit, integrum eſt docere. Si ab vno ſuo magiſtro aut Doctore licentiam habeat, non ſufficit; obtinuiſſe eam debet ab omnibus maioribus et celebrioribus. Non fas eſt diſcipulo, magiſtrum et Doctorem ſuum, nec viuum nec mortuum, ſuo appellare nomine proprio. In ſpecie ſalutatio, magiſtro ſalutanti data, reſponſio ſit non vulgaris. Debet diſcipulus coram magiſtro aut Doctore ſuo ſe inclinare et cum magna reuerentia et deuotione dicere: *Salue plurimum, Domine Doctor!* Ad hanc itaque ſimilemque ſalutandi pompam collimat Chriſtus, cum Doctores Iudaeorum ſingularem ambirent aliorum deuotionem. Salutatio non nuda damnatur, ſed pompoſa. Arrogantiam Rabbinorum et Doctorum Iudaicorum in capeſſenda ſede, ſiue in ſynagogis ſiue in conuiuiis, itidem damnat Chriſtus, dum πρωτοκαθεδρίαν et πρωτοκλισίαν carpit. Neque vero per ſe ordinem repudiat Chriſtus, quem decor et natura honeſtatis auida iniungunt, ſed nimium in illo quoque honoris ſtudium, quod in faſtum abeat. Habent adhuc Iudaei regulas, quibus determinata eſt ſeſſio Rabbini, dum adſunt diſcipulorum aliqui. Orare vel ambulare diſcipulo non datum ante magiſtrum, neque poſt magiſtrum, neque tamen in latere eius. Longius a magiſtro debet eſſe remo-

tus,

tus, ita tamen vt ad alterum magiſtri latus eundo vel ſtando ſe flectat. Et haec intra quatuor cubitos ſic ſit definita. Vltra quatuor cubitos a magiſtris nihil definitum. Balneum cum magiſtro ingredi, plane nefas, niſi eo opus habeat Doctor. Neque diſcipulus ſedeat ante magiſtrum, niſi ſedere iubeat, neque ſtet ante eum, niſi ſtare iubeat, vel ſtandi veniam impetret. Quare ſi vel ſedeat vel ſtet ante Doctorem ſuum, non tergum, ſed faciem magiſtro obuertere debet. Non ſedere fas coram magiſtro, ſed ſi adueniat, aſſurgat, vsque dum oculis euntem aſſequi amplius nequeat. Etſi vero veteres non male haec conſtituerint vel vſus primo non fuit prorſus damnandus, aucupium tamen honoris in Iudaeorum Doctoribus merito damnat Chriſtus.

Ad Marc. XVI, 2.

Prima ſabbatorum vel *hebdomadis* apud Iudaeos eſt nobis *dies ſolis:* quae dierum enumeratio et hebdomadis appellatio hodienum apud Iudaeos eſt vſitata. Vnde in literis et inſtrumentis publicis, repudii libellis etc. dum dies ſeptimanae notandus eſt, illa adhibetur formula: בְּאֶחָד בְּשַׁבָּת, *μία σαββάτων*, *primo in hebdomade*, בַּחֲמִישִׁי בְּשַׁבָּת *quinto in hebdomade.* Conferatur verſ. 9. *πρώτῃ σαββάτου, primo die hebdomadis.*

Ad verſ. 15.

Quod hic *inter omnes creaturas* praedicandum Euangelium dicitur, apud Matthaeum *inter omnes gentes* annunciandum efferatur, phraſi Iudaeorum vſitatiſſima: כָּל הַבְּרִיאוֹת, qua *homines* abſolute, et quidem *κατ᾽ ἐξοχήν gentiles* indigitare ſolent. *Inter gentiles* itaque praedicandum eſſe Euangelium, monebat, cum Iudaeorum maxima pars inter gentiles eſſet diſſeminata, in Oriente et Occidente, inter Babylonios, Aſſyrios, Perſas, Aegyptios, Graecos et Romanos. Ne igitur diſcipuli Euangelium aut de regno Dei nuntium ad ſolos Iudaeos, in terra ſancta praeſentes, pertinere putarent, ſed et ad omnes abſentes, diſerte iniunxit munus nuntiandi *omnibus*, etiam inter gentiles. Vti et factum eſſe epiſtola Iacobi ad duodecim tribus teſtatur.

Ad Luc. I, 9.

Sorte lectus dicitur Zacharias ad ſuffitum faciendum: quo ipſo reſpicitur ad ritum olim vſitatum. Cum enim ſingulis die-

 bus

bus in miniſterio ſacro plura munia eſſent obeunda, ſacrificandi, ſuffiendi, ligna adaptandi, lampades accendendi etc. haec quoque ordine fieri debebant. Vt igitur ordine fierent, ſuus cuique in familia, cui miniſterium in ephemeria competebat, tribuendus erat labor, vt quisque ſciret, quid ſibi agendum eſſet. Ad euitandam autem querelam de iniuſta ſacrorum laborum distributione, res omnes in ſortem rediit: vt ex ſortis ſententia quisque ſciret, quid ſibi in functione ſacerdotali peragendum. Sortilegio huic conſtituendo locus erat in Templo deſtinatus, nempe conclaue לִשְׁכַּת גָּזִית ſiue baſilica, ſplendidiſſimum in Templo aedificium, quod in atrio Iſraelitarum exſtructum, ſupra murum iſtius atrii emineret, duasque haberet alas: alam interiorem, quae vergeret in Templum, in atrium Iſraelitarum, et alam exteriorem, quae reſpiceret foris in atrium gentium. Eratque in eo conclaui Synedrium aut Iudaeorum Conſiſtorium, in quo res maximae componerentur. Conferatur *Ephemeridum Philologicarum* Discurſus I. cap. 4. In hac igitur ala exteriori huius baſilicae conueniebant illi, qui in certa ephemeria ad certam familiam ſacris miniſtraturam pertinerent, quibus ſorte labores asſignandi erant. Senior aliquis ex Synedrio ſortilegio ſacerdotum horum praefuit, qui in occidentali parte alae iſtius conſedit ac ſortilegium obſeruauit, quod in conſpectu eius in orientali latere fuit inſtitutum. Nam coram Seniore ſacerdotes, inter quos ſorte labores distribuendi erant, in circulo adſtiterunt. Venit tunc praefectus ephemeriae, ſortilegium peracturus, et cidarim de capite alicuius ſacerdotum in circulo adſtantium ſuſtulit. Dein numeratione confectum eſt ſortilegium, dum ab illo, cuius caput nudatum erat, initium numerationis fieri ſolitum eſt ex pacto et conſenſu omnium. Numerati itaque ab illo ſunt ſinguli in circulo ordine, vsque ad certum aliquem numeri terminum vel trigeſimum, 40. 50. vel 60. aut centeſimum, a praefecto pro arbitrio et cum conſenſu ceterorum definitum. Numeratos erigere iuſſit digitum. In quo igitur numerus definitus, de quo inter illos conuenerat, defiit, illius vicino officium certum in miniſterio asſignatum eſt. Atque hoc ſortilegium quater inſtitutum, pro quatuor functionibus primariis. In his functionibus ſacerdotalibus memorabilis et exoptata prae ceteris erat ſuffitum faciendi. Sortilegio itaque, et quidem ter-

tio,

tio, definiendi erant ſacerdotes ad ſuffiendi munus. Aduocati ſunt ex praeſentium ſacerdotum coetu illi, qui ſuffitum non feciſſent vnquam, dicti *noui* aut *ſuffitus Candidati.* Nam qui ſemel ſuffitum feciſſet, non admittebatur amplius ad hoc munus, cum ſupereſſet alius, qui nondum adoleuiſſet: idque propter dignitatem et ſingularem functioni tributam benedictionem, non vni, ſed et aliis concedendam. Cenſebantur enim ſacerdotes, ſuffitum facientes, ſingulari a Deo benedictione beari, locupletiſſimi atque opulentiſſimi a Deo reddi, qui magnas eſſent impetraturi opes. Eamque magnae opulentiae ſpem ſuffitum faciens ſibi pollicebatur ex certa diuina promiſſione, Deut. XXXIII, 10. *Ponent ſuffitum coram facie tua,* o Deus! cui functioni mox v. 11. diuina vox per Moſen ſubiungit: *Benedic,* o Deus, *opibus eius et opus manuum eius grato animo ſuſcipe* etc. Beatiſſimum itaque ſuffiendi munus raro contigit ſacerdoti, et non niſi ſemel, dum eſſent alii ex familia, qui hoc officium non praeſtitiſſent, ob creditam exoptatiſſimam benedictionem annexam. Etſi vero Moſes in benedictione ſua non ad ſuffitum facientes ſacerdotes praeciſe reſtrinxerit argumentum opum, Iudaeorum tamen poſteritas ex ſuo fecit voto, vt vulgata inter ſacerdotes eſſet de ſingulari benedictione, ſuffitum faciendi functioni annexa, fides. Quod ſuffitum faciendi munus cum Zacharias per ſortis beneficium impetraſſet, ſpe benedictionis ſingularis et diuinae animatus, precibus inter ſuffiendum ardentius inhaeſit et cum prunis in ara ſuffitus vehementius incaluit. Ad officium vero ſuffiendi duo requirebantur ſacerdotes: vnus, qui prunas ex altari exteriore depromeret et in aram interiorem, in qua ſuffitus erat adolendus, deportaret; alter, qui ſuffitum in ſanctuarium portaret et adoleret. Socius vero ſacerdotis ſuffitum facientis, qui prunas ex ara exteriori in aram interiorem portaret, non nouo ſortilegio eligebatur, ſed dum prior ſuffitum facturus ſorte eſſet electus, alter latus eius dextrum claudens, eius ſimul electus credebatur ſocius vel collega, dum ſuffitum facturus illi, qui a dextris ſtaret, diceret: *Eſto tu collega meus, ad portandum vaſculum cum prunis.* Zacharias feliciſſimus, cui in his ſortilegiis ipſum ſuffitum facere contigerat, ſacerdotem collegam habuit, qui prunas ad ſuffitum faciendum miniſtraret. Sed collega iſte genibus flexis mox

e ſanctuario iterum diſcedere tenebatur, relicto intus coram ara ſuffitus ſolo illo ſacerdote, cui ſuffiendi munus per ſortem contigerat. Per *Templum* itaque, ναὸν τῦ Θεῦ, in quod ingreſſus Zacharias ſuffitum faciebat, intelligitur *ſanctuarium*, quod erat diuiſum in duas partes aut duo conclauia: *ſanctum* ſeu anteriorem cameram, et *ſanctum ſanctorum* ſiue intima penetralia. Et diuiſa quidem erant illa conclauia non niſi velis et tapetis. In anteriori itaque ſanctuarii parte ſuffitus fiebat quotidianus. In poſteriorem enim non niſi ſacerdos ſummus quotannis ſemel ingrediebatur. Zacharias igitur in anteriori ſanctuarii camera pro more ſuffitum fecit.

Ad verſ. 15.

Vinum et *ſiceram*, ſiue vinum quodcunque recens aut vetus dilutum aut purum, quod inebriet, bibere prohibetur: quae erat Naſiraeorum regula, qua ſeparabantur a vulgato et communi vitae et victus genere, ex inſtituto Moſis, Num. VI, 3. Ideo vero interdicta eſt vini potio, ne Deo deuotus inebriaretur. Dum vero vini potus omnis interdictus erat, Rabbinorum haud poſtremi memorant, ſuccum palmarum aut potionem ex *melle ſilueſtri* paratam Naſiraeis fuiſſe licitam. Idque in Iohanne quoque apparet, de quo expreſſe memoratur, quod in victu ſuo quotidiano, dum a vino abſtinuit, adhibuerit μέλι ἄγριον, quod nihil eſt aliud, quam *mel* aut *ſuccus palmarum*, qui inter Iudaeos fuit familiaris. Prohibita etiam erat Naſiraeo raſura capillorum et barbae. Sed huius hoc loco non fit mentio. Interim non eſt dubium, quin cum vino interdicto raſura etiam prohibita ſit, vel ſi non expreſſe deſignata coma alenda, ex priori tamen Naſiraei conditione determinata a Zacharia eſt collecta. Neque vero putandum, nunquam fuiſſe illos tonſos, ſed raro, dum grauati nimis eſſent.

Ad verſ. 19.

Nomina certa ac definita Angelorum ante captiuitatem Babylonicam inter Iudaeos non fuiſſe adhibita, communis Rabbinorum eſt confeſſio, qui ea exilio illi accepta ferunt. In illis Angelus *Gabriel* Iudaeis vbique in ore eſt, quem a Deo prophetiae et Prophetarum praefectum conſtitutum memorant: vnde dicitur Gabriel *inſpirans Iſraelitis prophetiam iuxta effatum et*

man-

mandatum Dei. Multa alia, quae de Gabriele, eius officiis et apparitionibus referunt Iudaei, recenſere, tempus non permittit.

Ad Luc. II, 1.

Decretum Auguſti, illo tempore publicatum, vt cenſeretur πᾶσα ἡ οἰκυμένη, ab Euangeliſta non refertur ad cenſum in toto imperio Romano definitum, ſed ad cenſum in tota illa Iudaeorum regione, veteri Palaeſtina, factum. Nam πᾶσα ἡ οἰκυμένη notat totam illam regionem, quam Iudaei incolebant, olim *Palaeſtinam* dictam. Euangeliſta enim agit de cenſu Iudaeorum, et quidem in illis regionibus. Senſus igitur eſt: cenſebat totam illam regionem, daſſelbe ganze Land ward von ihm unter Schazung geſezt. Adhibet autem Euangeliſta illam regionum iſtarum appellationem, οἰκυμένην, propter partem regionis, Iudaeam, a Iudaeis praecipue habitatam: ne lector putaret, *ſolam Iudaeam* ſub cenſum eſſe reuocatam; ſed ſciret, *totam* illam ampliſſimam *regionem*, quam ſparſim etiam colerent Iudaei, Samariam quoque et Galilaeam. Determinationem itaque iſtam *totius regionis*, a Iudaeis cultae, adhibet, vt occaſionem clare exprimat itineris a Ioſepho et Maria ſuſcepti ex Galilaea. Nempe, quia non ſolum Iudaeae incolae, Iudaei, ſed et Samariam et Galilaeam colentes ſub cenſum vocati ſunt. Vnde et articulus ἡ non prorſus otioſe poni credendus eſt, ſed cum emphaſi legendus: *tota* illa *regio*, quam colerent Iudaei, in qua et res omnis cum Ioſepho et Maria geſta eſt. Sic et vocem οἰκυμένης infra cap. IV, 5. pro regione *Palaeſtinae* a Luca ſumi, iam monitum in Matthaeo cap. IV. dum Chriſto in celſiſſimo monte poſito, tota iſthaec regio, Iudaeorum olim patria, in qua multa regna ſita, eſt monſtrata.

Ad verſ. 22-24.

Iuſſerat Moſes, omnes primogenitos Deo conſecrare ſiue ad ſacerdotium deſtinare, Exod. XIII, 2. in memoriam liberatorum primogenitorum inter Iſraelitas in Aegypto, Num. VIII, 16. 17. Verum ad varia incommoda euitanda pro primogenitis, ſacerdotio deſtinandis, tribum Leui Deus ſubſtituit, Num. loc. cit. Interea tamen, etſi tribus Leui pro primogenitis eſſet ſubſtituta, primogeniti tamen ad ſanctuarium ferri vel Hieroſolymam in Templum

plum portari debebant, vt ſiſterentur Deo vel ſacerdotio. Redimendus etiam erat certo definito pretio, ſacerdotibus pendendo, Num. 18, 15. et quidem quinque ſicli conſtituti erant, Num. l. c. v. 26. Tempus quoque, quando redimendus eſſet puer, fixum erat poſt 30. dies a partu. Siue autem maturius, ſiue ſerius mitterent aut penderent, perinde erat. Neque vero quisque primogenitus redimebatur, ſed ſolum ille, qui ad ſacerdotium alias eſſet aptus, adeoque integer corpore, absque omni macula aut defectu. Si quis enim eſſet vitio aliquo corporis notatus, ad ſacerdotium erat ineptus: adeoque et primogenitus vitio affectus a redemtione liber erat, quod a ſacerdotio eſſet immunis. Pro purificationis aut munditiei declaratione, a ſacerdote in Templo facta, munera aut ſacrificia offerri debebant; Leuit. X, 6. 7. 8. quod et praeſtitit Maria. Neque vero, quid obtulerit Maria, definitur ab Euangeliſta, qui non niſi quaedam Moſaicae legis verba allegat, quid offerendum fuerit, non autem exprimit, quid Maria obtulerit; cum *disiunctiue* poſita ſint verba Moſis Leuit. XII, 8. ab Euangeliſta allegata. Agnus nempe erat offerendus vnius anni, et pullus columbarum vel turtur. Quodſi vero non ſuppeteret alicui agnus, geminum pullum columbarum vel turturum poterat offerre. Etſi vero diceretur haec poſterior oblatio, *oblatio pauperis*, offerebatur tamen etiam ab aliis, quibus agnus non eſſet ad manus. Purificanda foemina ſiſtebat ſe in porta atrii Iſraelitarum orientali, quae *Nicanoris porta* dicebatur, ibique ſanguine adſpergebatur. In qua porta etiam potus aquae amarae praeberi ſolebat foeminae adulterii ſuſpectae.

Ad verſ. 42. et ſeqq.

Memorabiles Chriſti actiones meruerunt, vt circumſtantiae temporis omnes accurate ab Euangeliſta recenſerentur. Non ſolum *feſtum Paſchatis* fuiſſe indicat, ſed et praeciſe aetatem Chriſti deſignat, quod fuerit *duodenarius*. Sub qua aetatis Chriſti determinatione latet conſtitutio Iudaeorum eccleſiaſtica de pueris in Eccleſiam introducendis. Vt non ſit dubium, quin cum puerulo Ieſu 12. annos nato idem fecerint eius parentes, vti fere ſubinnuit Euangeliſta v. 41. dum eos *religioſos* fuiſſe et *conſtitutionum Iudaicarum tenaces* affirmat. Conſtitutio autem haec

haec erat: puerulum a parentibus eſſe Eccleſiae ſiſtendum, dum annum 12. ſuperaſſet. Nos *confirmationem* diceremus, die Firmung. Siſtendus nempe erat puer coram Senioribus, et quam hactenus in puero educando praeſtitiſſet opera parens, commemorandum. Erat autem ſententia Iudaeorum, parentes ferre peccata filiorum vsque ad annum 12. ab illo tempore onus reſpondendi deuolui in filium. Deuoluebat itaque pater hoc onus publice in filium. Filius Eccleſiae ſic commendatus, allectus eſt in Eccleſiam, factus Eccleſiae membrum: vt teneretur iam ſenſim praeſtare omnia, quae in lege praecepta erant et a Rabbinis iniuncta. Cum factus eſſet Eccleſiae membrum, poterat numerum complere denarium, qui in Eccleſia reperitur: cum decem conſtituant Eccleſiam. Ita omnino Ieſus, puerulus 12. annorum, a parentibus Eccleſiae commendatus et Eccleſiae membrum factus, coepit ſuae obligationi mox facere ſatis, dum, abeuntibus parentibus, manſit Hieroſolymis et publicas Rabbinorum ſcholas frequentauit. Qualis ſchola etiam erat in Templo. *Sediſſe* dicitur v.46. *inter docentes, audiuiſſe et quaeſiuiſſe illos.* *Inter docentes ſedere*, non eſt munus docentis ſubire, ſed cum plures eſſent, qui informarent, in illorum eſſe ſchola vel auditorio. Erat autem illa docendi ratio: Proponebant docentes materiam de ritu in feſto, quale tunc erat, Paſchatis vſitato; hanc exponebant; dein auditores, ſi quid haberent dubii, docentes quaerebant: vt colloquiorum rationem haberent collegia. Quando igitur puerulus Ieſus quaeſiuiſſe dicitur ex Rabbinis, dicitur diſcentis munus obiiſſe, cum eſſet informatio ad formam colloquii inſtituta, facta vna diſcentis quaeſtione, et colloquio inchoato, anſa erat reciprocis quaeſtionibus data, quas formabat docens. Hinc Chriſti reſponſa. Hoc igitur inter docentes Rabbinos et diſcentem puerulum Ieſum, nouum Eccleſiae membrum, colloquium magnam peperit admirationem in animis ceterorum auditorum, ob magnum pueruli ingenium et egregias eius reſponſiones.

Ad Luc. III, 2.

Vnus duntaxat ſummus ſacerdos ex lege Moſaica erat conſtitutus, qui conſulis munus obiret in populo et vrbe ſancta. Verum cum poſt captiuitatem Babylonicam corrupta eſſet Iudaeorum

rum

rum Reſpubl. ſub imperio Graecorum et Romanorum, conſtitutio ſummi ſacerdotis ex corruptione pependit, vt pro maiori oblata Romanae curiae gentique ſumma hic conſtitueretur ſummus ſacerdos, alius remoueretur. Quod ex Ioſepho abunde conſtat. Conſtituti itaque tandem duo in ſummo ſacerdotio collegae: quorum vnus regimen haberet, alter ſecundus eſſet ab eo, vt et regimen per vices obirent. Praecipuus dicebatur abſolute ἀρχιερεὺς, *ſummus ſacerdos* vel *Conſul*, alter dicebatur *Adiunctus* vel *Coadiutor*. Et iſte quidem Coadiutor, *Sagan*, erat ephemeriarum praefectus, qui obſeruaret distributionem functionum ſacerdotalium, adeoque et ſortilegium et ſimilia. Tales erant tempore Iohannis Baptiſtae et Chriſti, cum ſuo fungerentur miniſterio, Hannas et Caiphas, Hannas ſocer Caiphae, Conſules. Alter hoc, alter alio anno ſummus erat ſacerdos aut Conſul; alter Coadiutor, *Sagan*, praefectus ephemeriarum vel Templi; duo ἀρχιερεῖς, Conſules Hieroſolymitani, per vices regentes. Nam et per hos vna cum Synedrio reliquo ſiue Senatorum conſeſſu res etiam omnes ciuiles componebantur.

Ad verſ. 16.

Corrigia calceamentorum notatur, ad quam Chriſto ſoluendam ſe indignum iudicauit Iohannes. Quod reſpicit formam calceorum, noſtratibus fere diſſimilem. Cum enim orientalis regio ſiccior et aridior plerumque eſſet ob rariores pluuias, calcei erant plani, non ſuffulti, platt, ohne Abſätze; ſicuti ex aduerſo in his regionibus humidioribus et magis lutoſis, ſuffultis et euectis opus eſt calceis. Deinde ad ſtrigmenta calceorum longiſſimae erant corrigiae, quibus calceus non pedis ſolum adſtringeretur plantae, ſed et ſuperiori eius parti. Quae forma antiquarum corrigiarum adhuc hodie apud Iudaeos ſupereſt in religioſis calceis, qui in ſeparatione viri ab vxore fratris defuncti ſine liberis relicta, quam ex conſtitutione Moſis ducere debuiſſet, adhiberi ſolent et a Rabbinis ſollicite aſſeruantur.

Ad Luc. IV, 15. ſeq.

Docuit Ieſus in ſynagogis Iudaeorum, et quidem die ſabbati Nazarethi, dum datus ei eſt liber Prophetarum legendus, in quo legit et locum lectum explicuit. Vbi obſeruandum, a temporibus

poribus Eſrae poſt captiuitatem Babylonicam conſtitutum fuiſſe inter Iudaeos, vt ſingulis diebus ſabbati in ſynagogis legeretur Moſes aut ſectio Moſaica. Sed et decretum poſteris temporibus, cum Graeci ſub Antiocho cultum Iudaeorum ſacrum ſubuerterent et lectionem ſacram prohiberent, vt pro ſectione Moſaica in ſynagogis legeretur ſectio aut pars ex Prophetis, quae reſponderet ſectioni Moſaicae, alias legendae, dicta הַפְטָרָה, *lectio vicaria*. Tranquillitate Reip. ab Aſmonaeis aut Maccabaeis reſtituta, vtraque lectio, priſtina Moſaica reuocata et recentior prophetica ſeruata eſt. Ceterum, cum ignota Iudaeis eſſet ab exilio longo Babylonico antiqua lingua Hebraica, qui Syrochaldaice loquebantur, conſtitutum porro eſt, vt lectioni Moſaicae et propheticae adderetur interpres, qui idiomate populari textum Hebraicum praelectum explicaret, dictus מְתוּרְגְּמָן. Hic interpres longius ſermone eſt exſpatiatus in diffuſiorem textus explicationem. Nazarethi in ſynagoga cum ſectio Moſaica a ſeptem viris eſſet praelecta et lectores canonici Moſaici ſuum feciſſent officium, lector propheticus a praefecto vel miniſtro ſynagogae publice, more ſolito, euocatus eſt Ieſus, vrbis Nazarethi ciuis, iam ex praedicatione verbi clarus. Factus itaque illo ſabbati die Ieſus in ſynagoga Nazarethica lector propheticus. Quapropter liber Prophetarum a publico ſynagogae miniſtro illi porrectus eſt, eoque officium legendi ipſi commendatum. Cum vero ſua ſingulis ſabbatis eſſet deſtinata ſectio prophetica הַפְטָרָה, non eſt dubium, quin ordinariam, in ſabbatum tunc incidentem, legerit. Et quidem quae praeciſe tunc fuerit legenda ſectio, haud obſcure a noſtro deſignatur Euangeliſta, dum illum Eſaiae locum incidiſſe ait, vbi verba laudata haberentur. Quo ipſo innuitur omnino הַפְטָרָה, in hunc vsque diem vſitata, Eſa. LX, quae legitur hodie poſt ſectionem Moſaicam Deut. XXVI. quae vtraque ſectio, Moſaica et prophetica, incidit in finem fere anni adeoque in finem Auguſti et initium Septembris, apud Iudaeos in menſem anni vltimum, hodierno ipſorum calculo menſem אֱלוּל. Haud longe proinde ante feſtum expiationis et tabernaculorum haec Chriſti concio habita eſt. Surrexit Ieſus et legit ſectionem propheticam ex Eſaia, inuitatus a ſynagogae publico miniſtro. Surrexit itaque, e loco ſuo in ſynagoga, vbi ſedit, vocatus, et aſcen-

Digitized by Google

aſcendit אֶל־מִמְבַּר vel *ſuggeſtum*, vbi textus ſacer legendus erat, porrecto illi in publico ſuggeſtu libro. Euoluit librum Prophetarum, ſectionis propheticae legendae conſcius; cum alias non fuiſſet vocatus a ſynagogae praefecto. Ordinariam itaque ſectionem illam propheticam euoluens, deprehendit, illam eſſe, vbi et verba laudata ſunt expreſſa. Non quod haec verba legerit; ſed quod illam ſectionem legerit, quae in haec verba incidit. הַפְטָרָה autem hodierna Eſaiae LX. finitur quidem cum fine capitis, ſed vicina ſtatim habet verba, quae leguntur initio cap. LXI. Dum igitur Chriſtus ſectionem ordinariam praelegit ad finem, vsque ad verba hic adducta, his conſpectis motus et ad grauem concionem habendam excitatus, librum Prophetarum conuolutum ſynagogae miniſtro reddidit, ipſeque ad concionem in Eſaiae LX. caput habendam ſe accinxit. Neque affirmat Euangeliſta, verba laudata Eſaiae LXI, 1. eſſe a Ieſu praelecta; ſed ſingulare omen vult indicare: quod tunc illa inciderit legenda ſectio prophetica, vbi memorabilia iſta de Meſſia habeantur verba, dum concionem Ieſus de ſe et regno ſuo mox habuerit. Vnde verba Chriſti v. 21. *Hodie impleta eſt ſcriptura haec in auribus veſtris*, merito referuntur ad ſectionem ordinariam lectam Eſ. 60. vsque ad finem. Quae ſectio a Iudaeis itidem referebatur et adhuc hodie refertur ad tempora Meſſiae.

Ad verſ. 25.

Memoratur 1 Reg. 17. et 18. Eliae precibus coelum aut aërem induratum vel clauſum fuiſſe: qua figura *defectus pluuiae* depingitur, pro genio Orientalium, qui magnis et praegrandibus vtebantur figuris; et quidem *tribus annis*, ex ſententia omnium Iudaeorum: vnde fames ingens preſſit vniuerſa. Sed adduntur a Chriſto *ſex menſes*, vt et a Iacobo cap. V, 17. Conditio regionis Iudaicae augmento huic remedium parabit. Non niſi bis quotannis ſufficiens pluuia illam irrigabat regionem: in principio meſſis circa feſtum Paſchatos, menſe Niſan vel Aprili, vt foecundatae et irrigatae poſtremo ſegetes colonos maiori prouentu exhilararent; et in principio hyemis, menſe fere Octobri, Marcheſchvan, dum ſemina terrae mandata erant. Illa pluuia dicebatur יוֹרֶה *pluuia prima tempeſtiua*, altera מַלְקוֹשׁ *ſerotina.*

De

De quibus ſcriptores ſacri paſſim. Elias per tres annos clauſit coelum vel inhibuit pluuiam, circa id tempus, cum ſemeſtris exſpectaretur pluuia. Poſt tres annos, circa ordinarium pluuiae tempus, reſerauit Deus coelum. Cum itaque tempore precum Eliae, cum pluuia exſpectaretur, ſed impediretur, ſex menſes eſſent elapſi a prima pluuia ad alteram illam deſideratam, ſed inhibitam aut retentam: ſex menſes recte accenſentur tribus annis. Sic per dimidium annum non pluerat, more ſolito. Dein, cum elapſo ſemeſtri pluuia expectaretur, ab Elia per tres annos cohibebatur. Non pluit igitur per tres annos et ſex menſes, etſi Eliae precibus pluuia non niſi per tres annos fuerit retenta.

Ad Luc. VI, 1.

Sabbatum δευτερόπρωτον, quaſi *ſecundo primum,* erat ſabbatum proximum a ſecundo die Paſchatos. Secundo die feſti ex inſtituto Moſis debebat offerri ex noua meſſe manipulus, Leu. 23, 12. et ab oblatione manipuli, ſecundo die feſti Paſchatos facta, numerandi erant 50. dies vsque ad feſtum Pentecoſtes. Vt intra illud tempus abſolueretur meſſis. Eſt itaque vſitata inter Iudaeos numeratio dierum a manipulo: dum ſingulis diebus veſperi quisque teneretur dicere, e. g. *hic dies eſt tertius, quartus etc. a manipulo oblato; hic dies eſt octauus, adeoque vna ſeptimana a manipulo et vnus dies; hic dies eſt decimus quintus, adeoque duae ſeptimanae a manipulo, et vnus dies,* etc. A ſecundo itaque feſti die ſabbatum proximum dicebatur δευτερόπρωτον, quo tempore meſſis iam erat inchoata, inque iſto labore occupati adhuc erant diebus profeſtis.

Ad verſ. 9.

Cum apologiam ſuam texeret Chriſtus pro ſanando die ſabbati aegro, aduerſarios ex propriis refutabat hypotheſibus: die ſabbati opera charitatis factu non ſolum eſſe licita, ſed et neceſſaria; deinde, ad liberandum alium ex diſcrimine vitae, vel totum ſabbatum poſſe profanari. Quae Iudaeorum regulae adhuc hodie ſtrenue ab ipſis inculcantur: Opera charitatis maximi facienda ſunt etiam die ſabbati, nec difficultas vlla in illis metuenda, ſabbato aduerſa. Vnde expreſſe definiuerunt antiqui conſolationem afflictorum et viſitationem aegrorum in ſabbato. Alia regula eſt: ad liberandos a periculis Iudaeos nullam ſabbati religionem

gionem eſſe attendendam, etiamſi totum ſabbatum profanetur; licet, dum alterius ſeruanda eſt vita.

Ad Luc. X, 18.

Cum reuerſi diſcipuli Chriſti rationem itineris et delegationis redderent, felicem ſucceſſum recenſuerunt. Chriſtus illos in gaudio magis confirmaturus, et de aduerſitatibus omnibus auertendis eos certiores redditurus, dicit: *Videbam Satanam cadentem inſtar fulguris e coelo.* Qua phraſi et figura omnia aduerſa a diſcipulis auertenda innuit Chriſtus. Id quod ipſe mox clarius v. 19. indicat, dum dicit: *Do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes et ſcorpiones et ſuper omnem vim inimici, et nihil omnino eorum laedet vos.* Per *Satanam* igitur vti ipſum diabolum, ita eius effecta, quamlibet aduerſitatem et quaelibet mala intelligit Chriſtus, quae a diſcipulis ſint auertenda. Per *lapſum Satanae* deſignat omnium malorum auerruncationem: quod diaboli vel maxima potentia et malorum omnium moles ſit praecipitanda et delenda, ne noceat diſcipulis. Quali fere figura Propheta Eſaias interitum regis Babyloniae iam olim deſignauerat, cap. 14, 12. Subitaneum lapſum Satanae aut praeſentiſſimam malorum auerſionem indicat comparatione inſtituta cum *fulgure coeli*: quod ſicut fulgur coeli ſubito terram petat, ſic et Satanas ſubito ſit lapſus. Vt verba haec, ex τοῦ οὐρανοῦ, referantur ad ἀστραπὴν, *fulgur e coelo.* Vidiſſe ſe hunc lapſum, ait Chriſtus, quod nihil eſt aliud, quam certo ſciuiſſe et ſcire, hoc futurum. Quae locutio omnibus familiaris. Vt non *viſus oculorum* indigitetur, ſed *mentis agnitio* et *iudicium.*

Ad verſ. 30. et 31.

Exempli circumſtantias non parum illuſtrabit, ſi repetiuerimus, ſacerdotes, in Templo miniſtrantes, magna ex parte Hierichunti habitaſſe, quae aliquot milliaribus diſtabat Hieroſolymis. Quod et ex eo confirmatur, quod Maria Nazaretho migraſſe dicitur *ad montana Iudaeae*, ad inuiſendam Eliſabetham. In montanis vero Iudaeae praecipua vrbs erat Hiericho, vt et abſolute diceretur *montana Iudaeae.* Cum igitur multae ephemeriae Hierichunte migrarent Hieroſolymam, indeque iterum diſcederent, domum reuerſuri, finito officio ſacro Hieroſolymis: hinc frequens ſacerdotum iter inter Hieroſolymam et Hierichuntem.

Ad verſ. 42.

Vt Marthae nimiam curam de conuiuio lauto parando rectius disſuadeat Chriſtus, ſuam αὐτάρκειαν ſubinnuit: Non, inquit, tam multis opus eſt, tantus non requiritur apparatus. Ἑνὸς ἐςὶ χρεία, *vnum*, h. e. *parum, pauxillum*, vel *aliquid ſuffecerit*. Es iſt eben itzo nicht nöthig, ſo viel aufzutragen, daß der Tiſch ſich biege oder breche, genug wenn nur etwas da iſt. Ἓν igitur hoc loco non *vnum numerum* praeciſe notat, ſed *paucitatem, tantum, quantum ſufficit*. Sic apparatum magnum, quem Martha faciebat, declinabat Chriſtus, quem permiſiſſet omnino, vt in aliis conuiuiis, quibus interfuit, niſi Martha de nimio labore ſuo in apparatu faciendo fuiſſet conqueſta: vt per ſe non damnet conuiuia. Declinat autem Ieſus oblique ad apologiam pro Maria negligentiae accuſata. Hanc, figura a conuiuio ſumta, excuſat, quod ſe loquentem iam audiret, quare dicit: Tu Martha multas dapes paras; Maria *praeſtantem* et delicatam iam tum parauit epularum *portionem*, quas delicias retinebit et pro ſua in conuiuio habebit *parte*. Quae eſt obliqua et ſuauis apologia pro Maria et ſtudio Euangelii in illa.

Ad Luc. XII, 49. 50.

Ignem ſe miſſum veniſſe, dum nuntiat Chriſtus, poenam omnino a Iudaeis ſumendam denuntiat. Cum enim Chriſtus iudex eſſet et ſcelerum vindex grauiſſimus, Iudaeos praefractos perditum omnino, vt bonos liberatum, venerat: quod ſaepe Iudaeis praedixerat. Quo pertinet et determinatio, ἐπὶ τὴν γῆν: vbi per *terram* non tam orbis terrarum, quam regio Iudaeorum, in qua haec omnino agebantur, intelligitur, über das Jüdiſche Land. Quando dicit ἦλθον, *veni*, non *finem* ſui aduentus in carnem innuit, quaſi veniſſet punitum Iudaeos; ſed *euentum* et *effectum* notat, quod non poſſit iam, cum praefracte repugnent Iudaei, quin, cum alias lubens eos ſeruaſſet, nunc illos plectat et perdat. Vt *praeteritum* nihil aliud innuat, quam *certitudinem* poenae imminentis: *Veni*, i. e. *omnino venio, iam adſum* ad ſumendam poenam. Subiungit votum: *Quam vellem iam arderet hoc incendium!* Quae verba ſunt *indignantis* et *poenam maturantis*, q. d. plectam, et quam vellem, vt poena iam eſſet ſumta. Quae indignatio impietatem Iudaeorum aggrauat, quae

 hunc

hunc affectum mouerit, vt illos iam perditos optaret. Addit tacite v. 50. indignationis ſuae cauſam, perſecutionem Iudaeorum in ſe directam, caedem ſui imminentem. Quae ſibi a Iudaeis impendentia pericula, interitum gentis praeceſſura, figura, non prorſus genti ignota, pingit. *Vehementer*, priusquam pereant Iudaei, *lauabor*. Es iſt mir noch erſt eine ſcharfe Lauge bereitet; mein Kopf wird mir noch erſt tapfer gewaſchen werden. Qualibus figuris et nos vtimur, pericula impendentia indicaturi. *Baptiſma* vero notat ſtylo Iudaeorum quamvis *lotionem* aut *in aquam immerſionem*: vti *lotio poculorum* dicitur βάπτισμα ποτηρίων, *pedes loti* dicebantur βαπτίζεσθαι. Notum vero, quod frequentiſſimus apud Iudaeos eſſet lotionis vſus. Vnde figura a Chriſto vſurpata de ſua paſſione et morte: er hätte noch ein heiſſes Baad vor ſich. Subiungit et hic ſuſpirium, quo et ſuae huic paſſioni optat finem: quam vellet, et haec res difficillima eſſet conſummata.

Ad Luc. XIII, 11.

Loquitur Euangeliſta ex opinione et ſententia gentis Iudaicae, dum *ſpiritum infirmitatis* habuiſſe dicit foeminam. Iudaei enim omnes infirmitates et morbos vocant *ſpiritus*, cum *ſpiritus* certos illis praefectos referant. Vnde innumera ſpirituum nomina, variis morbis impoſita: etſi veteres per *ſpiritum*, quem dixere *morbum*, non tam diſtinctam ſubſtantiam immaterialem intellexerint, quam affectum et certam conſtitutionem corporis ac ſpirituum animalium. Quare ſaepe dicunt Iudaei: *Spiritus malus vocatur omne damnum*, *quod non eſt ab homine alio profectum*, *ex quacunque etiam cauſa ſit ortum.* Interea Iudaei non negarunt daemones; quin ab illis morbos infligi affirmarunt. Conferatur hiſtoria Iobi.

Ad verſ. 26.

Rabbinis non inſolens erat olim docere, vt in ſynagogis, ita et in plateis. Ratio erat, quod pro maiore calore affectus ſe continere non poſſent, quin in turba obuia ſtatim Doctores ſe oſtenderent et comites auditores inſtruerent. Antiquiſſimam fuiſſe rationem docendi auditores in deambulationibus, ex aliis quoque patet gentilium Philoſophorum exemplis, e. g. Socratis, qui inter

ter deambulandum ſuos docuit auditores. Quod ex vita Socratis, a XENOPHONTE adornata, abunde patet. Chriſtus itaque idem fecit, quod aliis non fuit inſolens, dum etiam in plateis docuit.

Ad verſ. 33.

Dum Chriſtus ait, non eſſe poſſibile vel contingere, vt pereat Propheta extra Hieroſolymam, redarguit oblique inſidias Iudaeorum, quas ad ſuam necem iam ſtrui ſentiebat. Vt ſenſus verborum ſit: Sentio dolos veſtros; breui fiet, quo ad Synedrium hic me rapietis et condemnabitis, ſicut olim veri experti ſunt Prophetae, quibus nomina pſeudoprophetarum impegiſtis. Eſt itaque ſalſa reprehenſio crudelitatis, iniuſtitiae et impietatis Iudaicae in ipſa vrbe Hieroſolyma. Nec negandum, formam regiminis ſacri eam fuiſſe, vt crediti falſi doctores, vti Chriſtum putabant, raperentur ad Synedrium magnum, quod erat Hieroſolymis, ibique morti traderentur. Expreſſa eſt conſtitutio Iudaica: *Falſus Propheta, vel qui praedicat, quod non audiuit a veris doctoribus, per homines occidendus eſt.* Sed et altera eſt conſtitutio: *Talis non occiditur ab illo magiſtratu, in quo loco deprehenditur, ſed rapitur Hieroſolymam, ad magnum Synedrium, in alam Templi vel baſilicam, et captiuus tenetur vsque ad feſtum, et occidunt eum in feſto, vt exemplum ſit omnibus Iſraelitis in feſto congregatis.* Chriſtus igitur, cognita illa Iudaeorum conſtitutione, praeuidit, ſe Hieroſolymis prehenſum, ad Synedrium magnum raptum ibique occiſum iri, cum iram et furorem Iudaeorum dudum ſenſiſſet. Etſi igitur τὸ ὀυκ ἐνδέχεται, *non contingit, vt Propheta pereat extra Hieroſolymam,* ſalſiſſima ſit exprobratio indurati pectoris Iudaici, qui non facile verum Prophetam dimittant ſaluum, ſed quaerant, quomodo e medio tollant; non dubium tamen, quin legem et conſuetudinem Iudaeorum ſimul reſpexerit, qui Hieroſolymis coram Synedrio mortis ſententiam ferre conſueuerant.

Ad Luc. XIV, 1-6.

Diebus ſabbati lautiſſima inſtructa fuiſſe Iudaeis conuiuia, notum. Quippe magna religionis ſabbaticae pars eſt apud Iudaeos, epulari et vitulari maſcule ac pro Iudaeorum dignitate. Incidit

Digitized by Google

mox in domo Phariſaei inter conuiuas quaeſtio, oblato hydropico. Quaeſiuit Chriſtus, an liceret ſanare die ſabbati? Quaeſtio haec in ſcholis admodum erat agitata et variis modis deciſa. Definitum erat a Rabbinis: *Omnis medicina ſabbato prohibita eſt.* Ratio: *ne contuſio et mixtio medicamentorum turbet feriam.* Si nempe talis ſit infirmitas, quae non corpus exedat et vires conſumat eundo. Sic enim ne a gentili quidem vel Chriſtiano admittenda ſunt medicamenta. Quodſi vero morbus ſit periculi plenus, conſtitutio Rabbinorum iubet, illius gratia profanare ſabbatum. Quo quis promtior eſt hac in re, eo maiori laude dignus cenſetur. Si quis etiam opem ſuam differat, aliunde quaeſiturus, necare et ſanguinem fundere illo neglectu creditur. Periculum enim eſt, ne, dum alio abit, interea moriatur aut reddatur infirmior aeger. Omnia vulnera ferro inflicta, vlcera in partibus hominis occultandis, apoſtemata, ſabbato curanda ſunt et ſabbatum ea propter profanandum. Febris itidem profanare iubet ſabbatum, vt expellatur. Similiter et venam ſabbato ſecare oportet, ſi ſanguinis impetus ſuadeat. Sic etiam ſabbatum profanatur ob varios oculorum morbos ſanandos. Quisque morbus, vel in extrema corporis membrana, ſi periculum adſit, iubet, medicina quaeſita, profanare ſabbatum. Quodſi hic medicus dicat: periculum imminet; alius neget, profanandum vtique eſt ſabbatum, dubii cauſa, quod pro aegri ſanitate decidendum eſt. Dum autem ad ſanandos aegros ſabbatum profanare ius fasque eſt apud Iudaeos, illi adhibendi ſunt medici, qui Iudaei ſint, non gentiles aut Chriſtiani, vel pueri vel foeminae. Non illi, ne offendantur Judaeorum religioſitate; non hi, quod etiam ſuis negotiis ſint tardiores. Laudatur in his omnibus ſabbatum ſanando profanantis celeritas. Quamuis in illa liberatione e periculo alia quaedam ſint committenda, ſabbato alias prohibita, non impedit: e. g. ſi rete ſit expandendum ad liberandum infantem ex fluuio, in quem prolapſus eſt. Hinc regula generalis: *Sollicitus quisque eſto de ſeruanda vita alterius in ſabbato.* Neque opus eſt quaerere licentiam a ſuperioribus. Quo quis etiam citius vitam alterius ab interitu liberabit, eo habetur laude dignior; inprimis ſi liberatio ſit a morte ad vitam, ſabbati religio omnino poſtponenda eſt. Si aeger opus habeat carne, pro illo mactare licet, ob

ratio-

rationem: omnia liberandae vitae ſint poſtponenda. Si quis in morbum incidat die ſabbati, ſine periculo tamen vitae, non Iudaei quidem medici admouentur, gentilis tamen aut Chriſtiani medici opem implorant, qui omnia in vſum aegri negotia conficere poteſt. Ex quibus conſtitutionibus omnibus patet, quaeſtionem Chriſti de iure ſabbato ſanandi non ſolum agitatam inter Iudaeos, ſed et arduam fuiſſe. Ad quam et Phariſaei, caſuum Iudaicorum periti, nihil reſponderunt; cum ſcirent, ex propriis hypotheſibus conuicti, aegros recte ſanari die ſabbati, et quo quis promtior ſit in hoc opere, eo eſſe laudabiliorem. Silentium proinde Doctorum praeſentium teſtatur de iure ſanandi conceſſo. Chriſtus confeſſione eorum ex ſilentio agnita, hydropicum ex tempore ſanauit. Sed et aduerſus calumnias Iudaeorum mox apologiam texuit, argumento ſumto ex propriis Iudaeorum hypotheſibus, quippe qui ſabbatum violare non ſolum permittant, ſed et iubeant, ſi periculum vitae immineat pecudi, quanto magis homini. Quod canones Iudaeorum expreſſe memorant. Vnde ſilentium Doctorum Iudaicorum etiam ad hanc apologiam, et argumentum Chriſti ex propriis eorum hypotheſibus ſumtum.

Ad Luc. XVI, 9.

מָמוֹן, vox Iudaeis vſitatiſſima, *opes* notat: ſicuti Iudaei prolixos ſcripſere libros de נִזְקֵי מָמוֹן, de *damnis bonorum* vel *opum*. Μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας ſunt *opes iniuſto titulo acquiſitae*. Has igitur reddere vel largius diſtribuere, ſuadet Chriſtus, liberaliorem eleemoſynarum erogationem commendans, addita ratione: vt ex illa diſtributione illis olim ſit bene. *Si defeceritis*, inquit, *in aeterna* amici illi, male partis bonis diſtributis parati, *vos recipient tabernacula*. Quae promiſſionis formula a communi populi loquendi conſuetudine, aut gentis Iudaicae hypotheſi eſt deſumta. Ante regni Meſſiae initium grauiſſimas, aiunt, fore afflictiones, quas vocant חֶבְלֵי מָשִׁיחַ *dolores Meſſiae*. In illis afflictionibus peraegre multis eſſe futurum. Secuturum mox regnum Meſſiae tranquillum, idque diuturnum, mille annis durans, in quo in *tabernaculis* ac domibus ſuis laeti ac beati viuant. Formula autem illa, ex communi gentis hypotheſi deſumta, deſignat gratiam Dei, cuius ope ex calamitatibus ſalui ſint euaſuri et ad aeternam vi-

 tam

Digitized by Google

tam aliquando emigraturi, vtpote qui Euangelio ſe conformes geſſerint.

Ad verſ. 18.

Diuortium dum Chriſtus damnat inter Iudaeos familiariſſimum, adulterii accuſat tam eum, qui, dimiſſa ſua vxore, ducit aliam, quam illum, qui ducit dimiſſam. Vbi obſeruandum, hanc diuortii apud Iudaeos fuiſſe legem, vt non ſolum dimitteretur vxor, ſed et libera declararetur, ad nubendum alteri viro pro lubitu. Qualia diuortia hodienum apud Iudaeos vſitata ſunt. Quare in libellis repudii vxor aperte declaratur libera, quae nubat, cui viro velit vel posſit. Quod vt tanto conſtet plenius, integram dabimus formulam libelli repudii; qualis nouiſſime in diuortio inter Iudaeos factus et adhibitus eſt, ſtylo latino; cum alias ſit paulo prolixior et ob characterem mixtum, partim Hebraicum, partim Chaldaicum, obscurior.

Libellus repudii.

„Die quinto ſeptimanae, vndecimo menſis Adar ſecundi „(nono vel decimo nono Martii, noſtro ſtylo,) anno 5453. a cre„atione mundi, (1693. noſtro ſupputandi more) pro numero, „quem hic obſeruamus in *Hilſſen*, quae dicitur alias *Hildesheim*, „oppidum ſitum ad fluuium *Dreva* et fluuium *Inderſt* aliosque „fontes, ego *Iitschak*, dictus vulgo *Iſaac*, filius Iehudae, dicti „*Lef* (Leo), qui hodie dego in *Hilſſen*, alias *Hildesheim*, oppi„do ſito ad fluuium *Inderſt* aliosque fontes, decreui pro animi „mei beneplacito ſponte deſerere, repudiare, eiicere, te, te, te, „vxorem meam, *Nachama*, filiam Iitschak, quae fuiſti vxor mea „hactenus. Quare nunc deſero, repudio et eiicio te, te, vt ſis „libera et facultate praedita pro arbitrio tuo nubendi alteri viro, „cui voles; nec vllus eſto, qui te impediat ab hoc die et impo„ſterum. Sic igitur es libera, quae omni viro nubas. Teſtimo„nium denique, quod a me habeas, eſt liber repudii, epiſtola di„miſſionis et inſtrumentum ſolutionis, pro conſuetudine Moſis „et Iſraelitarum. *Iitschak*, filius Abraham, teſtis. *Ephraim*, fi„lius Ioſeph, teſtis.

Ad

Ad verſ. 19. et ſeqq.

Parabola hac pungit Chriſtus impoenitentiam Iudaeorum luxui deditorum. Simul et poenam grauiſſimam a Iudaeis ſumendam ſubinnuit. Dein oblique ſubindicare videtur reiectionem praeſentium Iudaeorum, impoenitentium quippe, et receptionem aliorum in illorum locum, vtpote qui per afflictiones ad peccatorum agnitionem eſſent perducti. Sicuti permultis parabolis iſtam ſolitus eſt figurare Iudaeorum reiectionem. Vt res tandem redeat in illam Chriſti ſententiam: *Multi venient ab Oriente et Occidente et cum Abrahamo accumbent in regno coelorum, filii vero regni eiicientur.* Quo pacto per *diuitem epulonem* deſignabitur gens Iudaica, inter quam in Iudaea Chriſtus agebat, quae omnibus opibus abundabat, Euangelio et Dei verbo poſthabito, vel Moſe et Prophetis contemtis. Per *Lazarum* afflictum notantur ceteri Iudaei in exiliis, afflicti et cruciati ac ad poenitentiam compulſi, et per hos omnes alii ad regnum Chriſti vocandi. Status autem Lazari beatus deſcribitur phraſibus inter Iudaeos vſitatis. *Portatus* nempe *ab Angelis* dicitur *in ſinum Abrahae.* Quae phraſis geminam reſpicit Iudaeorum hypotheſin: animas beatorum ab Angelis ſumi et transferri in locum beatorum; et quidem in ſinum Abrahae. Tradunt enim Iudaei, vt videre eſt in libro שַׁעֲרֵי גַן עֵדֶן *portae paradiſi*, duas eſſe portas paradiſi, et ante vtramque 60. myriades Angelorum eſſe poſitas, quorum quisque luceat in vultu tanquam fulgor coeli. Dum iuſtus veniat ad illos, hos exuere defuncto veſtes, quibus in ſepulchro fuit amictus, et veſtire illum octo veſtibus ex nube glorioſa paratis; duas dein exhibere coronas capiti imponendas, alteram ex gemmis et margaritis, alteram ex auro confectam; poſt octo myrti ramos manibus eius commendare; denique eum celebrare et his alloqui verbis: *Abi intro et cum voluptate panem tuum comede.* Quibus figuris veteres beatitudinem futuram pinxerunt. Ita ſtatus beatus vocatur *ſinus Abrahae.* Cum enim, vti dictum, beatus dicatur intromitti in paradiſum, ad coelum ceterorum beatorum, ad cibum aut ambroſiam capiendam dicitur admoueri. Cumque Abrahamo primas dent in paradiſo, *in ſinu Abrahae* dicitur eſſe, qui cum Abrahamo more Orientalium menſae accumbit in paradiſo, quaſi in menſa pro-

 xime

Digitized by Google

xime in ſinu Abrahami ſederet. Qua figura Chriſtus ſaepius eſt vſus cum ceteris Iudaeis. *Venient multi,* ait, *et accumbent cum Abrahamo in regno.* Sicut et Iudaeus in conuiuio ſabbatico exclamabat: *Beatus, qui comedet panem in regno coelorum!* Status damnatus epulonis aut impoenitentium Iudaeorum futurus pingitur v. 23. et ſeqq. forma triſtis colloquii: vt tanto rectius ſingulorum meritum deſignetur. *Sustuliſſe oculos ſuos* dicitur epulo Iudaeus, in inferno cruciatus, et *eminus vidiſſe Lazarum in ſinu Abrahami.* Cum enim infernus alias pingatur figura vallis Gehennae aut Gehinnom, indeque dicatur *Gehenna*, patet, modos loquendi et poenam repraeſentandi eſſe ſumtos a conditione vallis Gehinnom prope Hieroſolymam, in qua loco idoli Moloch, olim ibidem culti, ignis poſtea perpetuo ardens fuit exſtructus, in quem coniiceretur, quicquid abolendum erat. Siſtitur itaque epulo quaſi in valle Gehinnom igne crematus, dum infernale ſupplicium pingitur: ex qua valle reſpiciat ſurſum verſus Templum celſum, quod paradiſum repraeſentabat, dum Dei erat ſedes et ſacra ibi fiebant. Accumbebant quoque ſacerdotes et viri ſacri, menſae ex ſacrificiis inſtructae. Vt quaſi in Templo viderit Lazarum in ſinu Abrahae menſae accumbentem epulo, infra in valle Gehinnom cruciatus. Vnde porro cruciatus magnitudo cum deſiderio guttarum aquae, v. 24. Quae figura iterum reſpicit ſitum vallis Gehinnom prope Hieroſolymam. Nam in valle iſta erat torrens Kidron. Ex quo vallis ſitu alia adhuc figura petita eſt v. 26. qua impoſſibilitas deſignatur iuuandi ac liberandi epulonem damnatum et cruciatum. Cum enim profunda vallis Gehinnom eſſet et Templum celſum, dicit Abrahamus: *Inter nos et vos ingens hiatus firmatus eſt, vt noſtrum nemo ad vos, neque veſtrum quiſquam ad nos tranſire poſſit. Domus patris* dum poſtremo meminit epulo, ad quam mittat Abraham, illa figura reſpicit vicinam valli Gehinnom vrbem Hieroſolymam: vt per *domum patris* et per *fratres* intelligatur vrbs et tota gens Iudaica, voluptatibus dedita.

Ad Luc. XVII, 20. 21.

Cum quaererent Phariſaei Chriſtum, quo tempore venturum eſſet regnum? ad varias ſuas collimabant traditiones de articulo tem-

temporis aduentus Meſſiae, audituri hac de re et Ieſu ſententiam. Quales temporis articuli a variis Iudaeorum doctoribus varii erant definiti. Quippe cum in tempore praeciſe definiendo plane conuenire non poſſent, ſupputationes variae, relationes ac opiniones de tempore aduentus longa ſerie referuntur in Talmude Babylonico, libro *Sanhedrin*. Vnde aliqui, incertitudine moti, damnarunt illos, qui terminos aduentus Meſſiae quaererent aut ſupputarent. Alii, cum terminos, a maioribus definitos, elapſos vidiſſent, de aduentu Meſſiae ſui plane deſperarunt. Alii in ſolam Iudaeorum impoenitentiam, elapſis omnibus terminis, ſpem aduentus omnem redire dixerunt. Vnde tandem aliqui terminum longius prorogarunt vsque ad finem millenarii ſexti a condito mundo: cui ſpei fundamentum poſuere fictam Iudaicam traditionem de mundo ſex mille annos duraturo, in cuius millenario ſexto Meſſias veniat, vt ſeptimum millenarium inchoet, phantaſiae regnum. Cum igitur vexatae eſſent quaeſtiones inter Iudaeos de tempore aduentus Meſſiae, quas ipſi quoque Chriſti diſcipuli repetebant, Act. 1, 6. Chriſtus dubia Iudaeorum grauiter ſoluit, dum dicit: *Non venit regnum Dei μετὰ παρατηρήσεως, cum obſeruatione*, vel *ita vt obſeruetur*. Quod nihil eſt aliud, quam: dum venit et adeſt, non eſt, qui obſeruet, qui attendat, qui admittat. Quae eſt grauis reprehenſio negligentiae, ſomnolentiae et impoenitentiae Iudaicae, qui iam praeſens regnum ſiue Euangelium non curent, non attendant, ſed negligant et reſpuant.

Ad Luc. XVIII, 8.

Promiſſioni de certa vindicta, eaque maturanda, ſubnectit Chriſtus more ſolito admonitionem ad conſtantiam in fide vsque ad tempus illud ſupplicii et vindictae. *Liberabit* vos omnino *Deus*, inquit, ſed et vos eſtote cauti, vt in fide conſtanter perſeueretis. πλὴν, *verum* hac lege et cautione filius hominis veniet ad ſupplicium a Iudaeis, hoſtibus et perſecutoribus veſtris, ſumendum, *modo inueniat fidem in terra*, modo deprehendat vos in fide conſtantes. Aduentus filii hominis hoc loco eſt ad poenam, vt ex tota oratione patet, et quidem a Iudaeis ſumendam excidio vrbis Hieroſolymae. Neque eſt *interrogantis*, ſed *adhortan-*

hortantis affectus. Sicuti in antiquis exemplaribus multis nullum *interrogationis* deprehenditur ſignum. Neque τὸ ἄρα cum *Circumflexo*, ſed *Acuto* in aliquibus antiquis codicibus ſcribitur: vt idem ſit ac *ſane, certe.* Neque εὑρήσει Futurum, Futuri Indicatiui ſemper vim habet apud Graecos, ſed et Optatiui ac Imperatiui: vt εὑρήσει idem ſit ac *inueniat*, daß er ja finde und anſtreffe. *Fidem* autem *inuenire* eſt deprehendere in fide Chriſti diſcipulos, qui animum non deſponderint et vel ad Iudaiſmum defecerint vel otio vel luxui ſe dederint. *In terra*, non abſolute toto terrarum orbe, ſed relatiue, terra Iudaeorum; cum de delenda Hieroſolyma agat.

Ad verſ. 10. et ſeqq.

Templum totam notat ſtructuram in monte Moria, cum omnibus atriis et ambulacris. Templum igitur ingreſſus eſt Phariſaeus, dum atrium ingreſſus eſt Iſraelitarum, preces fuſurus. Publicanus, ſi gentilis, in atrio gentium ſubſtitit; ſi Iudaeus, atrium Iſraëlitarum itidem ingreſſus eſt. Nam et gentiles Templum ingreſſi ſunt, dum in atrium gentium ſe contulerunt, preces ad Deum Iſraëlis fuſuri. Phariſaeus *ſtetiſſe* dicitur inter orandum, vt et publicanus. Standum enim inter orandum, ex decreto Rabbinorum. Stabat autem Phariſaeus *ſeorſim*, a publicano remotior. Tenentur enim Iudaei ita preces fundere, ne audiat alter, et in ſua deuotione turbetur. Inter preces quotidianas formulae ſunt fixae, omnibus praeſcriptae; ſunt et liberae, pro ratione deuotionis ſponte formandae. Initium precum plerumque fit a benedictione Dei ſiue laude Dei: et quidem praeciſe illarum, quas ab Eſra profectas שְׁמֹנֶה עֶשְׂרֵה *octodecim votorum* vocant. Ad quam orationem reſpicere videtur parabola, quippe in qua hae occurrunt formulae: Benedictus ſit Dominus Deus, quod non ſim factus gentilis; benedictus ſit Dominus Deus, quod non ſim factus ſeruus; benedictus ſit Dominus Deus, quod non ſim factus femina. Ad quas formulas omnino redit ſenſus Phariſaei, qui Deo gratias egit, quod non eſſet, ſicuti ceteri homines, gentiles et ſerui, rapaces, iniuſti, moechi, vel et vt iſte publicanus.

Ad

Digitized by Google

Ad Luc. XIX, 42.

Τὸ ὅτι eſt Euangeliſtae vocula, poſt verbum λέγειν adhibita. Sermo Chriſti incipit ab illis verbis εἰ ἔγνως. Eſt autem flebilis illa oratio votum pro conuerſione Iudaeorum. Ἐι *exclamandi* particula, *o vtinam!* ἔγνως non nudam *notitiam* notat, ſed cum affectu coniunctam, vt idem ſit ac *agnitio*, hoc ſenſu: *vtinam agnoſceres!* quae eſt querela de impoenitentia Iudaeorum. Comparat impoenitentes Iudaeos cum fidelibus et credentibus diſcipulis, dum dicit: καὶ σὺ, *et tu.* O vtinam *et tu*, Hieroſolyma! agnoſceres aeque ac diſcipuli agnoſcunt. De diſcipulis vero Euangeliſta memorauerat, quod Chriſtum laudaſſent et actiones eius celebraſſent. Hoc diſcipulorum exemplum Chriſtus ingerit quaſi Hieroſolymae, et ad imitandum proponit in hoc ſuo flebili voto. Opportunitatem agnitionis tempore praeſenti indicat, ſed et neglectam a Iudaeis dolet Chriſtus, dum dicit: *Et hoc quidem die tuo.* O vtinam agnoſceres aeque ac diſcipuli agnoſcunt, et hoc quidem die tuae ſaluti iam deſtinato, quo initium quaſi regni publicandi fiat, in ingreſſu ſolenni tanquam Regis in vrbem.

Ad Luc. XXI, 24.

Addere videtur Chriſtus miſeriae Iudaicae terminum, dum vrbem Hieroſolymam a gentilibus calcandam aut posſidendam dicit, *vsque dum impleantur tempora gentium.* Quaſi poſt aliquod tempus vrbs Iudaeis ſit reſtituenda et ab illis reſtauranda. Vbi obſeruandum, fuiſſe omnino Iudaeorum hypotheſin, regnum Meſſiae Hieroſolymis iri coeptum, eamque vrbem, exemplo Dauidis, ſedem fore regiam. Dum igitur Chriſtus vrbem deletum et a gentibus posſeſſum iri dicit, videtur reſtaurationem vrbis ſimul ſubindicare, ne ſpes gentis et regni cum vrbe peritura et exulatura credatur. Apparet autem omnino, Chriſtum ſpei illi Iudaicae in diſcipulis nonnihil indulſiſſe et ad vota eorum orationem ſuam compoſuiſſe: perituram vrbem, praeſentes Iudaeos iri diſperſum, donec, pulſis iterum gentilibus, Iudaeis vrbs reddatur in Meſſiae regno. Quae ineffabilis erat Chriſti prudentia affectibus diſcipulorum ſe accommodandi, ne animum deſponderent. Vt ſenſus ſit: delebitur vrbs a gentilibus expugnanda, donec et tempus gentilium perdendorum veniat, iique

pulſi

pulſi et caeſi vrbem reddant Iudaeis in regno Meſſiae. Talia namque tempore Meſſiae fata et tempora gentium expectabant Iudaei, vt Meſſias Iudaeos e manibus gentilium eriperet et vrbem ac gentem integritati reſtitueret. Videtur autem Iohannes Apoc. XI, 2. definire plane terminum, quamdiu Hieroſolyma a gentilibus ſit calcanda, *menſibus* nempe *quadraginta duobus*, vel *annis duobus cum dimidio.* Vbi notandum, numerum illum duorum annorum cum dimidio *certum* poni pro *incerto*, cum eſſet inter Iudaeos vbique in ore, dum de ſtatu afflicto eoque diuturno ſermo eſſet. Senſus igitur huc redit: Iudaea a gentilibus tenebitur longiſſimo tempore, cum infando cruciatu et dolore Iudaeorum.

Ad Luc, XXII, 44.

Etſi *ſanguinem ſudaſſe* Chriſtum ingens anxietas et inſuperabilis moeror alias non negent, verba tamen ab Euangeliſtis poſita id non videntur immediate ſignificare. Expreſſe enim *ſudor eius* nominatur, vt verus ſudor ſit concipiendus. Verum tanta ſudoris dicitur fuiſſe copia, vt *ſicuti* alias *guttae ſanguinis* deflunt in terram, ſic pari quantitate et modo ſudor eius deflueret. Sudoris autem copia et quantitas ex vehementia actionis in intenſiſſimis precibus ad Deum fuſis nata eſt.

Ad Luc. XXIV, 7.

Praedixerat ſaepe Chriſtus, ſe *tertio die* reſurrecturum. In memoriam haec praedictio reuocatur foeminis, quibus etiam mox ſuccurrit, v. 8. Vbi non omnino praetereundum, ſanctam fuiſſe inter Iudaeos memoriam *diei tertii*, maxime in reſurrectione mortuorum. Quam traditionem hauſerunt ex Hoſeae VI, 2. *Poſt biduum viuificabit nos, et die tertio reſuſcitabit nos, vt in conſpectu eius viuamus.* Sic etiam ex hiſtoria Ionae multa ſumſere antiqui Iudaei, praecipue ex laudato triduo, quo haeſit Ionas in ventre piſcis, ad deſignandam mortis conditionem ipſamque reſurrectionem. In *Sohar* dicitur, Ionam in iactata naui depingere animam in corpore variis afflictionibus obnoxio, indeque hominem iactari in mundo, vt nauis in mari et in procella, vt minetur naufragium vel exitium; hominem ſaepe cogitare de fuga a Deo, ſicut Ionas fecerat, ſed Deum excitare

citare tempeſtatem, fata a iuſto ſuo iudicio definita, dum defunctus ducatur e domo ad ſepulcrum, ſicut Ionas in naui in mare proiectus eſt, reconditus quaſi in ventre piſcis; tunc pronunciari de illo et vita eius ſententiam coram Deo: ſi nempe ſit iuſtus, dici et hanc de illo ferri ſententiam: *Date huic gloriam, qui filius Regis eſt, veniat ſuper eum pax, quieſcat in cubilibus ſuis.* Sin autem ſit malus, pronunciari de eo: *Vae huic! praeſtaret, eum non eſſe creatum.* Et ſic in impiis ſepultis exerceri poſt triduum percuſſionem defuncti in ſepulchro. Sepulchrum enim creditur iudicii locus, cum ventre piſcis comparandus. Dies tres, quibus haeſit Ionas in ventre piſcis, notare dies tres, quibus homo perduret in ſepulchro. Finitis tribus diebus, ſi fuerit impius, ſcindi aut rumpi viſcera eius, effuſis humoribus foetidis et excrementis in vultum eius, his additis verbis: *Accipe, quae dediſti mihi: ediſti et bibiſti toto die, et non dediſti pauperibus, tota vita tua fuit inſtar dierum feſtorum, pauperes interea fame extincti, quos ad menſam tuam non admiſiſti. Recipe igitur, quae mihi commiſiſti, iuxta dictum Hoſeae: ſpargam excrementum in faciem eorum.* Atque ſic porro iudicari animam et corpus impii defuncti, dum a tertio die vsque ad trigeſimum iudicetur amplius homo ex oculis eius, manibus pedibusque, h. e. quae oculis adſpexit, quae manibus confecit et quo pedibus iuit. Atque ita totis 30. diebus totum iudicari hominem cum corpore et anima. Animam tam diu manere in terra, ſicut femina in ſua pollutione, donec finitis 30. diebus emigret anima ſurſum et corpus redigatur in puluerem. Hanc in triduo rationem eſſe impii defuncti, tradunt antiqui Rabbini. Ad reſurrectionem bonorum transtulerunt dein analogiam, dum Deus vocem ſit editurus per ſepulchra et commoturus terram, vt euomat aut reddat corpora iuſtorum, ſicut Ionas e ventre piſcis tertio die prodiit. Dum itaque Iudaei de *die tertio* reſurrectionis et viuificationis mortuorum locuti ſunt, videntur aliquid hauſiſſe de reſurrectione Meſſiae; praecipue cum asſerant, Meſſiam Ben Ioſeph, dum in praelio occubuerit, mox die proximo a Meſſia Ben Dauid reſuſcitandum.

Ad verſ. 26.

Prouocat Chriſtus ad ſenſum Iudaicae gentis, qui confiteantur,

tur, Scriptura duce, Meſſiam multa prius debere pati, quam regnum ſuum glorioſum inchoet. Multa antiqui Iudaei referunt de Meſſia *Ben Ioſeph*, vt et alio Meſſia *Ben David*: quorum ille praeceſſurus et in praelio occubiturus ſit, alter hoſtes fuſurus et de illis triumphaturus. Quibus diuerſis iisque geminis Meſſiis geminum Meſſiae ſtatum pingere voluerunt, praeuium ſtatum calamitoſum et ſuccedentem glorioſum: ſicuti Ioſephus ante gloriam vehementer fuit afflictus, vnde nomen *filii Ioſeph*, h. e. conditionis et fortunae Ioſeph; et Dauid in gloria eminuit, vnde nomen *filii Dauid*, h. e. gloriae et maieſtatis Dauid.

Ad Ioh. I, 12. 13.

Subiungit conditionem maximi iſtius beneficii, ad vitam aeternam penetrandi: *Si in nomen eius crederent.* Senſus itaque omnis illuc redit: Quicunque credebant, non peribant, ſed habebant vitam aeternam. Quae immortalitas plenius et vberius deſcribitur, dum diſtinctius v. 13. Euangeliſta remouet mortalitatem a credentibus. Illos non fore *natos ex ſanguinibus, aut voluntate carnis, aut voluntate viri.* Quod eſt, credentes tunc in altera vita fore incorruptibiles, non talibus corporibus praeditos, qualibus nunc ſunt praediti. Corporum autem praeſentium in terris ſtatus infirmus deſcribitur per *carnem* et *ſanguinem.* Cum igitur infirmus ille corporum ſtatus in altera vita ſit abolendus corporaque reddenda incorruptibilia, *non ex ſanguine et carne*, h. e. infirmitate, more hominum terreſtrium in terris viuentium, beatos fore natos aut ſimilibus infirmis corporibus indutos, affirmat Euangeliſta. Idem igitur plane innuit, quod Paulus 1 Cor. XV. a verſu 35. vsque 50. fuſe inculcat, vbi inter alia ſimiliter dicit v. 50. *Caro aut ſanguis regnum Dei* aut alteram vitam *conſequi non posſunt, neque corruptio haereditatem conſequetur incorruptibilitatis.* Erunt corpora beatorum non animalia, ſed ſpiritualia, non terreſtria, ſed coeleſtia, non foeda, ſed decora, non corruptioni obnoxia, ſed incorruptibilia.

Ad verſ. 14.

Communem illam corporum noſtrorum infirmitatem, cuius particeps eſſe voluit Chriſtus, vna cum ſecuta morte, exprimit Euangeliſta amplius, dum addit: καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, qua formula

mula non ſolum vitam et inter homines conuerſationem deſignat, dum in terris inter Iudaeos obambulauit; ſed et ſimul imbecillitatem corporis humani in his terris mortemque ipſam ſubinnuit. Qualem figuram, et comparationem inter corpora noſtra in hac vita et inter *tabernaculum* Paulus etiam adhibet 2 Cor. V, 1. 4.

Ad verſ. 18.

Deum videre, eſt beatitudine et immortalitate, quae eſt in Deo, frui. Cum igitur nemo hominum in terris beatus ſit et immortalis, ſed omnibus mors oppetenda, recte dicit Euangeliſta: *Nemo Deum vidit vnquam*, h. e. nemo hominum in terris eſt beatus et immortalis, omnibus mors ſubeunda. Solus enim Deus beatitudine et immortalitate gaudet. Id quod pari ſtylo repetit Paulus 1 Tim. VI, 16. *Solus Deus habet immortalitatem, lucem habitans inacceſſam, quem nemo vidit hominum, neque videre poteſt.* Ideo vero hoc memorat Euangeliſta, vt oppoſitionem inter Moſen et Chriſtum, in praecedenti verſu factam, illuſtret. Non ex lege aut Moſe vita aeterna eſt, ſed ex Chriſto autore vitae. Nemo enim hominum immortalitatem hactenus nactus eſt. Lex quippe immortalitatem non largitur. Quare addit Euangeliſta: Chriſtus *vnigenitus Dei filius, qui eſt in ſinu Patris*, cum Patre immortalis, hoc beatitudinis et immortalitatis aut vitae aeternae donum in credentes conferendum *enarrauit.* Non Moſes, ſed Chriſtus vitam aeternam promiſit. Conuenit igitur Euangeliſtae effatum prorſus cum verbis Pauli 1 Cor. XV, 20-23.

Ad Ioh. II, 1-11.

Dum capite ſuperiori tam ſollicite definiuit ac enumerauit Euangeliſta *tres dies*, quibus Iohannes Baptiſta publicum de Ieſu Chriſto teſtimonium tulit; hic *tertii* illius *diei* meminit, ac illo nuptias in Galilaea inſtructas affirmat: vt ex circumſtantia temporis conſtet, ſtatim poſt publica illa Baptiſtae teſtimonia, in nuptiis, in Galilaea tertio illo teſtimoniorum die iam inſtructis, Chriſtum ſuam manifeſtaſſe gloriam, a Baptiſta nunciatam. Reſpicit autem commemoratio teſtificationis illius *tribus diebus* factae, et mox ſecutae manifeſtationis gloriae Chriſti, ad antiquam Iudaeorum traditionem, quae refertur in antiquiſſimo libro *Pe-*

ſikta Rabbeta: Tribus diebus, antequam prodeat Meſſias, Eliam praeeuntem in Iudaeae montibus exiturum, ploraturum et dolorem ſuum teſtaturum de Iudaea lacerata et fere collapſa. Illam Eliae vocem totum orbem penetraturam. Mox promiſſionibus animum Iudaeis additurum, his praecipue verbis: *Pax venit in mundum,* iuxta Eſ. XL. *pedes euangelizantium pacem.* Impios ſibi de hoc nuncio gratulaturos. Die ſecundo denuo in montibus Iudaeae appariturum Eliam et dicturum: *Bonum venit in mundum,* iuxta Eſ. XL. *qui nunciet bonum.* Die tertio denuo compariturum et clamaturum: *Salus venit in mundum,* iuxta Ieſ. l. c. *qui nunciet ſalutem.* Viſis impiis, ſibi de pace imminente et ſalute gratulantibus, allocuturum Zionem: *Ad te venit et ad filios tuos pax et ſalus; non ad impios.* Atque tunc finita hac trina tribus diebus facta conteſtatione Eliae de Meſſia praeſente, Deum omnibus demonſtraturum gloriam ſuam et regnum ſuum, liberaturum dein Iſraëlem, et illos ducturum. Haec antiqua eſt de principio manifeſtationis Meſſiae traditio, ad quam collimauit Euangeliſta, eam omnino in Ieſu impletam eſſe demonſtraturus. Sicut enim traditionem de Eliae aduentu in Iohanne impletam aſſerunt Euangeliſtae: ita et cetera, in aduentu eius exſpectanda, cuncta impleta fuiſſe, indicant. Euangeliſta proinde noſter recenſuerat c. I. tres dies teſtificationis publicae, a Baptiſta de Meſſia praeſente factae. Nunc cap. II. ſubiungit ſecuturam proxime gloriae Dei in Chriſto manifeſtationem in nuptiis, die illo tertio in Cana Galilaea inſtructis; ad quas nuptias cum diſcipulis nouis ſe contulerit Chriſtus, ibique gloriam ſuam demonſtrauerit. Et hanc quidem in gente Iudaica traditionem de Meſſiae gloria, poſt trinam Eliae conteſtationem demonſtranda, occaſionem dediſſe matri Ieſu, apparet, vt defectum vini per illum, vtpote Meſſiam, reſarciendum putaret, maxime cum exſpectaretur, Meſſiam omnia innouaturum et in priſtinum ante lapſum ſtatum reducturum, et his nouis vinum delicatiſſimum paradiſiacum ſuis propinaturum. Qua ſpe faſcinata omnino fuiſſe videtur Maria optima cum tota reliqua gente, cum nec diſcipuli eam dimittere ſpem potuerint. Dum autem Chriſtus deſiderio matris reſpondere ſtatim noluit, ſuo potius arbitrio relictum eſſe ſciens, quam foeminae deſiderio,

quid

quid faciendum ſit, dixit: *Nondum venit hora mea.* Per quam *horam* vel tempus ſuum omnino intelligit tempus declarandae aut manifeſtandae ſuae gloriae. Vbi non tam tempus ipſum, quam momentum temporis, vel occaſio certa Chriſto grata intelligitur ſuam declarandi gloriam.

Ad Ioh. IV, 27.

Admiratio diſcipulorum orta eſt ex regula magiſtrorum, colloquium cum femina familiare eſſe fugiendum. Cum enim doctrina imbuerentur Iudaei, cultiores redditi, doctiores et peritiores, varias vitae dedere regulas. In illis de feminis et colloquiis cum illis habendis vel omni conuerſatione plures ſollicite et religioſe formarunt. Vnde in *Pirke Avoth, antiquis Patrum* inter Iudaeos *ſententiis moralibus*, mox in principio hic habetur canon: עִם הָאִשָּׁה אַל תַּרְבֶּה שִׂיחָה: *Ne habeas colloquium familiarius cum foemina.* Addunt בְּאִשְׁתּוֹ, *loquitur canon de vxore propria;* quanto igitur magis hoc obſeruandum de vxore alterius. Cui iunctus alter Rabbinorum canon: *Quicunque longiores diſcurſus habet cum femina, multa ſibi mala creat et intermittit ſtudia et tandem praeceps ruit in infernum.* Quo redit et alius canon: *Femina non ſapit, niſi in colo.* Sic et feminis ſilentium impoſitum in ſacris, quo pertinet et alius canon: *Nulla plane femina ſalutanda eſt.*

Ad verſ. 35.

Meſſis hordeacea erat circa feſtum Paſchatos vsque ad Pentecoſten. Quatuor autem menſibus fere ante meſſem tempus erat hordeum ſerendi, in Ianuario et Februario, pro illarum regionum conditione. Circa hoc itaque tempus, cum Chriſtus ageret in Samaria, apologiam texens pro ſe, et colloquio cum femina habito Samaritana, Iudaeis adeoque diſcipulis inuiſa, ſimile depromit pro more a ſtatu temporis et agrorum praeſentium, cum extra vrbem haec gererentur. *Fatemini,* inquit, *ab hoc tempore ad meſſem quatuor circiter ſupereſſe menſes,* adeoque hordeum vix terrae mandatum, quanto minus ad meſſem maturum; ſed en meſſem interim paratam, ſegetem maturam, albeſcentem, h. e. ne indigne feratis, me multa agere cum Samaritanis. Etſi meſſis nondum ſit terrena et phyſica, meſſis tamen adeſt moralis; habeo, quod hic agam. Ego verbum ſero ſiue

 popu-

Digitized by Google

populum hunc doceo, adeoque laborem impendo, vt credant; vos mox metetis, vos hos credentes mox colligetis, cum ad fidem ſint promti. Vobis laboro, et vos mihi laborabitis. Sinite ergo ſerentem me nunc gaudere, et meſſem iam ſimul maturam vos mox meſſuros gaudebo.

Ad Ioh. V, 1-4.

Ἑορτὴ, *feſtum*, quo Ieſus aſcendiſſe dicitur Hieroſolymam, citra controuerſiam vnum fuit ex tribus maioribus. Praeciſe autem *feſtum Tabernaculorum* h. l. intelligi, non Paſchatos, conſtat ex capitibus antec. et conſequ. Deinde etiam inde colligitur, quod Iudaei hoc feſtum ſcenopegiae חַג, *feſtum* ſine addito, plerumque nuncupent. Aperte deſcribitur celebris illa piſcina, cuius aqua ſtatuto tempore mota fuit ab angelo. Nempe ſita fuit ἐπὶ τῇ προβατικῇ, ſcil. ἀγορᾷ, *iuxta probaticum forum*, vbi *pecora* vendebantur, vnde et adiacens *porta probatica* dicitur. Hebraice etiam cognominabatur *Betheſda*, i. e. *domus miſericordiae*, iuxta Syrum, alias *Siloah:* quod ex conuenientia vtriusque deſcriptionis demonſtratur. Conf. LIGHTFOOT T. II. p. 535. et alibi. Haec piſcina quinque habebat porticus, in quibus multi infirmi, coeci, claudi et alii decumbebant, expectantes ſolennem aquae motum et corporis ſanationem. Vbi obiter notari poteſt, quod aqua Siloah non tantum ſtato hoc tempore, ſed alias etiam admodum fuerit ſalubris contra quosvis morbos, ein rechter Geſundbrunnen. Cuius rei veſtigia ferme innumera in Talmude et Scriptura S. e. g. coecus illuc ablegatus a Chriſto, qui ſe lauaret, Ioh. IX, 7. Hinc quoque commode explicari poteſt locus 2 Sam. V, 6. 8. nempe de *coecis* et *claudis*, qui circa aquas Siloah haerebant. *Hi coeci et claudi,* ſubſannabant Iebuſaei, *tuos inſultus*, o David, *propulſabunt*, h. e. ipſa Scriptura teſte, non expugnabis vrbem, neque accedes ad locum, vbi hi caeci et claudi commorantur. Qua formula Iebuſitae Davidis copias et fortitudinem plane contemnebant. Quo factum eſt, vt David ad tantam iram prouocaretur, vt etiam hosce claudos et coecos morte perimendos eſſe pronunciaret. Vox etiam צִנּוֹר v. 8. denotat *canales*, in quibus aqua Siloah erat. Nec vocauerint ipſi Iebuſaei idola ſua *coecos* et *claudos*, de quibus aliqui hoc intellectum volunt. *Angelus* interdum denotat *ſpiritum*, inter-

interdum *homines*, vel et alias res corporeas. Ita paſſim in V. T. vox מלאך, et in Apocalypſi ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας erat *praefectus eccleſiae*, qui Iudaeis dicitur שליח הצבור. Commemoratio autem *feſti* v. 1. luculenter ostendit, quis ſit hic *angelus* ſiue *delegatus*, nempe is, qui ſolenniter, non ex coelo, ſed Templo delegabatur cum multa pompa, ad hauriendam aquam ex Siloah. Vnde et intelligitur, quid ſibi velit formula: κατὰ καιρὸν, *ſtato tempore*, nempe *feſto Tabernaculorum*. In verſione quidem germanica habetur: fuhr herab, in Graeco vero eſt καταβαίνειν, quod notat *deſcendere*, et dicitur de quovis itinere in locum depreſſiorem. Erat autem Templum ſitum in monte; piſcina ad radices eius in valle. Haec explicatio enim 1) nullam vim infert verbis textus, neque voces hic aliter accipiuntur, quam centies alias in ſacris literis adhibentur. 2) Nulla ratio eſt, quae *angelum ſpiritualem* de coelo deſcendentem inferat. Tamdiu autem ad extraordinaria recurrendum non eſt, quamdiu res modo ordinario exponi poteſt. 3) Indubitatum eſt, rem, quae hic memoratur, in vulgus notam fuiſſe: qui ergo factum, quod nemo antiquorum Iudaicorum ſcriptorum *angelum ſpiritualem* de coelo deſcendentem, quem interpretes noſtri volunt, memoret? cum alias minutiſſima quaeque attingant, et ferme innumera miracula fingere ſoleant. 4) Non inepte quaeritur: vnde dignoſcere potuerint, aquam ab *angelo ſpirituali* moueri, non vento et alia de cauſa? an forte inde, quod angelus corporeis oculis videri potuerit? an vero, quod *ſtato tempore* deſcenderit? Vtraque ſententia ſuas iterum habet difficultates, facile tollendas, ſi totum illud negotium dicto modo explicetur.

Ad verſ. 8-10.

Canon Iudaeorum negat, ferre quid die ſabbati in publico loco vltra ſpatium quatuor cubitorum, niſi arte rigor hic temperetur. Peccabat itaque in canonem religioſum hic aeger ſanatus, cum tolleret culcitram ſuam, in qua decubuerat, et abiret, a Chriſto iuſſus. Quare violati ſabbati accuſatus eſt miſer.

Ad Ioh. VI, 62.

Dixerat Chriſtus, ſe vitae aeternae autorem ſeipſum daturum, h. e. moriturum pro omnibus, vt per ipſum viuant omnes. Non capiebant hoc diſcipuli, qui mortem Meſſiae imaginari ſibi

 non

non poterant. Chriſtus igitur haeſitantes diſcipulos compellans, oblique eos corripit, dicens: Hoccine vos offendit, quod de morte mea ſubinnui, dum carnem meam pro vita veſtra tradendam dixi? quid non turbabit et offendet vos, ſi me videritis euntem *illuc, vbi eram prius?* Quibus verbis, ſi vis argumenti Chriſti attendatur, denotatur aſcenſus vel abitus Chriſti ad Hieroſolymam, vbi antea fuerat periculis vitae expoſitus, dum ſummi ſacerdotes Iudaeorum cum ceteris magnatibus caedem Ieſu erant moliti. Similis phraſis adhibetur de Iohanne cap. X, 40. Chriſtus abiit trans Iordanem, *illuc*, ὅπȣ ἦν ὁ Ἰωάννης τὸ πρῶτον, *vbi Iohannes antea erat.* Senſus erit: quam offendemini, ſi videbitis me illuc iterum me conferre, vbi in periculis vitae iam ſum verſatus, et vbi vitae meae aliquando terminus erit, vbi me videbitis occiſum et e vita ſublatum. Tunc me autorem vitae eſſe plane negabitis, qui ipſe ſim mortuus. Qualis querela diſcipulorum paulo poſt aperte ſatis ſeſe prodidit cap. XI, 8. *Aſcendere*, iter Hieroſolymam directum ſtylo vulgari notat, quod Hieroſolyma et praecipue Templum in editiori loco eſſent ſita.

Ad Iob. IX, 14-16.

Sabbati violatio per lutum paratum et oculis coeci illitum reſpicit canonem Iudaeorum eccleſiaſticum: *Ne quid operis fiat die ſabbati.* Etſi vero aegris ſuccurrere ſit indultum, omni religione ſabbatica poſtpoſita, non tamen ſine diſcrimine de omnibus hoc valet aegris. Diſtinguunt igitur inter aegros in diſcrimine vitae verſantes, et quorum aegritudo in mora caret periculo. Quod ſi periculum mortis ſubſit, ſabbati violatio permiſſa eſt, imo iniuncta, medicamentis adductis; quod ſi vero morbus per moram non ſumat vires, religio ſabbati nullo modo turbanda medicamentis adhibitis, aut ope quacunque lata. Cum igitur coecus extra periculum verſaretur, cuius ſanatio differri potuiſſet in alium diem, canones Iudaeorum eum ſanare prohibuerunt ſabbato. Chriſtus ergo, dum hunc ſanauit, illito luto ex ſputo et puluere parato, canonem eccleſiaſticum violauit de non ſanando et opere faciendo die ſabbati in adhibendis quibuscunque medicamentis. Inter quae diſerte referunt *ſputum ieiuni* alias perſalubre.

Digitized by Google

Ad Ioh. XII, 34.

Vox turbae, Meſſiam *manſurum in aeternum*, hauſta erat ex traditione, Meſſiam non moriturum. Cum igitur Ieſus loqueretur de ſua morte, non capiebant. Quod autem a maioribus et traditionum autoribus intellectum erat de reſurrectione et ſecuta immortalitate, id poſteri excluſiue intellexerunt, moriturum Meſſiam nunquam. Quae traditio et hodie inter Iudaeos praecipuos regnat, Meſſiam mille annis victurum et regnaturum. Et Iudaei quidem per *aeternitatem* illam vitae notabant *terminum longiſſimum mille annorum.* Nec tum de vita in coelis erant ſolliciti, qui vitae imminebant in terris, in nouo regno Meſſiae diutiſſime duraturae.

Ad Ioh. XVIII, 28.

Veſpera diei decimi quarti comederant Iudaei Paſcha aut agnum paſchalem; more et tempore conſueto cum diſcipulis etiam Chriſtus. Nocte illa in diem decimum quintum eunte captus erat, et ad Annam et Caipham, ſummos ſacerdotes et Hieroſolymae conſules, ductus, qui de morte Ieſu decreuerant. Ad Pilatum itaque, Syriae Praeſidem Romanum, altero die, decimo nempe quinto, primo feſti die raptus Ieſus, in cuius vtpote ethnici aulam ingredi recuſarunt Iudaei. Lex enim Iudaeos adſtringebat ad munditiem in feſto. Vnde mundari ante feſtum debebant, qui immunditiem aliquam contraxiſſent. Ne igitur polluerentur Iudaei ex ethnici tecto, vitarunt praetorium. Cum igitur non niſi mundis integrum eſſet celebrare Paſcha et conuiuiis intereſſe, rationem addit Euangeliſta, cur praetorium ingredi, adeoque ex ethnici tecto pollui noluerint, nempe *vt edere poſſent Paſcha.* Agnum quidem paſchalem iam ſuperiori die, nocte nempe proxima comederant, ſed primo illo feſti die ſolennia conuiuia paſchalia erant celebranda, quae dicebantur חֲגִיגָה *feſtiuitas* et *celebritas publica.* Et haec conuiuia diei feſti paſchalis dicebantur *Paſcha:* quia ad Paſcha pertinebant.

Ad verſ. 31.

De tempore alias ſolliciti ſunt Philologi, quando ius in iudiciis capitalibus a Iudaeis per Romanos ſit ablatum. Verum hic locus non abſolute agere videtur de iure ſublato, ſed de non permiſſo iuris exercitio in feſto: quod in praeſenti feſto non liceat per

 reli-

religionem quendam occidere, eo quod religio feſti partim requirat feriam, partim puritatem ſacram, quae ex contactu mortui turbaretur. Deinde ex ſuperioribus conſtat, Iudaeos in feſtum distuliſſe reos, in quo ad ſupplicium raperentur, ad ſtatuendum in illis illuſtrius exemplum in conſpectu numeroſioris plebis. Dum igitur feſtiuitas Iudaeis denegauit exercitium iuris, hoc commiſerunt Praeſidi ethnico.

Ad Ioh. XIX, 13.

Cum nollent ingredi Iudaei praetorium in hoc feſto, ne polluerentur, Pilatus cauſam, praeſentibus ſummis Iudaeorum ſacerdotibus, tandem confecturus, Ieſum e praetorio duci iuſſit foras, illuc nempe, vbi Iudaeorum ſeniores comparere poſſent. Definitur igitur locus, in quem conceſſerint omnes, Pilatus et Iudaeorum ſeniores aut Synedrium magnum, λιθόστρωτον. Locum autem fuiſſe publicum in Templo Conſiſtorii ſupremi, conclaue, *lapidibus multa arte paratis ſtratum*, apparet tum ex re ipſa et ardua Iudaeorum cauſa, qualis non niſi in ſolenni Conſiſtorii loco conficiebatur, tum ex ipſa appellatione λιθόστρωτος, quae conuenit cum appellatione Hebraica לִשְׁכַּת גָּזִית *conclaue lapide caeſo ſtratum.* Accedit appellatio altera Ebraica, h. e. Syro-chaldaica, גַּבְּתָא, quod idem eſt ac *locus editus*, quaſi *colliculus.* Vt conueniat cum altera illa denominatione Matth. IV. et Luc. IV. πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, *ala Templi.* Erat enim hoc conclaue גָּזִית, vti *lapidibus pretioſis ſtratum*, ita in *edito loco* poſitum, alae inſtar prominens, aut quaſi *gibbum* referens. Quae alae aut prominentis aedificii appellatio conuenit cum charactere Graeco πτερύγιον.

Ad verſ. 23.

Tunicam non diuiſiſſe dicuntur milites, eo quod eſſet *inconſutilis.* Χιτών vel שַׂלְמָה notare *veſtem exteriorem*, nempe *pallium*, obſeruatum eſt ab aliis. Pallium autem olim vſitatum, hodieque a Iudaeis in ſacris ſeruatum, ſaepe omni caret ſutura, e ſummis partibus per totum textum.

Ad Ioh. XX, 22.

Cum officium Apoſtolorum commendaſſet diſcipulis Ieſus, dicitur de eo: ἐνεφύσησε, quod *ſuſpirauerit*, aut *ingemuerit.*

Quod

Digitized by Google

Quod *ſuſpirium* pectoris profundum ſignum et teſtimonium ſaepe eſt amoris ac amiciſſimae adhortationis. Grauis enim res diſcipulis commendata erat, munus Apoſtolicum. Nouerat etiam Chriſtus et abunde praedixerat, quae fata ſuis ſimilia eſſent experturi in ſuo officio. Vnde ſuauia ſuſpiria rogantis, optantis et diligentis. Poſt ſuſpirium allocutus denuo diſcipulos, dixit: λάβετε, *tenete Spiritum ſanctum.* Vt verbum λαμβάνειν hic non tam *munus accipiendum*, quam *accepti curam et amorem* denotet. *Dum accipietis, admittite* quaeſo, *tenete, ne dimittite, ſeruate.* Vt ſit exhortatio ad conſtantiam in munere apoſtolico ante commendato. Sic publice et conſtanter Ieſum confiteri iuſſit, abſque metu mortis, id quod mox in Petro et reliquis viſum eſt.

Ad Ioh. XXI, 7.

Petrus in piſcatorio reti dirigendo occupatus, cum audiuiſſet, Ieſum in littore exiſtere, pudore ſuffuſus, *amiculum* dicitur *ſuccinxiſſe*, cum quo ad certam corporis partem eſſet nudus. Sed et in mare ſe abiecit. Quo non notatur ſaltus in mare, quod, cum induiſſet amiculum, praecipitem ſe dederit in mare; ſed quod in inferiorem nauis partem proſilierit, quae proxima erat mari, ibique ſe antea nudum veſtiuerit. Sicuti phraſis Ebraea eſt vſitatiſſima יֹרְדֵי לַיָּם *deſcendentes in mare*, h. e. *in nauem, quae mari vehitur.* Sicuti et Germani dicunt: zu Waſſer gehen.

INDEX

INDEX I.
DICTORVM SACRAE SCRIPTVRAE ILLVSTRATORVM.

Geneſis.
c. 1, 1. p. 426
27. 428
c. 6, 2. 322
18, 1. 2. 426
Exodus.
c. 3, 17. 464
4, 22. 23. 456
18, 13. 26. 419
Leuiticus.
c. 19, 16. 247
Numeri.
c. 6, 3. 522
21, 3. 233
Deuteronom.
c. 6, 15. 516
21, 1. 415
32, 8. 322
1 Samuelis.
c. 21, 9. 232
2 Samuelis.
c. 5, 6. 8. 548
1. Regum.
c. 17, 1. 518. ſq.
18, 1. ibid.
2 Chronicorum.
c. 32, 6. 7. 8. 463
Eſra.
c. 10, 8. 238
Iobus.
c. 2, 1. 322
Pſalmi.
45, 3. 280
89, 37. 350
Eſaias.
c. 7, 14. 450
42, 1. 469
2. 490
c. 60. et 61. 527 ſq.
c. 66, 22-24. 512 ſq.
Daniel.
c. 10, 13. 321. 322
Hoſeas.
c. 6, 2. 542 ſq.
Zacharias.
c. 8, 19. 255
Malachias.
c. 4, 5. 489. 546
Iudith.
c. 16, 23. 232
1 Maccabaeor.
c. 13, 51. 140
2 Maccabaeor.
c. 2, 13. 232
Matthaeus.
c. 1, 2-18. 446
18. 447 ſqq.
19. 449
c. 1, 20. 449. 450
22. 23. 450
25. 450. 451
c. 2, 1. 451. 452
2. 452. 453
c. 2, 3. 453
5. 6. 454
9. 455
c. 2, 11. 455. 456
14. 15. 456. 457
17. 18. 457
c. 2, 20. 457. 458
22. 23. 458 ſqq.
c. 3, 1. 460
3. 462
4. 464. 465
c. 3, 7. 465 ſqq.
13. 467
c. 3, 16. 309. 310. 468. 469
17. 469
c. 4, 1-11. 320. 470-474
5. 552
c. 5, 3 ſqq. 474-476
13. 476. 477
18. 19. 478. 479
29. 30. 479
c. 6, 7 ſqq. 479 ſq.
27. 280
c. 7, 3-6. 482 ſqq.
13. 14. 484
c. 8, 11. 537. 538
12. 484 ſqq.
28-32. 486. 487
Matthaeus.
c. 9, 20. 487
c. 10, 14. 487. 488
25. 488
c. 11. 12. 488
14-19. 488. 489
c. 12, 17-21. 490
43-45. 491. ſqq.
c. 13, 11. 285. 286
55. 448. 493
c. 14, 25. 493
c. 15, 2. 494
3. 494
5. 495
c. 16, 17. 18. 495 ſq.
19. 243
c. 17, 20. 497
c. 18, 6. 497
10. 323
17. 243
c. 19. 11. 12. 432
c. 20, 22. 497. 498
c. 21, 8. 140
8. 9. 498. 499
12. 13. 499 ſqq.
c. 23, 2. 552
5. 500
35. 501. 502
c. 24, 29. 503
30. 395. 503. 504
31. 504. 505
32. 33. 505 ſq.
c. 26, 29. 506
39. 506
c. 27, 46-49. 506
c. 28, 19. 179 ſqq. 187. 296
Marcus.
c. 1, 23-25. 507 ſq.
3. 10. 278
5, 24. 278
c. 6, 3. 448
7, 3. 4. 509 ſq.
8, 11. 12. 510 ſq.
c. 9, 2. 512
48-50. 512 ſq.
c. 10, 14. 431
21. 515

Marcus.
c. 12, 29 ſqq. 515 ſq.
38. 517 ſq.
c. 13, 11. 284
14, 36. 7
c. 16, 2. 519
9-20. 289
15. 519

Lucas.
c. 1, 1. 282
9. 519 ſq.
15. 522
19. 522. 523
c. 2, 1. 523
22-24. 523
42 ſqq. 524
52. 280
c. 3, 2. 525. 526
16. 526
21. 205
22. 309. 310
c. 4, 15. ſq. 526 ſq.
22. 280
25. 528 ſqq.
c. 6, 1. 529
9. 529. 530
20. 21. 475
22. 238
c. 10, 18. 310. 530
30. 31. 530
42. 531
c. 12, 49. 50. 531
c. 13, 11. 532
16. 278
26. 532. 533
33. 533
c. 14, 1-6. 533 ſq.
c. 16, 9. 535
18. 536
19 ſqq. 537
c. 17, 20. 21. 538 ſq.
c. 18, 8. 539 ſq.
10. ſqq. 540
c. 19, 41. 289. 345
42. 541
c. 20, 35. 36. 418
c. 21, 24. 541. 542
c. 22, 32. 336. 337
43. 44. 344
44. 542
c. 24, 7. 542. 543
26. 543
28. 339

Ioannes.
c. 1, 18. 545
c. 2, 11. 545 ſqq.
c. 3, 5. 191. 192
c. 4, 27. 547
35. 547 ſq.
c. 5, 1-4. 548 ſq.
8-10. 549
c. 6, 62. 549 ſq.
c. 8, 3-11. 289
37. 285
44. 326
c. 9, 7. 548
14-16. 550
22. 237
34. 35. 238
c. 10, 28-30. 469
40. 550
c. 11, 8. 550
36. 289
c. 12, 34. 551
c. 16, 2. 237
c. 17, 3. 437. 438
c. 18, 28. 551
31. 551 ſq.
c. 19, 13. 552
23. 552
c. 20, 22. 552 ſq.
23. 243
c. 21, 7. 355
15. 16. 419
25. 285

Acta Apoſt.
c. 1, 5. 181
c. 2, 38. 180. 182
46. 238
c. 12, 14. 323
c. 13, 11. 278
c. 14, 12. 284
c. 23, 12. 233

Ep. ad Rom.
c. 1, 16. 291
c. 6, 6. 341
c. 8, 15. 7
19. 23. 313
c. 13, 1. 383

Ep. 1 ad Corinth.
c. 1, 17. 284
20. 240
c. 2, 14. 278
c. 5, 2. 238
5. 240. 243
c. 5, 11. 236
c. 7, 1. 424. 425
9. 425
c. 11, 3. 301
c. 12, 1. 278
13. 181. 193
c. 14, 16. 278
32. 279
34. 166
37. 277. 278
c. 15, 23. ſqq. 418
26. 496
c. 15, 29. 186. 219 ſqq.
50. 544
c. 16, 22. 238

Ep. 2 ad Corinth.
c. 5, 1-4. 545
c. 10, 10. 284
c. 11, 6. 5. 284

Ep. ad Galatas.
c. 1, 8. 9. 243

Ep. 1 ad Theſſal.
c. 2, 8. 418

Ep. 1 ad Timoth.
c. 6, 16. 545

Ep. 2 ad Timoth.
c. 2, 24. 247
c. 3, 13. 255

Ep. ad Hebraeos.
c. 1, 2. 306
c. 2, 9. 289
c. 6, 4. 309

Ep. 1 Petri.
c. 3, 14. 256
19. 352

Ep. 1 Ioannis.
c. 5, 19. 341

Ep. Iacobi.
c. 1, 17. 301
c. 5, 17. 528. ſq.

Ep. Iudae.
verſ. 14. 239

Apocalypſis.
c. 1, 8. 11. 3. 4. 5
c. 5, 6. 149
c. 11, 2. 542
c. 22, 18. 285

INDEX II.

VOCVM ET RERVM MEMORABILIORVM.

A.

A, nota muſica antiquorum, 7
A et Ω, denotant Chriſtum, 3. 4. haeretici iis literis ſunt abuſi, 4. deprehenduntur in variis antiquorum monumentis, 5. 6
Abaſcantus, *Abaſcanton*, quid ſignificet? 7
Abba, *Abbas*, vocis etymologia, 7. quem denotet? 8. ſqq. 34. abbatis in primitiua Eccleſia ſtatus et dignitas, 9. eius electio, 10-20. electi confirmatio, 21. confirmati benedictio, 22-24. eius renunciatio, 25. depoſitio, 25-27. 135. ſepultura, 27. 134. abbatum baculi, 118. 120. 128. a quibus baculos acceperint? 130. 131. abbatis titulus a S. Bernhardo reiectus, 8. quare hoc titulo vſi quondam comites aliqui, 38-40
Abbacomites, 34. 37
Abbas abbatum, quis? 28. 29. -- *canonicus* et *canonicorum*, 29. 30. 31. 41. -- *capellae palatinae*, 31. -- *cardinalis*, 32. -- *commendatarius*, 32-34. -- *epiſcopus*, vbi tales fuerint? 34. 35. -- *exemtus*, 35. 36. -- *non exemtus*, 36. 37. -- *laicus*, 9. 37-44. vid *Abbatiarius*. -- *miles*, 44. -- *mitratus*, 44-46. -- *monachorum*, 29. 41. -- *palatii*, 46. -- *regalis*, 46. -- *ſecundarius*, 46. 47
Abbatia, quid? 47. *Abbatiae* laicis olim datae vel in allodium, 39. vel in beneficium ſeu feudum, 39. 37. 38. inſeruiere etiam mundo muliebri et ſumtui reginarum, 40
Abbatiare, quid? 48
Abbatiarius, quis? 48. vid. *Abbas laicus*, *Abbas miles*.
Abbatiola, deſcribitur, 47
Abbatiſare, vid. *Abbatiare*.
Abbatiſſa, deſcribitur, 48. eius benedictio, 49-60. officia, 60. 61. duratio in officio, 63. 64. geſtat baculum, 128
Abbicomites, 34. 37
Abbreuiator, quis? 64. *Abbreuiatorum* Romae collegium, 64. 65
Abctarium, 65. 66. vid. *Abecedarium*.
Abecedarium, quid ſignificet? 65. 66
Abecedarius pſalmus, qualis ſit? 66. quot huiusmodi in S. Codice inueniantur? 66. 67. 68. Abecedarius pſalmus Auguſtini contra Donatiſtas, 68
Abecenarium, vid. *Abecedarium*.
Abel, Adami filius, num ab vxore ſe continuerit? 69. in qua terra effuſus ſit ſanguis eius? 502
Abeliani, vid. *Abelitae*.
Abelitae, *Abeloitae*, *Abelonii*, *Abelonitae*, haeretici; vnde denominati? 69. eorum aetas, 69. 70
Abgatorium, *Abgetarium*, vid. *Abecedarium*.
Abiuratio terrae et prouinciae, apud Anglos, 70. 71. apud Normannos, 71. 72. Clericos non ſpectabat, 72
Ablutio manuum, ſacerdotis in miſſa, deſcribitur, 72. 73. laicorum ante ſacram communionem, 73. vid. *Manus*, it. *Lotio*.
Ablutio pueri poſt baptiſmum, ritus olim apud Graecos, 73. 74
Abracadabra, amuleti genus, 76. 77
Abraſadabra, vocis origo et abuſus, 76. 77. a Vendelino quomodo explicetur? 77
Abraſax, vid. *Abraxas*.
Abraxas, *Abraxax*, quid denotet? 74. ſqq.
Abrenunciare diabolo, pompae et cultui eius, formula in baptiſmo, 77. deſcribitur, 77 ſqq. retinetur etiam apud Aethiopes, 83. huius ritûs origo, 84
Abſconſa, quid ſit? 84. 85
Abſens, pro *abſtentus*, 85
Abſentare ſe, i. e. abſentem facere vel eſſe, 85
Abſida, quid denotet? 86. ſqq. it. 89
Abſis, vid. *Abſida*. *Abſis* Caſſiani, 89
Abſolutio, quid ſignificet? 89. ſqq. abſolutio defunctorum, 90. 91. abſolutionis dies, 91. 92. abſolutio in horis canonicis, 92. abſolutionem facere, 93

Abſolutoriae literae, 93. 94
Abstentus, ſec. Cyprianum, quis ſit? 94. 241
Abſtinentes, quinam ſic olim dicti? 97. nomen etiam quorundam haereticorum, 97
Abſtinentia, ſ. excluſio a communione, 95. 96. abstinentia a cibis, et praecipue a carne, 95. 96
Abſtinere aliquem, quid ſignificet? 94. 95
Abſynthium, potio quaedam, 97
Acacia, duplex eius ſignificatio, 97. 98
Acathiſtus, epitheton b. virginis Mariae, 99. hymnus acathiſtus, 98. 99
Accenſor, quis? 99. vid. *Acoluthus*.
Acceptorium, quid denotet? 99
Accubita, ſ. *Accubitus*, quid fuerit in antiqua Eccleſia? 99. 100
Acephala, qualem denotet regionem? 102. 103
Acephali, haeretici, deſcribuntur, 100. ſqq. *Acephali*, clerici quidam, 102
Acerra, incenſi nauicula, 103
Acheropoëta, quid ſignificet? 103
Achimitenſes, vid. *Acoemeti*.
Achiropiitos, vid. *Acheropoëta*.
Achreſti, qui hac voce intelligendi? 108. ſqq.
Acoemetae, lucernae in templo ſemper ardentes, 112
Acoemeti, monachi quidam Byzantini, 110. ſqq.
Acoluthia, quid ſit? 112
Acoluthus, *Acolythus*, geſtat baculum paſtoralem, 132. vid. *Accenſor*.
Acta Apoſtolorum, i. e. eorum hiſtoria, quare ſic nuncupata fuerit? 291. quando olim praelecta? 290
Acymetenſes, vid. *Acoemeti*.
Adam, eius cella vinaria, 506. vid. *Cella Adami*.
Ἄδης, huius vocis ſignificatio et vſus diuerſus, 351. 394. 496
Adoptio, bonum baptiſmi, 193. *Adoptionis* baptiſma, 160
Adſcenſionis dies, eius origo. 392
Adſperſio in baptiſmo, num immerſione inferior? 371
Adulterium, quomodo a Patribus olim taxatum? 380. 381
Adulti, quinam baptizandi? 186. 187
Aeones, Ebr. I, 2. pro angelis ſumpti, 306. *Aeones Gnoſticorum*, recenſentur, 305. *Valentinianorum*, 7
Aetas hominis baptizandi, num dies octauus? 199. 200. immo tenerior adhuc aetas? 200. aliis dies quadrageſimus, 200. aliis annus circiter tertius, 200. immo amplius adhuc ſpatium, 200. 201. num prouectior aetas, immo vltima vitae tempora? 201
Aeternitas Chriſti, indicatur per α et ω, 3. num Patres eam negauerint? 302
Ἀγέννητος et ἀγένητος, harum vocum confuſio apud Patres, 304
Ἀκοίμητος, vſus huius vocis apud Graecos, 112
Ἀκρίδες, quid fuerint? 460
Akuimiti, vid. *Acoemeti*.
Albae veſtes, a recens baptizatis geſtatae, 74. Aquae ad albas deponendas benedictio, 74
Alogi, haeretici, 350
Alphabetum Graecum, haereſis ex eo compoſita, 4. id aperiunt et claudunt literae α et ω, 3
Altaria, in templis primitiuae Eccleſiae non fuerunt, 376
Amare, ſtilo Orientalium, quid ſit? 515
Ἀμμᾶς, abbatiſſae titulus apud Graecos 48
Anathema, vocis etymologia, 231. ſignificatio, 231. eius homonymia, 232 ſqq. quomodo differant ἀνάθημα, anathéma. et ἀνάθεμα, anáthema? 232. anathema in bonam et malam partem ſumitur, 232. eius vſus in malam partem varius deſcribitur, 232. ſqq. anathematis ſynonyma, 234 ſqq. et cognata 240 ſqq. Anathematis definitio, 242. eius cauſa efficiens; vel principalis, 242-244. vel minus principalis, 244 ſqq. extraordinaria, 247 ſqq. ſuffraganea, 250. Anathematis obiectum, deſcribitur, 250 ſqq. ſunt vel homines quidam, 250 ſqq. vel doctrinae aliquae, 252 ſqq. immo Pontificiis etiam animalia, et inanimata quaedam? 256. num etiam mortui? 257. num integrae Eccleſiae? 258. Anathematis forma, 258. eius formulae, 259. finis et effectus anathematis, 260 ſqq. vid. *Separatio*, it. *Excommunicatio*.
Anathematiſmus, circa eum errores, 253.

253. vel in defectu, 253 ſqq. vel in exceſſu, 256 ſqq.
'Ανατίθημι, quid ſignificet? 231
Angeli, eorum nomina, quando inter Iudaeos fuerint recepta? 522. nomina et officia eorum innotuerunt etiam Ignatio, 323. creati ante mundum conditum ſec. Patres, 302. 313. fuerunt creatores mundi, ſecundum haereticos, 316. num aeones etiam dicti? 306. corpora ipſis Patres tribuunt, 320. 321. geſta et officia eorum, 321 ſqq. eorum ſuggeſtiones, 295. angelorum lapſus, 321. *mali angeli* num neſciuerint myſterium incarnationis Chriſti? 320. *boni angeli* num aliquid mali faciant? 321. Origenis ſyſtema de angelis, 324. 325. *Angelus cuſtos*, vid. *Cuſtos*. Bileamo apparuit ſanctus angelus, 295. num adfuerit Socrati? 295. vid. *Genius*. Patrum de angelis ſcripta, 323. 324
Angeli, eorum cum mulieribus olim conſuetudo, vnde hic error? 322. *Angeli Chriſti* cum tuba magna, quinam? 504. 505. *Angelus Betheſdae*, quis? 548 ſqq.
Animae humanae; quando fuerint creatae? 313. Patrum de eis opiniones, 329 ſqq. earum ſtatus poſt mortem, ſecundum Patres, 393. 394
Anni tempus, quando olim baptizandum? ab initio non fuit certum, 201. 202. ſolennes vero baptiſmi dies poſtea fuere paſchatis et pentecoſtes, 202-205. aliis diebus feſtis excluſis, 202. acceſſerunt tamen dies epiphaniae, 202. 205. et natales apoſtolorum ac martyrum, 202. 203
Antichriſtus, quid de eo Patres ſenſerint? 395
Antigonus Sochaeus, doctor inter Iudaeos celeber, 466
Antiquitas ſacri Codicis, laudatur, 281
Antitrinitarii, eorum erroris cauſa, 418
Apocalypſes antiquorum confictae, 278. 294. Apocalypſis Ioannea, vid. *Ioannes Euangeliſta*.
Apocrypha ſcripta, non vnius generis in primitiua Eccleſia, 282. 283. Apoſtolorum, vid. *Apoſtoli*. vocis *apocryphon* ſignificatus peculiaris, 283
Apollinaris iunior, vnde *Apollinariſtae*, 348. eius errores, 346
Apollonius Tyanaeus, eius miracula, 277
Apoſtoli, eorum ſcripta authentica, 283. vid. *Manuſcripta*. apocrypha multa ipſis adſcripta, 294
Apoſynagogus, quis ſit, dilucidatur, 237. 238
Appellationum ius, de eo controuerſia, 386
Aqua baptiſmi, debet vera eſſe et naturalis, 107. 172. 173. non aqua oleo mixta, 170. num alia quaevis aqua? 171. an vinum, lac, etc. ſubſtitui poſſit? 171. 172. eius conſecratio in paſchate et pentecoſte apud Romanos, 208. in epiphaniorum feſto apud Graecos, 209. anniuerſaria eius ſanctificatio eodem die apud Aegyptios, 147. baptiſmalis aqua miraculoſa eo die in baptiſterio Sombae, 209. *Aqua ad albas deponendas*, vid. *Albae veſtes*.
Arbitrium liberum, vid. *Liberum arbitrium*.
Archicapellanus, vid. *Abbas capellae palatinae*.
Archimandritae, quomodo et a quo pedum paſtorale recipiant? 132. Meſſanenſis archimandritae baculus deſcribitur, 121
Arena, baptiſmus per eam, 172. 173
Ariani, ab vſu literarum α et ω, Chriſti diuinitatem indicantium, abſtinebant, 5. eorum baptiſmi formula, 183. 184. et baptizandi methodus, 177. perſecutio ab illis mota, 210. eorum erroris exempla, 437
Artifex, τέκτων, quis ſenſu Iudaeorum antiquorum? 448. 449
Artificis filius, qualis denotetur ſtilo Iudaeorum? 493
Aſcetica Patrum theologia, breuis eius delineatio. 405 ſqq.
S. Athanaſius, adhuc puer baptizauit, 167 ſqq.
'Ατιμία, poena, qualis fuerit? 241
Audiani, vid. *Audius*.
Audientes, claſſis olim catechumenorum, 214. informatio baptizandi in hac claſſe, 214. *Audientes*, poenitentium etiam olim gradus, 361
Auditores Chriſtiani, ſacrarum concionum, quomodo ſeſe olim geſſerint? 401. aderant ſtantes orationibus et concionibus, 135. 136. vtebantur baculis, 135. quos in recitatione Euan-

Digitized by Google

Euangelii deponebant, 136
Audius, vnde *Audiani* ſeu *Anthropomorphitae*, eorum haereſis, 428
S. Auguſtinus, corporis eius tranſlatio, 127. eius baculus, 127
Aurum et Argentum, horum ſplendor in baculis paſtoralibus improbatus, 118
Αὐτόθεος, denotat Chriſtum, 303

B.

B. nota muſica antiquorum, 113
B pro V, harum literarum vſus promiſcuus apud antiquos, 113
Babylas, epiſcopus, eius zelus, 245
Baccalaria, quid ſignificet? 113
Baccalarii, qui Baccalarias tenebant, 113. *Baccalarii militares*, 114
Baccalarii, ſeu *Baccalaurei*, in academiis, deſcribuntur, 114
Baccile, *Baccinum*, vid. *Bacile*.
Bachalarii, *Bachellarii*, vid. *Baccalaurei*.
Bacile, *Bacinus*, vas quoddam, 115
Bacterius, ſcipio, 115
Bactroperatae, qui fuerint? 115. 116
Bactroperitae, ex Papiae ſententia quinam? 116
Bacucei, quinam? 116
Bacularii, 114. vid. *Baccalaurei*.
Bacularius, apparitor eccleſiaſticus, 116
Baculoſus, quis? 116
Baculus paſtoralis, eius denominationes, 116. 117. materia, 117. 118. 119. forma, apud Latinos, 117-121. apud Graecos, 121. 122. rationes eius myſticae, 122. 123. quibusnam baculus olim competierit, hodieque competat? 116. 23. 28. 123. num Pontifici Romano? 123. 124. 125. competit epiſcopis, 126-128. abbatibus, 128. abbatiſſis, 128. patriarchis Graecorum, 129. 119. quando baculus hic introductus? 129. quis eum impertiuerit? 130. ſqq. baculi paſtoralis benedictio et traditio, 132. geſtatio a Praelato vel Acolytho, 132 ſqq. quorſum deferendus epiſcopis vel abbatibus fato functis? 134. depoſitio eius a reſignantibus, 134. ablatio et fractio, exauctoratis epiſcopis, 135. eius reſtitutio, receptis epiſcopis, 135. formula traditionis baculi apud Graecos, 132. Baculus paſtoralis S. Gregorio Nazianzeno duplex, non vero materialis, 129
Baculus Moſis, cum paſtorali collatus, 130. -- *Opilionis*, cum paſtorali comparatus, 121. 116. -- *IESV*, vid. *IESVS*. -- *peregrinationis*, 138. vid. *Bactroperatae*.
Baculi ſacerdotum et aliorum clericorum, 139. -- *auditorum*, vſus eorum, 135. 136. -- *cantorum*, 136. 137. -- *monachorum*, 137. 138. -- *epiſcoporum*, 117. 118. 120. 126. ſqq. eorum vſus, 132-134. -- *poenitentium*, 138
Baculi variorum ſanctorum et dignitatum ſacrarum deſcripti, 117-120. 122. 124-127. *Baculi ad proceſſiones*, deſcripti. 138. 139
Bailliui, vid. *Baiulini*.
Baion, Βαΐον, ramus palmae; disquiſitio de hac voce, 139. talis rami vſus, 140. *Baion* etiam Graecis ſceptrum Imperatricis, 140. *Baia* denotant porro dona, etc. hebdomade paſſionis conferenda ab Imperatore CP. 140. 141. τῶν βαΐων hebdomas, i. e. *ramorum*, apud Graecos, 141
Βαϊοφόρος, Βαϊφόρος, ſcil. ἡμέρα, dies palmarum apud Graecos, deſcribitur, 141
Baiulini, quinam? 144. recenſentur, 144
Baiulus, i. e. paedagogus; quem denotet? 142. 143. *Magnus Baiulus*, quis? 143
Baiuli, abbatum, qui? 143. *Eccleſiae*, quinam fuerint? 143. *bonorum Eccleſiae*, 143. *obituum nouorum*, qui intelligendi? 143. 144
Balandrana, pallii ſpecies, 144
Balare, i. e. ſaltare, 144. antiquis Chriſtianis nefas et prohibitum, 144. 145
Balatio, prohibita diebus feſtis et dominicis, 145
Baldaccum, ſ. Babylon in Perſide, 146
Baldachinum, 146. vid. *Baldakinus*.
Baldakinus, deſcribitur, 145. 146
Baldaquinum, 146. vid. *Baldakinus*.
Baldaquinus, regulus Damaſci, 146
Baldechinus, *Baldechinum*, 145. vid. *Baldakinus*.
Baldekinus, 145. 146. *Baldicum*, 145. 146. vid. *Baldakinus*.
Balimanthia, 145
Bailare, vid. *Balare*.
Ballatio, vid. *Balatio*.
Ballematia, vid. *Ballimathia*.
Ballimathia, ſaltatio; prohibita, 145

Digitized by Google

Ballismatia, 145
Balma, lapis ſepulchralis, 146
S. Balma, antrum, 146
Balnea, iis vtebantur olim monachi certis temporibus, 147. 148. infirmis praecipue conceduntur, 148. etiam virginibus, 148. balneandi methodus deſcripta, 147. 148
Balneatio, apud Aegyptios ſic dictus eſt dies baptiſmi Chriſti, 147. ex ſeptem maioribus eorum feſtis vnum, 147
Balneum, potus minime delicatus, 149
Balſamum, ſacrum chriſma, 149
Baltheus, quo veſtes eccleſiaſtici conſtringuntur, 149. eo etiam Pontifex Romanus conſecrandus praecingitur, 149. *Baltheus mundialis*, deſcribitur, 149. 150
Bandire, vid. *Bannire*.
Bandum, ſignum, vexillum, 150. vid. *Bannum* hoc ſenſu.
Bandus, edictum, etc. vid. *Bannus* et *Bannum*, hoc ſenſu.
Bannalis, quis? 160
Bannire, 150. 154. ſeu *bandire*, denotat (1) publico banno edicere, iubere, 154. (2) citare, 154. hoc ſenſu quomodo differat a vocabulo *mannire*? 154. (3) in bannum mittere, edicto publico proſcribere, relegare, 155. bannire ſiluam, 155
Banniti, excommunicati, 154. *banniti*, alio ſenſu, 160
Bannum, Bannus, Bandus, bannire, etc. variam habent notionem, potiſſimum tamen *triplicem*, 150. *vti patebit ex ſequentibus titulis.*
Bannum, prima notione deſignat *edictum publicum, interdictum*, etc. 150. 151. dicitur et *Bannus*, vel *Bandus*. Bannum mittere ſuper rem aut perſonam aliquam, 151. bannum ponere, 152. in bannum mittere, 152. per bannum ad placitum venire, 153. bannum adimplere, 153. banna Eccleſiae in matrimoniis, 153. bannum pacis, 153. vid. *Bannus*, in hoc ſenſu.
Bannum, ſecunda notione ſumitur pro *poena ſeu mulcta pecuniaria*, *qua quis banni*, ſ. legis, *infractor punitur*, 155. Hinc phraſes: *Bannum dominicum*, mulcta pro infracto banno dominico, 155. 156. bannum regis, ſ. plenum, 156. bannnm capitis, 157. bannum chriſtianitatis, 157. bannum componere, 158. bannum mittere, 158. bannum vadiare, 158. vid. *Bannus*, hoc ſenſu.
Bannum, tertia notione eſt *diſtrictus, iurisdictio, iuſtitia*, etc. 158. 159. Phraſes huc ſpectantes: Bannum regale, 159. bannum ſynodale, 159. bannum ſcabinatûs, 159. bannum leugae, 160. vid. *Bannus*, hoc ſenſu.
Bannus, ſ. edictum publicum, interdictum, etc. 150. Hinc dicitur: Bannus regalis, 150. bannus DEI, 150. bannus Imperatoris, 150. 151. bannus regis, 151. vid. *Bannum*, hoc ſenſu.
Bannus epiſcopi, excommunicatio, 153. 154. *banno conſtrictus*, excommunicatus, 154.
Bannus, pro poena ſeu mulcta pecuniaria, 155. Bannus DEI, 155. bannus dominicus, 151. bannus epiſcopalis, 156. 157. bannus francilis ſeu francorum, 157. 158. vid. *Bannum*, hoc ſenſu.
Bannus, i. e. diſtrictus, iurisdictio. Hinc phraſes: *Bannus regalis, bannus imperii*, 159. vid. *Bannum* hoc ſenſu.
Baptiſmus, vocabuli ſignificatio, 160. Iudaeorum ſtilo, quid ſit? 532. octo baptiſmatum genera, 160. 161. *Baptiſmus integer*, quid ſit? 163. *Baptiſmus plenus*, qualis? 371. 372. *Baptiſmi doctrina*, quibus Patrum ſcriptis ſit illuſtrata? 373
Baptiſmus Ioannis Baptiſtae, vid. *Ioannes Baptiſta*. *Baptiſmus Domini*, a Ioanne adminiſtratus, die VI. Ian. creditur peractus, 147. vid. *Balneatio*.
Baptiſmus Chriſtianus, 160. eius nomina, 160. fundator Chriſtus, 160. 161. eius *adminiſtratio*, Patrum circa eam prudentia, 371. competit ordinarie miniſtris Eccleſiae, 161. 162. 371. extraordinarie eum conferunt etiam laici, 162 ſqq. num etiam mulieres? 165-167. vel pueri? 167 ſqq. 371. vel infideles? 169. 170. *Baptiſmi materia*, eſt *aqua*, vera et naturalis, 170 ſqq. in eam demerſio, ex ea emerſio, et poſtea adſperſio,

Digitized by Google

173-175. huius conſuetudinis origo, 175 ſqq. vid. *Aqua*, *Demerſio*, *Immerſio*, *Adſperſio*. De *aquae baptiſmo* Patrum ſententiae, 370. quomodo differat a baptiſmo Ioannis Baptiſtae? 170. 171. *Baptiſmi obiectum*, non inanimata, 184. 185. non mortui, 185. non viui pro mortuis, 185. 186. nec adulti, in religione chriſtiana prius non inſtituti, 186. nec furioſi et a daemone correpti, 186. 187. genuinum vero obiectum deſcribitur, 187. *Baptiſmi finis et effectus*, 191. ſqq.

Baptiſmi circumſtantiae, ritus et adiuncta, recenſentur, 372. 371. 196-216. Huc pertinet 1) *locus* baptiſmi, 196-199. qui olim flumen, fons, mare, ſtagnum, lacus, alueus, 196. 197. it. in domibus etiam, 197. in lecto, 197. in carcere, 197. in locis ſubterraneis, 197. hinc tandem *baptiſteria*, 197. 198. 2) *Tempus baptiſmi*, 199 ſqq. quod definitur vel ratione aetatis hominis, 199-201. vel temporis anni, 201-214. 3) *Ceremoniae* ſ. *ritus* baptiſmi, 372. 371. 214-216. ante baptiſmum, 214. 215. in adminiſtratione baptiſmi, 215. poſt baptiſmum, 215. 216

Baptiſmus, num abſolute ſit neceſſarius? 370. num etiam ad ſalutem infantum? 370. eius dilatio vsque ad mortem, 370

Baptiſmus ſuper mortuis, variae de eo antiquorum et recentiorum expoſitiones recenſentur, 219-228. — *calamitatum Chriſti*, 497. 498

Baptiſteria, eorum origo, et vbi olim aedificata? 197. 198. baptiſterii miraculoſi prope Sombam deſcriptio, 209

Baptizandi formula, deſcribitur et illuſtratur, 179-182. heterodoxorum et haereticorum formulae recenſentur, 182-184. de formula vitioſe et barbare pronunciatâ, ſententia Pontificis Romani, 184

Baptizari in nomine Chriſti, quid ſignificet? 307. vid. *Chriſtus*.

Baſilides, confeſſor, eius baptiſmus et martyrium, 197

Baſilides, eius haereſis et ſummus Deus, 75

Baſilius, Bogomilicae haereſeos auctor, 8

Βαϑμὸς, vocis huius apud Patres ſignificatio, 299

la ſanta Baulma de S. Honorat, 147. 146

Bazilus, vid. *Bacile*.

Bellare, *Bellum gerere*, Patrum de eo ſententia, 392

S. *Benedicti* regula, 10. 11. 14. 15. 148

Benedictionis ritus circa abbatem, 22-24. circa abbatiſſam, 49-60. benedictio aquae ad albas deponendas, 74. baculi paſtoralis, 132

Betheſda, deſcribitur, 548

Βιαϛαὶ, ea voce quid Chriſtus denotet? 488

Biblicus baccalaureus, 114

Bigami, a licentia baptizandi olim excluſi, 163

Bitumen Sodomiticum, 476. 477. 514. vid. *Sal*.

S. *Bonifacius*, Germanorum apoſtolus, 184. 203. eius ſtatuta, 29. baculus eius deſcribitur, 117. 127. eius inſcitia ſermonis latini, 164

S. *Burchardus*, epiſcopus Herbipolenſis, eius humilitas, 117. 118. eius baculus ſambuceus, 117. 127

Bythus, ſummus Aeonum, ſecundum Gnoſticos, 305

C.

Calamitatum Chriſti baptiſmus, quid denotet? 497 498

Calcaſendius, (Abulaibſan Achmed) ſcriptor Mahumedanus, laudatur, 147

Cambuca, *Cambucca*, *Cambucca paſtoralis*, 117. vid. *Baculus paſtoralis*.

Cambutta, 117. vid. *Cambuca*, it. *Baculus paſtoralis*.

Campanae, earum baptiſmus, 185

Canes, quid Iudaeis denotent? 483. 484

Canon Noui Teſtamenti, illuſtratur, 281. Dodwelli de eo ſententia examinatur, 281-283

Cantica profana, paganiſmi reliquia, 145. prohibentur, 145

Cantores, eorum munus et baculi, 136. 137

Capellanus, vid. *Abbas capellae palatinae*.

Capilli, eorum nimia cura primis Chriſtianis odioſa, 392

Capuita, 117. vid. *Baculus paſtoralis*.

Caro, abſtinentia ab eſu eius, 95. 96. *Caro Chriſti humana*, num doloris expers? 343. *Caro et ſanguis*, quid ſignificent? 495. denotant etiam cor-

corporum infirmitatem in hac vita, 544
Carolus Magnus, nimiae benignitatis erga clericos culpatur, 384. eius virgam auream epiſcopus quidam pro paſtorali virga ferre cupiuit, 118. campanarum baptiſm. prohibuit, 185
Carolus Martellus, abbates laicos primus inſtituit, 37
Caſſinenſis abbas, titulus, praerogatiuam eius indicans, 28. 29
Cataphryges, haeretici, 185
Catechumeni antiquae Eccleſiae, 373. eorum tres claſſes, 214. 215. apud Aegyptios ſexto Ianuarii die baptizati, 147
Catholici, titulus olim Chriſtianorum, eius origo et vſus, 358. 359. defunctorum ſepulchra olim litteris XP, cum adiunctis α et ω, inſigniebantur, 5
Catholicus abbas, quis ita fuerit dictus? 29
Cella Adami, tempore Meſſiae aperienda, 506
Cenſura diuina, quid ſit? 240. 241
Cenſus Auguſti, tempore Chriſti nati, illuſtratur, 523
Ceremoniale epiſcoporum, citatur, 146
Cerinthus, quando vixerit? 286. quare anathemate a Ioanne eſt notatus, 286. eius apocalypſis Ioannea, 285. *Cerinthianorum* baptiſmus pro mortuis, 220. 221
Charis, χάρις, quid ſignificet? 280. non eſt numen; eſt in Chriſto, 305
Chariſmata primitiuae Eccleſiae, 278. vid. *Miracula.*
Cherem, 234. quid ſignificet ſenſu biblico? 234. rabbinis denotat excommunicationem maiorem, quae deſcribitur, 234-236
Chiffletii Abraxas Proteus, laudatur, 76
Chiliaſmus Patrum, illuſtratur, 395. Chiliaſmi hiſtoria, 395. error Peterſenii in eo, 418
Χωρῆσαι, quid ſignificet? 285
Chriſma ſacrum, vid. *Balſamum.*
Chriſtiani, huius hominis origo, 358. quilibet Chriſtianus homo poteſt baptizare in neceſſitatis caſu, 163
Χριστὸς, verus huius vocis ſenſus apud Patres, 303
Chriſtus, indicatur per α et ω, 3. 4. quod Ariani negabant, 5. factorum eius multitudo demonſtrata, 285. in ſolo eius nomine baptizare, quid indicet? 180-182. 307. Graecum nominis monogramma XP, cum α et ω iunctum, in antiquorum monumentis deprehenditur, 5. 6. ſcriptores de hoc monogrammate, 6. 7
Chriſti duo, a Marcionitis asſerti, 351. vid. *Meſſias.*
Chronologia Codicis ſacri, num corruptio S. Codicis inde probanda? 286. 287. num calculus Graecae verſionis Hebraico praeferendus? 287
Chryſoſtomus, eius homiliae taxantur, 404. 405
Clamoris myſterium, quid ſit? 346
Clemens VIII. Papa, edidit *pontificale*, 22
Clerici, eorum a laicis diſtinctio, 387. a poteſtate ciuili exemtio, 384. 385. eorum ordines, 389. mores eorum, 387. 388. qui poſtea fuere corrupti, 389. eorum olim coniugium, 381. baculorum vſus inter eos antiquus, 139
Clinici, in lecto baptizati, 197. 224
Cluſenſes abbates, baculus eorum deſcriptus, 118
Codex ſacer, eius apud antiquos cultus verus et ſuperſtitioſus, 290. 291. cura olim in obſeruando eo, 293. eius ſcripta authentica, quondam quomodo asſeruata? 293. *Codex Ebraeus* bibliorum, arguitur corruptionis a quibusdam, 286 ſqq. num etiam a Patribus? 288. *Codex verſionis Graecae* olim eſt corruptus, 288. num variae lectiones corruptionem euincant? 288. ſq. Patrum in eo mutationes, expunctiones, etc. quare factae? 289. 290
Coelum, locus beatorum, a paradiſo quomodo diuerſus, ſecundum Patres? 394. 397
Coena ſacra, vid. *Eucharistia.*
Cogitationes malae, ſcripta Patrum de iisdem, 325
Colarbaſus, haereticus, 4
Collectio fidelium per angelos, qualis denotetur? 504
Collybiſtae, 499. vid. *Numularii.*
Columba, num S. Spiritus in eius forma

Digitized by Google

ma ſuper Chriſtum deſcenderit? 309. 310. quid phraſis: *columbae inſtar Spiritus S. deſcendit*, denotet? 468. 469
S. *Columbanus*, eius regula, 8
Comites, abbatiarum tutores ab imperatoribus et regibus olim conſtituti, 37 ſqq.
Commenda, Commendatio, abbatum, 32. 33
Competentes, claſſis olim catechumenorum, 215. gradus etiam olim poenitentium, 361
Conciones Patrum ſacrae, deſcribuntur, 399. 400. quomodo auditores Chriſtiani ipſis interfuerint? 136. quomodo auctae fuerint? 401. earum abuſus, 401. 402. funebrium introductio, 402. concionum contemtus, vnde? 403. earum ritus antiqui, 403
Concupiſcentia, a peccato quomodo diſtincta, ſec. Auguſtinum? 336
Condemnatio, vocabulo hoc Reformati olim offendebantur, 254. errorum condemnatio in Eccleſiis Brandenburgicis prohibita, 254. quid Lutheranis hoc in paſſu obiicere ſoleant Politici? 254. Boſii ad haec reſponſiones, 255. 256
Confeſſio martyrum, num criterium diuinitatis ſacrae Scripturae? 276. 277. *priuata* apud antiquos, deſcribitur, 356. 357
Confirmatio, puerorum apud Iudaeos, deſcribitur. 525. *Confirmatio Chriſtiana*, in Eccleſia antiqua, 371. 372
Coniugium, Patrum de eo ſententia, et ſcripta, 380 ſqq. eius celebratio, 382. vſus eius, 383
Conſa, vid. *Abſconſa*.
Conſtantia martyrum, laudatur, 277
Conſtantinus Magnus, num iura circa ſacra ſibi ex manu extorqueri paſſus ſit? 383. 384
Conſtitutiones apoſtolicae, laudantur, 79
Contobabditae, vid. *Acephali*.
Contradictiones in ſacro Codice, remouere ſtuduerunt Patres, 291. 292
Conuerſio et poenitentia, doctrina haec ex Patribus illuſtrata, 353 ſqq.
Corinthiaca Eccleſia, eius errores, 223. num in baptiſmi vſu errauerit? 223. 224
Corpus Adami ante lapſum, 326
Corpus angelis tributum, 320. quid, et quale intelligendum? 321
Corpus animae poſt mortem, 330
Corpus Chriſti glorificatum, de eo Patrum ſententia, 345. nec non Hermogenis haeretici, 350
Corrigia calceamentorum, deſcribitur, 526
Crama, Graecorum et Latinorum, quid ſit? 375
Creatio, Patrum ſcripta huc ſpectantia, 311. 312. eorum de ea opiniones, 312 ſqq. haereticorum hac de re ſententiae, 315 ſqq.
Critici, in Patres et ſacram Scripturam iniurii, notantur, 284. 285
Crocia, 117. vid. *Baculus paſtoralis*.
Crux, eius in nube apparitio Conſtantino Magno, num verè contigerit? 280
Curſor baccalaureus, 114
Cuſtos angelus, ſingulis hominibus aſſignatur, 322. 323. opinionis huius origo, 323
S. *Cyprianus*, eius ſententia de baptiſmo infantum, 189. 190

D.

Daemones, num ipſis dati ſint praeſides angeli boni? 322. daemone correpti non ſunt baptizandi, 186. 187
Decani, ab abbatibus laicis conſtituti, 41
Declamatio, eius ſtudium, taxatur, 284. 285. in eo non verſatus fuit Paulus, 284. fuerunt autem Patres olim plurimi, 284
Defenſio veritatis fidei Chriſtianae per epiſcopos contra principes, 385
Defuncti, eorum abſolutio, 90. 91. preces pro iis, vid. *Mortui*, it. *Preces*.
Delubra ethnicorum, anathemata, 233
Demerſio et *Emerſio* baptizandorum triplex, 173 ſqq. quid ſignificent? 174 ſqq. 225. 226. earum origo, 175 ſqq. fiebat olim ſemel tantum in Hiſpania, 177. 178
Demetrius, Arianus, eius baptiſmus, 183
Deſcenſus Chriſti ad inferos, ex Patribus illuſtratus, 351 ſqq.
Deum videre, explicatur, 545. vid. *Viſio DEI*.
Deuteroproton Sabbatum, quodnam ſit? 529

Diaconi, a presbyteris diſtincti, 389. eorum functiones, 161. 162. non habebant olim ius baptizandi, 161. 162. 163. niſi in caſu neceſſitatis, 162. 163. non inferioris dignitatis debet eſſe abbas eligendus, 9
Diaconiſſae, 389. ipſis baptizare non licebat, 161
Διαίρεσις, quid apud Patres ſignificet? 299
Διδαχαὶ, *Διδασκαλίαι* antiquorum, traditionum libri, 286
Dies baptiſmi conferendi, 199. 200. nullus erat certus tempore apoſtolorum, 201. 202. num dies *vitae* octauus? 199. aliis dies quadrageſimus, 200. *ſolennis maxime dies* baptiſmi erat *paſcha*, 202. vid. *Paſcha.* deinde *pentecoſte*, 202. vid. *Pentecoſte.* alii ſolennes dies erant: *epiphaniorum*, *apoſtolorum*, *martyrum*, vid. ſuis locis. *Anniuerſarius* baptiſmi dies, 216
Dies: Chriſti geſta vnius diei, quam multa et quanta fuerint? 285. *Dies dominica*, vid. *Dominica*. *Dies iudicii extremi*, olim a Patribus definitus, 395
Δίγαμος, quid ſignificet? 380
Dilatio baptiſmi, a quibusdam olim vtilis habita, 200. 201. 290. Dilatio ad mortem vsque, 370. vid. *Aetas.*
Diluuium vniuerſale, antiquis baptiſmi genus, 160
S. *Dionyſius*, eius conſuetudines, 139. vſus baculi eius in proceſſione, 128
Dippelius, eius error de iuſtificatione examinatur, 363
Diti deuouere, quid? 241
Diues epulo et Lazarus, narrationis huius illuſtratio, 537. 538
Diuortium inter Iudaeos, a Chriſto damnatum, 536. vid. *Repudium.*
Doctrina fidei, eam extraordinario modo Socrates accepiſſe fertur, 295
Dodwellus, eius ſententia de martyrum confeſſionis vſu refutatur, 276. 277. de canonis noui Teſtamenti origine, 281 ſqq.
Dolores Meſſiae, quid denotent ſecundum Iudaeos? 481. 535
Dominica dies, 391. *Dominica in albis*, 391
Dominium peccati tollendum, Patrum ſcripta de hac re, 341
Dominus: quare de Filio DEI et Spiritu ſancto vocabulum hoc vſurpauerit Baſilius? 311. *Domini* titulo Imperatores olim Romani venerabantur, 385
Domus priuatae, baptiſmus in iis olim exhibitus, 196. dein prohibitus, 198. regum filiis tamen tandem conceſſus, 199
Domus purgata, mundata, ornata, quid in Nouo Teſt. denotet? 492. 493
Druidae, eorum poteſtas ſacra et politica, 241

E.

Ebionitae, eorum haereſis, 351
Eccleſiae ſynedrium, anathemate ferire poteſt, 244
Elceſaei, ab Elceſai dicti, eorum baptiſmus, 182. 183
Electi, catechumeni, 215. eorum ſcrutinia, 215
Elias, coelum clauſit per tres annos, 528. 529. eius apparitio Iudaeis religioſis, 506. 507. 510. 511
Elias venturus, num Theſbites ille? 488. 489. eius tres dies conteſtationum de Meſſia praeſente, 545. ſqq.
Ἡλικία, quid ſignificet? 280
Eliſaeus propheta, eum monachi baculo ferendo imitati, 137
Ἐνεφύσησε, quid ſignificet? 552. 553
Enthuſiaſmus philoſophicus, deſcribitur, 431. ſqq.
Ἐπεχείρησαν, quid ſignificet? 282
Epiphaniae ſ. *Epiphaniorum* dies, origo huius feſti, 392. baptiſmi celebratio hoc die fuit olim prohibita, 202. 203. 205. recepta tamen fuit apud Africanos, 205. Siculos, 205. 202. Hibernos, 207. Germanos, 207. Orientales, 209. 210. tandem etiam in Italia, 207. 208
Epiſcopalis baculus, eius vſus deſcribitur, 132. 133. 134. vid. *Baculus*, it. *Epiſcopus.*
Epiſcopi, iis ſolis competebat olim ius baptizandi, 161. 162. ad eos etiam ſpectabat quondam abbatis electio, 10. quam monaſteriis interdum conceſſerunt, 11. Epiſcoporum baculi, 117. 118. 120. 126. ſqq. a quibus baculos acceperint? 130. 131. Epiſcoporum exauctoratio et degradatio, 135

Epiſcopus abbas, vid. *Abbas epiſcopus.*
Epiſcopus oecumenicus, vid. *Oecumenicus.*
Ethica Platonis et Ariſtotelis, quid de ea Patres ſenſerint? 408
Euangelia, eorum ante Lucam conſignatio, 282. quaenam diuinitus conſignata? 282. Euangeliorum ſictitiorum multitudo, 294. Euangelii cultus olim verus et ſuperſtitioſus, 290. 291. quomodo eius recitationi auditores Chriſtiani olim adfuerint? 136
Euchariſtia, Patrum de ea opiniones, 373-375. doctrina eorum antiqua, 375. 376. ritus circa eam antiqui, 376. 377. prolixior introducta, 403. eius abuſus, 374. mortuis non danda, 185
Eucharius, primus Treuirorum epiſcopus 124. 126
Euchologium Graecorum, laudatur, 73 74. 79. 132. 141
Eunomius, haereticus, 178. eius ſententia de baptiſmo, 182. ſectae eius, *Eunomianorum*, methodus baptizandi, 182
Examinatores Romae, vid. *Abbreuiatores.*
Excommunicati, 154. 251 ſqq. vid. *Banniti.*
Excommunicatio, apud Druidas, 241 *apud Iudaeos*, 237. vel maior, Cherem, 234. 235. vel minor, quae vocatur Niddui, 235. et Schammatha, 236. harum effectus, 235. 236. a ſynagoga excluſio, 237. *apud Chriſtianos*, 237. 233. 245. 251. 252. errores circa eam, 253. ſqq. num legitima reſtitui poſſit? 254. *Papalis*, maior et minor, 243. tribuitur Pontifici praeſertim, 246. Excommunicationis exempla, 360. 361. vid. *Anathema*, *Cherem*, *Bannus epiſcopi*, *Separatio.*
Execratio, anathema, quomodo fiat? 233
Exilium, Romanorum, quid? 241

F.

Fabulae Romanenſes, odio olim habiti a Chriſtianis, 392
Ferula epiſcopalis, 118. 124. inter inſignia pontificia refertur, 125. vſus eius apud Papas deinde ceſſauit, 125 quatenus diuerſa a baculo paſtorali? 124. 125. eius fractio ſignum ablatae poteſtatis, 125. vid. *Baculus paſtoralis*, it. *Epiſcopalis baculus.*
Feſta veterum Chriſtianorum, ſcriptores de iis, 391. eorum vſus et progreſſus, 391. 392. quae fuerint, eorumque origo, 391. 392. Chriſtianorum Aegyptiorum feſta maiora, 147
Ficus, eius figura, quid denotet? 505 ſq.
Fidem inuenire in terra, quid ſignificet? 539. 540
Fides, quomodo ſe habeat in lapſu piorum? 336
Filii in genealogiis, quinam ita fuerint dicti? 446
Filius Dauid, quid denotet haec phraſis? 449. 450
Filius DEI, duriores Patrum de eius deitate locutiones ſiſtuntur et illuſtrantur, 301 ſqq.
Flagella diabolica, quid? 278
Fletus et ſtridor dentium in inferno, quid denotent? 485. 486
Floriani, eorum haereſis, 433. 434
Flumina, in ipſis olim peragebatur baptiſmus, 196. 197
Foedus gratiae, complectitur remiſſionem peccatorum, 193. 194. receptio in illud, 193. eius ſigillum, 193
Foeminae, ipſis olim non licebat baptizare, 161. colloquium cum ipſis familiare fugiendum, ſec. Iudaeos, 547. vid. *Mulieres.*
Formatus baccalaureus, 114
Francilis bannus, deſcribitur, 157
Fronto, Treuirorum epiſcopus, 124
Fulminatrix legio, de huius narrationis veritate hiſtorica diſputatur, 279
Funebres conciones, earum origo, 402
Furioſi, non ſunt baptizandi, 186. 187

G.

Gabbatha, vid. *Lithoſtrotos.*
Gabriel, angelus Iudaeis notiſſimus, 522 523
Gambuta, 117. vid. *Baculus paſtoralis.*
Gehennae ſ. *Gehinnom* vallis, eius figura illuſtratur, 537. 538. Gehennae ignis, vid. *Ignis Gehennae.*
Gelaſius II. Papa, vſus eſt baculo paſtorali, 125. cuius forma deſcribitur, 119. 125. Gelaſii decretum de baptizandi tempore, 203
Genealogia Chriſti apud Matthaeum, illuſtratur, 446. 447
Genius, bonus et malus cuiusvis hominis,

Digitized by Google

minis, 323. Socratis genius, pro ſancto angelo a Patribus habitus, 295
Gentes: cuilibet genti num angeli ſint asſignati peculiares? 322
Gentiles, eos Meſſiam venturum eſſe perditurum, crediderunt Iudaei, 487. 507-509. in piis num fuerit quaedam de Chriſto notitia? 295. gentilium quorundam ſalus, 294. de eorum theologia naturali ſententia Patrum, 295
Gentilis daemoniacus, eius effatum de Chriſto illuſtratur, 507 ſqq.
Genua flectentes, poenitentium olim gradus, 361
Gerundenſis Concilii locus mutilatus, 206
Geſtus ſcriptorum ſacrorum, notantur, 280
Gnoſtici, eorum auctor, quis fuerit? 306. eorum doctrina de myſterio S. Trinitatis, 305. ſq. aeones eorum, 305
Graeci, baptizabant olim die Epiphaniae, 209. 210. hodierni autem non definitum tempus habent, 210. eorum ſolennitates in die palmarum, 140. 141. baculi apud eos paſtoralis deſcriptio, 121. ſymbolum, 123. vſus, 129. receptio, 132. traditionis formula, 132
Gratia, eius porta eſt baptiſmus, 193. gratiae foedus, vid. *Foedus gratiae*.
Gregorius Magnus, eius baculus paſtoralis deſcribitur, 119. 125
Gregorius Nazianzenus, eius ſententia de infantum baptiſmo, 188. 200

H.

Haeretici, eorum errores ex neglectu logices et philoſophiae, recenſentur, 433 ſqq. eorum baptiſmus, num verus? 164. quinam baptizandi in Eccleſia catholica? 187
Halleluia magnum, 498
Harmoniae Euangeliorum, a Patribus conſcriptae, 292. earum commoda et incommoda, 292. 293
Hebraeus, baptizatus ſanitati miraculoſe reſtituitur, 197. 198
Hebraeus bibliorum codex, num corruptus? 286. 287 defenditur, 287 ſqq.
Henoticum, ſcriptum Zenonis imperatoris, 101
S. *Hermagoras*, S. Marci diſcipulus, eius baculus, 127
Hermiani, haeretici, 170. eorum princeps *Hermius*, quare baptiſmum aquae non acceperit? 170. 171
Hermogenes, eius haereſis, 350
Herodes Magnus, 450 ſqq. eius crudelitas et mors, 458 ſqq.
Heterodoxi, qui? 359
Hieroclis φιλαλήθεις, taxantur, 277
Hieronymus, eius in S. Paulum cenſura notatur, 283
Hieroſolymae excidium, praedixit Chriſtus, 504 ſqq. eius propinquitatem depinxit, 525 ſqq.
Homiletica Patrum, eius delineatio, 398 ſqq. regulae Patrum homileticae, 404. compendia Patrum homiletica, 404
Homiliae Patrum, de iis iudicium, 404. earum exempla, 405. vid. *Conciones*.
Homo primus, Patrum de eius ſtatu opiniones, 326 ſqq. eorum ſcripta de hac re, 328. 329. vid. *Adamus*.
Honos epiſcopis habitus, 389. 390
Hora baptiſmi, quaenam? 212. 213. *Horae Eccleſiae*, earum baiuli, 143. *Horae precum* apud antiquos, 379
Hoſanna, quid ſignificet? 498. 499
S. *Hugo*, archiepiſcopus Turonenſis, eius baculus deſcribitur, 117. 120. 127. huiusque asſeruatio et inſcriptio, 127. 128
Hyemantes, poenitentium olim genus, 361
Hymni antiquae Eccleſiae probant myſterium S. Trinitatis, 307. 308. *Extemporanei* hymni antiquorum, 278
Hyperbolae, in S. Scriptura, notatae, 285
Hypoſtaſis, vocabulum duplici ſignificatu olim ſumtum, 299. 429

I.

Ianua Eccleſiae, baptiſmus, 193
Ichthys, Ἰχθυς, *piſcis*, vocabulum, indicans Chriſtum, 192
Ἰδιώτης, quis ſit? 284. Apoſtolus ἰδιώτης τῷ λόγῳ, 284
Idola tribûs, *ſpecûs*, *fori et theatri*, deſcribuntur et illuſtrantur, 439 ſqq.
IESVS, eius baculi vis olim in Hibernia, 126. 137
Igne ardere, *Igne ſaliri*, quid denotet? 513. 514
Ignis, ſub eius forma Spiritus ſanctus olim

olim deſcendit, 309. *Ignis miſſio in terram*, quid denotet? 531 ſq.
Ignis Gehennae, quomodo a Chriſto definitus? 512 ſqq. *Ignis purgatorius* animarum poſt mortem, num *Purgatorium* Pontificiorum? 393. 394
Ignorantiae peccata, explicantur, 341
Imagines, in Eccleſia, de earum vſu et abuſu hiſtoria, 390. 391. *Imagines* celebres: *Chriſti*, recenſentur, 106. 107. vid. *Sudarium. corporis Chriſti*, in ſepulchrali eius ſindone, 108. *Marianae, non manu factae*, recenſentur, 103-106. S. *Petri* et *Saturnini*, 127. *Gregorii* Magni, 125
Imago DEI in primo homine, 326
Immerſio in baptiſmo, 371. trina, quid ſignificet? 307. vid. *Demerſio.*
Immortalitas animae humanae, quid de ea Patres ſenſerint? 329. 330
Immundi, a paſchatis celebratione excluſi, 238. vid. *Apoſynagogus.*
Imperatores, Graeci, dederunt patriarchis Conſtantinopolitanis baculum paſtoralem, 119. 131. *occidentales* epiſcopis et abbatibus, 130. 131
Impoenitentes et praefracti, ipſis poena diuina num annuncianda? 487. 488
Impoenitentia Iudaeorum, a Chriſto depicta, 491 ſq.
Inanimata, non genuinum obiectum baptiſmi, 184. 185
Inbannire, inbannare, 152. quid ſignificet? 155
Incarnatio Filii DEI, Patrum de ea opiniones, 342-346. et ſcripta, 347. 348. quomodo ab haereticis olim impugnata? 348-351. num diabolo fuerit ignota? 320
Inceſſio in ſtolis, doctorum Iudaicorum, culpatur, 517. 518
Incorruptionis baptiſma, 160
Induratio hominum, ex Patribus illuſtratur, 340. eorum ſcripta huc ſpectantia, 340
Infantes, de quorum baptiſmo dubitatur, ſunt baptizandi, 187. num omnes infantes debeant baptizari? Tertullianus hoc negauit, 187. 188. excepto mortis periculo, 188. idem ſenſit Gregorius Nazianzenus, triennium exſpectare ſuadens, 188. ſententia hac de re Patrum Graecorum, 188. 189. et Latinorum, 189-191
Infernus, num voce ᾅδης denotetur? 394. vid. ᾍδης. num ſupplicium ibi aeternum Origenes negauerit? 394
Infidelis, paganus vel Iudaeus, num baptiſmum conferre poſſit? 169
Infirmitatis ſpiritus, quid? 532
Informatio baptizandorum per claſſes catechumenorum, deſcribitur, 214. 215
Initiationis ſacramentum, baptiſmus, 195
Inſcriptio baculi paſtoralis, 119. 120. 122. *Inſcriptiones ſepulchrales antiquorum*, literis XP, cum et ſine α et ω, inſignitae, 5
Inſignia equitum antiqua, monogrammate XP ac literis α et ω ornata, 6. *Inſignia Euangeliſtarum*, Irenaei in iis diſſenſus a reliquis Patribus, 293. 294
Inſtrumentum, Filii DEI denominatio durior, 302
Interceſſio ſanctorum et angelorum, Patribus non memoratur, 379
Intermedius ſtatus animarum poſt mortem, a Patribus asſertus, 394
Introductorius baptiſmus, 160
Ioannes Baptiſta, eius vita illuſtratur, 460-465. it. 466. 467. it. 488. 489. eius *baptiſmus*, 160. 173. 216. deſcribitur, 216 ſqq. quomodo hic baptiſmus diſtinguatur a baptiſmo Chriſti? 170. 171. 216. num baptiſmo Moſis fuerit praeſtantior? 217. num Ioannis baptiſmus fuerit perfectus? 218
Ioannes Ducas, Caeſar, contumelioſe *Abbas* dictus, 8
Ioannes Euangeliſta, eius apocalypſis quomodo apocrypha? 283. num ab ipſo conſcripta? 285. maledictionis formula quare ſubiuncta? 285. 286. Cerinthi apocalypſis Ioanni ſuppoſita, 285 et aliorum, 286. poſteriores epiſtolae duae Ioanni abiudicatae, 285
Ioannes Presbyter, epiſtolas duas Noui Teſt. ſcripſiſſe putatur, 285. ipſi olim tributa apocalypſis Euangeliſtae Ioannis, 285

Ionas in iactata naui, quid depingat, ſecundum Iudaeos? 542 ſq.
Ioſephus, Mariae maritus, qualis fuerit conditionis? 448. 449. quare filius Dauid vocetur? 449
Iota non periturum, quid? 478
Irenaei ſententia de baptizandis, 188. 189. maledictionis formulam libris ſuis ſubiunxit, 285
Iudicii logici defectus in re eccleſiaſtica antiqua, de eo disquiſitio, 411 ſqq.
Iudicium extremum, de eo Patrum ſcripta, 396. eius diem Patres definire voluerunt, 395
Iulianiſtae, vid. *Acephali.*
Iuramentum, de eo Patrum opinio, 392
Iurare per Caeſares et Imperatores, 385
Ius magiſtratûs et principum *circa ſacra* controuerſum, 383. *Ius appellationum*, 386
Iuſtificatio, eius hiſtoria, 363. 364. connexio eius cum ſanctificatione, apud Patres, 365. 366. haereticorum de ea ſententiae, 366
Iuſtinianus, ius circa ſacra exercuit, 384

K.

Κάνων, modus poenitentiam inſtituendi, 362
Κοσμοκράτωρ, quid denotet? 315. 316. 320
Κράσπεδα, τά, veſtimenti Chriſti, quid fuerint? 487. 501

L.

Lac, an loco aquae in baptiſmo adhibere liceat? 171. 172. hoc Armenis quibusdam tribuitur, 172
Lacrimae, num Chriſto fuerint indignae? 289. 345
Lacrimarum baptiſmus, 160. 173. 227
Laici, in caſu neceſſitatis baptizare ipſis licebat, 162. 163. laicorum baptiſmus in dubium aliquando vocatus, 164. ex his olim erant abbates, 9. eorum a Clericis diſtinctio, 387
Latini ſermonis inſcitiâ ſacerdos peruerſe pronunciat formulam baptiſmi, 184
Latro crucifixus, num baptizatus fuerit? 370
Lauacrum compendiatum, ſalutare, eſt baptiſmus, 193. 194
Lazarus afflictus, quid denotet? 537. eius ſalus deſcribitur, 537. 538
Lectio Moſis et Prophetarum in ſabbatis apud Iudaeos, de ea relatio, 526-528. -- *ſacrae Scripturae* olim apud Chriſtianos frequens, 290. ritus antiquorum pii, publice eam praelegendi, 290. -- *Patrum*, ſcriptores ad eam ducentes, 267 ſqq. regulae circa eam obſeruandae, 269 ſqq.
Legalis baptiſmus, qualis ſit? 160
Λειτουργεῖν, miniſtrare, etiam de adminiſtratione baptiſmi intelligitur, 198. 199
Leo I. Papa, reprehendit baptiſmi celebrationem in die epiphaniae, 202
Lex DEI et Moſis, num traditioni Iudaicae cedat? 494. 495
Libellatici, quinam ſic olim dicti? 293
Libertas Chriſtiana veteris Eccleſiae illuſtrata, 390 ſqq. de eâ ſcripta, 393
Liberum arbitrium primi hominis, Patrum de eo ſententia illuſtrata, 326 ſqq. 331-333. ſcripta Patrum huc pertinentia, 332. haereticorum ſententiae, 333 ſqq.
Ligare peccata, apoſtolorum more, quid ſignificet? 278
Lithoſtrotos in templo Hieroſolymitano, 552
Liturgiae Eccleſiae Graecae et Latinae, laudantur, 375. 376
Lituus Romanorum ethnicorum, cum baculo Chriſtianorum paſtorali collatus, 121
Lixiuium, an aquae loco in baptiſmate adhiberi poſſit? 171
Loca ſacrae Scripturae contradictoria, Patrum ſtudium ea conciliandi, 291 ſqq.
Locus baptiſmi: primus fuit Iordan-fluuius, 196. aliàs vero *nullus olim fixus locus*, e. g. flumen quodlibet, fons, etc. 196. 197. domus, lectus, carcer, ſubterranea, 197. *deinde* baptiſteria, 197. 198. Extra Eccleſiam baptizari olim non licebat, 199
Logica, num eius ſtudium ex Academiis eliminandum? 411 ſqq. exempla errorum, ex logices neglectu orta, 418 ſqq.
Logos, Λόγος, Platonis, quid deſignet? 296. Patribus denotat *notitiam de Chriſto*, 295. λόγος Gnoſticorum, 305. quid ſit, declaratur, 305. 306
Lotio manuum apud Iudaeos, 494. 509. ſqq.

Digitized by Google

ſqq. fiebat ad iunctúram vsque, 509. ſqq. vid. *Ablutio.* -- *aliarum rerum* apud Iudaeos, 510. -- *mortuorum* ſepulchralis, 220
Lotiones leuiticae, genus baptiſmi, 160. 219
Lucernae ſepulchrales antiquorum, inſignitae literis XP, α et ω, 6
Lucta renatorum, illuſtratur, 341. 342
Ludi, qualis eorum olim apud Chriſtianos fuerit vſus? 392
Lugentes, poenitentium olim gradus, 361
Lumen Thaboreum Chriſti corporis, illuſtratur, 395

M.

S. *Magdalena*, vbi corpus eius asſeruetur? 146
Magi Orientis, quinam et quales fuerint? 461. 462
Magiſtratus politicus, opiniones Patrum de eo, 383 ſqq.
Maharamotha, quid ſignificet? 238
Maieſtas ſacrae Scripturae a Patribus vindicata, 284. num ficta ſit? 285
Maledictionis formula, quare a Ioanne Euangeliſta, Irenaeo, aliisque Patribus, fuerit adhibita? 285. 286
Malum, quale a DEO? 434
Mammon, quid denotet? 535
Manes, vnde *Manichaei*, quomodo vocem ὁμοούσιον adhibuerit? 300. vid. *Manichaei.*
Manichaei, eorum errores, 319. qui, ex neglectu logices orti, recenſentur, 438. 439. ipſi fuerunt contemtores baptiſmi, 171. ad catholicam Eccleſiam accedentes erant baptizandi, 187
Mannire, quid ſignificet? 154
Manus, ad iuncturam vsque lauandae, ſecundum Iudaeos, 509 ſq. *Manum praeſcindere*, quid denotet? 497
Manuſcripta propria Apoſtolorum, quomodo olim fuerint asſeruata? 293. per traditores deperdita, 293
Maran atha, *Maranatha*, illuſtratur, 238. 239
Marcion, haereticus, mulieribus ius baptizandi conceſſit, 165
Marcionitae, Marcionis asſeclae, eorum haereſis et errores, 316. 320. 351. viuos pro mortuis baptizarunt, 186. 221-223
S. *Marcus* Euangeliſta: proceſſio in eius natali cum baculo S. Dionyſii, 128. eius diſcipulus fuit S. Hermagoras, 127
Marcus, haereticus, 4. 182. et praeſtigiator, 182. eius formula baptiſmi, 182. errores eius quidam, 4. *Marcitae*, eius ſectatores, aquae baptiſmi oleum admiſcuerunt, 170
Mariae partus num fuerit dolorificus? 346. *Mariae imagines*, vid. *Imagines.*
Mariaenallenſe monaſterium, eius baculus paſtoralis deſcribitur, 120
Maronitarum epiſcopi, qualis formae baculos geſtauerint? 122
S. *Martialis*, diſcipulus S. Petri apoſtoli, 123. a morte reſuſcitatus dicitur, 124
Martyres, eorum paſſio, confeſſio, conſtantia, 276. 277. *Martyrum et Apoſtolorum natales*, ſeu feſtiuitates. vid. *Natales.*
Martyrium, antiquis genus baptiſmi, quod vocant *baptiſmum martyrii*, ſeu *ſanguinis*, 160. 161. 173. 371
Mater ſpiritualis, dicitur abbatiſſa, 48
S. *Maternus*, beati Petri apoſtoli baculo fuit a morte reſuſcitatus, 124. 126
Mel ſilueſtre, in Palaeſtina, quale fuerit? 464 ſqq. 522 ſqq.
Melchiſedeciani, haeretici, quinam fuerint? 349. 350
Melchiſedecus, quis fuerit? 350
Μελετᾷν, quid ſignificet? 284. 285
Menander, haereticus, 183
Mendacium, num quandoque licitum ſit? 339
Meſſias, eius regnum, ſecundum Iudaeos, 449. 450. 481. 482. 484. 485. 541. eius aduentus, 538. 539. eius gloria quando fuerit manifeſtanda, ſec. Iudaeos? 545-547. manſurus in aeternum, ſec. eosdem, 551. Meſſias ben-Dauid et Meſſias ben-Ioſeph, diuerſi, 543. 544
Meſſis inſtans, quid adumbret? 505 ſq.
Μετάνοια, poenitentiae nomen, 362
Miltiades, eius liber de prophetiis antiquae Eccleſiae, laudatur, 278
Miniſterium eccleſiaſticum, eius antiqua deſcriptio, 386 ſqq.
Miracula Chriſti, eorum multitudo, 285. -- *Eccleſiae Noui Teſtamenti*, it. miraculoſa dona, ſeu chariſmata, 277. deſcribuntur, 277-280. quamdiu durauerint? 278. de *ſequioris Eccleſiae* miraculis iudicia, 278. 279
Mithra numerus huius vocabuli, 75
Mitra epiſcopalis, eius vſus abbatibus quibusdam conceſſus, 44. 45. 46

Digitized by Google

Moggus (Petrus) patriarcha Alexandrinus, ab Acephalis reiectus, 101
Monachi, quare *patres* vocari ſoleant? 8. olim *abbates* etiam dicti, 8. ſub poteſtate olim epiſcopi, 10. ipſis erat conceſſa poteſtas eligendi abbatem, 10. 11. 12. 14. et confirmata, 11. eligentium monachorum conditiones, 17-20. eorum baculi, 137. 138. monachus ſimplex in caſu neceſſitatis baptizare poteſt, 163
Mongus, vid. *Moggus*.
Monophyſitae, haeretici, 102
Monotheletae, eorum haereſis, 349
Montanus et *Montaniſtae*, eorum viſiones, 278. 279
Montium eradicator, quis? 497
Moralis theologia Patrum, deſcribitur, 405 ſqq. -- *gentilium* cum chriſtianâ, conciliatio olim tentata, 408
Mors, quare olim fuerit commendata? 394. de conſtantia in morte, ſcriptores, 395
Mortui, num anathemate feriendi? 257. preces pro iis, 394. eorum baptiſmus, 185. viui pro ipſis baptizati, 185. 186. 220. 221. baptiſmus ſuper mortuis, 219. ſqq. euchariſtia ipſis tradita, 374
Moſes, eius baptiſmus, 160. 173. 217. quomodo baculo vſus, 130. vid. *Baculus Moſis*. ſcriptorum eius antiquitas, 281
Mulieres, num ius baptizandi ipſis competat? 165. ſqq. non, niſi caſu neceſſitatis, 167. ius docendi num ipſis exemplo Theclae vindicandum? vid. *Foeminae*.
Mundus: *ante mundum conditum exiſtere*, quid denotet? 302. *Mundi baptiſmus*, qualis intelligatur? 160. *Mundi*, num plures? 312. eius ſyſtema veterum Patrum, 313
Muſica, antiquae conditio, 7. notarum muſicarum origo, 7
Μῦθος, fabula, veram hiſtoriam denotat, 314

N.

Naſiraeus, talis quomodo Chriſtus? 460. potus Naſiraeis prohibiti, 522
Natales Martyrum et Apoſtolorum, ſeu feſtiuitates; baptiſmi in iis celebratio olim improbata, 202. 203. 207
Natalis dies Domini, baptiſmo conſecratus in Hiſpania, 206. in Gallia, 206. in Anglia, 207. *Natalis dies epiſcopi*, qualis? 387. *Natalis Ioannis Baptiſtae*, baptiſmo ſolenni deſignatus, 207
Naturae Chriſti: quod earum proprietates poſt vnionem maneant inconfuſae, negarunt Acephali, 101. Patrum de natura Chriſti locutiones duriores, 304
Naturalis gentilium theologia, Patrum de eâ ſententia, 294. 295
Naturaliſmus, num recte Patribus imputetur? 294. 295
Nero imperator, pro antichriſto habitus, 395. eius monumentum peractae perſecutionis Chriſtianorum in Hiſpania, 277
Neſtoriani, eorum haereſis, 344. 350
Nicanoris porta in templo Hieroſolymis, 524
Nicenum Concilium, 298. 305. maximae fuit auctoritatis, 299
Nidduí, excommunicatio minor apud Iudaeos, deſcribitur, 235. 236
Nouatiani, haeretici, 344. 350
Nox profunda, in tria interualla a Iudaeis diuiſa, 493. 494
Numina Gnoſticorum, recenſentur, 305
Nummi, monogrammate XP et literis α et ω inſigniti, 6
Nummi bracteati epiſcopales, 120. 128
Nummularii in templo, deſcribuntur, 499. 500
Nuptiae, ritus circa eas antiquorum, 382. 383. *ſecundae nuptiae* pro illicitis olim habitae, 380
Nutritores, vid. *Baiulus*.

O.

Obitus noui, eorum baiuli, 143. 144
Obſequium, quale magiſtratui olim a Chriſtianis fuerit praeſtitum? 385
Obſeruatores Halenſes, obelo notantur, 383
Oculum eruere, quid denotet? 479
Oecumenicus epiſcopus, tituli huius origo et vſus, 387
Oleum cum aqua mixtum, ad baptiſmum a quibusdam adhibitum, 170. *Oleum ſacrum*, vid. *Balſamum*.
Ὁμοούσιος, vocis huius hiſtoria, 300. 301
Oratio, Patrum circa eam opiniones, 377. 378. eorum ſcripta huc pertinentia, 378. ritus orandi antiqui recenſentur, 379. 380

Digitized by Google

Oratio dominica, illuſtratur, 480-482
Oratores praeſtantiores in Eccleſia, 403. 404
Oratoria aedes, in ea baptiſmum conferre, erat olim prohibitum. 198
Oratoria ars, *Patrum ſacra*, deſcribitur, 398 ſqq. *profanae* oratoriae introductio, 402
Ordinatio miniſtrorum olim Eccleſiae 388
Ordines olim clericorum, recenſiti, 389
Organon, denominatio Filii DEI durior, 302
Origenes, contra Clericum defenſus, 283. homiliae eius diiudicantur, 403. 404. effatum eius de baptizandis paruulis, 189. ſententia eius de creatione et paradiſi hiſtoria examinatur, 314. eius ſyſtema de angelis, 324. 325. Verſionem ſeptuagintauiralem edidit et illuſtrauit, 287. 288
Orthodoxus, tituli huius origo, 402. 359. et vſus, 359
Oſtiarius, infimus ordo clericorum, 9
Οὐσία, quid apud Patres ſignificet? 299. 429

P.

Paedobaptiſmus, 430. vid. *Infantum baptiſmus.*
Paganus, num baptiſmum conferre poſſit? 169. num paganorum liberi ſint baptizandi? 191
Palingeneſia, Clementis Romani, quid denotet? 396
Palmarum rami, eorum vſus in ſolennitatibus, 140. in die praeſertim palmarum apud Graecos, 141. vid. *Baion.* *Palmarum ſuccus*, 522. v. *Mel ſilueſtre.*
Panis quotidianus, num euchariſtiam denotet? 374
Παντοκράτωρ, quid ſignificet? 315. 316
Paradiſi hiſtoria, num fabula, ſecundum Origenem? 314
Paradiſus terreſtris, quid nunc ſit, ſecundum Patres? 314. *ſpiritualis* Patrum, vbi ſitus? 398. a *coelo* quomodo diuerſus? 394. 397
Paruuli, quinam a Chriſto indicentur? 497. eorum baptiſmus, vid. *Infantes.*
Paſcha, 391. circa eius diem controuerſia, 391. erat ſolennis baptiſmi tempus olim ſtatutum, 202-205. 209. qua die Paſchatos? 210-212. quare hoc feſto? 213. 214. mos a Papis confirmatus, 202 ſqq. poſtea tamen in Italia abrogatus, 208. eius reliquiae, 208
Pater, prima Deitatis perſona, nomina ipſi tributa, 301
Pater patrum, abbatis titulus, 29
Patres, eorum ſcripta, quomodo diſtinguenda? 269 ſqq. quomodo legenda? 267 ſqq. vid. *Lectio.* Patrum ſyſtemata theologica, 272. vid. *Syſtema.* Num Patres vim diuinam Bibliorum ſuis labefactarint opinionibus? 283. 284. eorum defenſio, 285. num Naturaliſtae fuerint? 294. 295. num Ariani? 297. 298. eorum errores logici varii recenſentur, 420 ſqq.
Patriarcha Graecorum, mos eum declarandi, 119. 131. 132. ipſi competit baculus ſeu virga paſtoralis, 119. 129. quando eo vtatur? 134. vid. *Graeci*, it. *Baculus paſtoralis.*
S. *Patricius*, Hibernorum epiſcopus, baculo IESV quondam eſt vſus, 126
Patrini, 372
Paulus, *apoſtolus*, a S. Hieronymo taxatus, 283. eius eloquentia laudatur, 284. quare a Pſeud-apoſtolis fuerit contemtus? 284. defenditur, 284
Paulus Samoſatenus, vocem ὁμοούσιος primus adhibuit, 300. eius philautia deſcribitur, 441. not. i)
Paupertas ſpiritus, quid denotet? 474. 475
Peccata ſoluere et ligare, more apoſtolico, quid fuerit? 278
Peccatilla, inter ea fuere grauia peccata olim relata, 339
Peccatum originis, Patrum de eo ſcripta, 335 ſq. de *actuali peccato* opiniones Patrum, 336 ſqq. 341. *peccata ad mortem*, tria, 354. num *peccatis grauioribus* abſolutio olim fuerit denegata? 353. *peccatum in Spiritum ſanctum*, quid de eo Patres ſenſerint? 339. 340. *Peccatorum venia*, vid. *Venia peccatorum.*
Pedum paſtorale, 116. 119. 132. patriarchale, 134. vid. *Baculus.*
Pelagii ſententia de libero arbitrio, 334. de gratia DEI, 334. de eo iudicium, 335
Peniculamenta veſtium apud Iudaeos, quid fuerint? 487. 501. 517
Pentecoſte, feſtum antiquae Eccleſiae, eius origo, 391. fuit tempus olim baptiſmi ſolennis conſtitutum, 202-205. 209. quare is hoc feſto fuerit peractus? 213. 214. quo die Pentecoſtes? 210-212.

Pepuziani mulieres ad epiſcopatum et presbyterium promouerunt, 165
Peregrinationis baculus, vid. *Bactroperatae.*
Perfectio, indicatur per α et ω, 4. *Perfectio Chriſtianiſmi* illuſtratur, 337. ſcripta Patrum hac de re, 337. 338
Περιςερὰ, atque α et ω, eundem conficiunt numerum, ſecundum haereticos, 4. 5
Perſecutiones Chriſtianorum, taxantur, 276. 277
Perſona in S. Trinitate, quid denotet? 429. 430. controuerſiae de Perſonis S. Trinitatis, earumque denominationibus, 298. 299
Peterſen, erroris logici conuincitur, 418
S. *Petrus*, baculum ſuum miſit primo Treuirorum epiſcopo, 124. 126. vbi aſſeruetur, 126. 127. eius vſus, 127. 134. Petri imago, 127. eius nomen et confeſſio de Chriſto, 495. 496
Phariſaei, eorum nominis origo, 465. religioſitas affectata, 465. 466. eorum preces in templo, quales? 540
Philautia, deſcribitur, 440. qualis fuerit in Paulo Samoſateno, 441. not. i)
Philoſophia, eius in Papiſmo abuſus magnus, 412. quod exemplis illuſtratur, 413. eius et theologiae magnum diſcrimen indicatur, 414
Phoenix, auis, ex eius naturâ reſurrectio olim probata, 396. eius in Iobo, ſecundum Rabbinos, mentio, 396
Φωτισθέντες, quinam? 309
Phylacteria Iudaeorum, illuſtrantur, 500 ſq.
Phyſis, *Φύσις*, quid apud Patres ſignificet? 299. 342
Pinguedinis vſus, loco carnis, feriâ ſextâ, 96
Plato, doctrinae eius cum Chriſtiana conſenſus, 295. eius philoſophiae addicti quondam Patres fuere, 296. qui Platonicis vſi ſunt vocabulis, 296. Platonis ſalus aeterna, 294
Pluuia, in terra ſancta, quotannis vere et auctumno, 528 ſq.
Πνεῦμα, πνευματικὸς, quid in Nouo Teſtamento ſignificent? 277. 278
Poculum Chriſti, quid? 497. 498. *Poculum horroris vel amarum*, 506
Poenitentes, eorum gradus recenſentur, 361. eorum baculi, 138. potus eorum, 149. abſolutio eorum, 89. 91. ſqq. baptiſmus a poenitente collatus, 164
Poenitentia, in antiqua Eccleſia, deſcribitur, 353 ſqq. ſcriptores hac de re, 355. 356. *Poenitentiae gradus* varii, 262. *Poenitentia publica* antiquorum, 358 ſqq. haereticorum, 358-360. aliorum poenitentium, 360 ſqq. *Poenitentia apud haereticos*, deſcribitur, 362
Poenitentiarius, apud antiquos, quis? 537
Pontifex, Romanus, baltheo praecingitur conſecrandus, 149. cur baculum aliquando non geſſerit? 123. 124. quinam Pontifices baculo paſtorali vſi ſint? 125. huius vſus ceſſatio, 125. quale imperium Pontifices affectauerint? 386. eorum aduerſarii aliqui, 386. 387
Pontificale Clementis VIII. Papae, citatur, 22
Pontificiorum errores logici, eorum exempla, 418. 419
Porcus, quid apud Iudaeos denotet? 483. 484
Portae mortis et inferorum, quid denotent, 496. -- *paradiſi*, duae, ſecundum Iudaeos, 537
Praedeſtinati, *Praedeſtinatiani*, num fuerint haeretici? 369. eorum haereſis, 368
Praedeſtinatio, Patrum de ea ſententiae, 366. 367. 369. haeretici quid ſenſerint? 368. 369
Praelati, eorum baculi, 117. quando et quomodo eos geſtant, 132 ſqq.
Preces, *gentilium*, 479. — *octodecim*, Iudaeorum ſynedrio praeſcriptae, 479. *Precum formulae* a Chriſto determinatae, 479 ſqq. *Preces Chriſtianorum* antiquorum, 378. eorum ritus precandi, 379. Preces in concionibus, 399. pro demortuis ſuſceptae, 394
Presbyteri, habebant olim, poſt epiſcopos, ius baptizandi, 161. 162
Primatus Papae, eius origo, 386. 387
Primogeniti, eorum DEO conſecratio, 523 ſq. redemptio eorum, 524
Principes vel *reges*, ipſos extra Eccleſiam baptizari olim non licebat, 199. poſtea vero eorum filios domi baptizare conceſſum eſt, 199
Principia duo aeterna, quinam ea ſtatuerint? 315. 316
Prior monaſterii, vid. *Abbas ſecundarius.*

Prophetae,

Digitized by Google

Prophetae, eorum neces non extra Hieroſolymam contigerunt, 533. *librorum propheticorum* lectio in Iudaeorum ſcholis, 526 ſqq.
Prophetiae donum, deſcribitur, 278. 279
Πρόσωπα tria Graecorum in deitate, 429
Protoſyncelli Graecorum, a quo et quomodo pedum paſtorale accipiant? 132
Prouidentia, Patrum ſcripta huc pertinentia, 317. 318. de ea opiniones Patrum, 318. 319. nec non haereticorum, 319
Pſeudapoſtoli, in S. Paulum iniurii, 284
Pueri fideles, eorum baptiſmus aliis pueris collatus, 167. *Pueri Iudaeorum*, in Eccleſiam introducendi, 524. 525
Purgatorii ignis, num a Patribus fuerit creditus? 393. 394

Q.

Quedlinburgenſis abbatiſſae primae baculus, 128. adhuc aſſeruatus deſcribitur, 118. eius longitudo, 120

R.

Ratio humana, eius vſus et abuſus in theologia, 414. 415. nec brutis ratio a Patribus denegata, 330
Rebaptizandi, quinam, ex antiquorum ſententia? 164
Reditus epiſcoporum, aliorumque clericorum, 389
Reformati, aegre ferunt Lutheranas errorum condemnationes, 254. eorum per politicos defenſio, 254. Boſii ad eam reſponſio, 255. 256
Regeneratio, effectus baptiſmi, 191. 192. regenerationis baptiſma, 160
Reges, eorum ius circa baptiſmum, 199
Regnum coeleſte, eius comparatio in baptiſmo, 195. 196
S. *Remigius*, eius baculus epiſcopalis, Rhemis aſſeruatus, deſcribitur, 118
Renouatio noſtri, bonum baptiſmi, 194
Repudii libellus apud Iudaeos, 563. eius exemplum, 536
Reſtauratio mundi, ſecundum Patres, 396
Reſurrectio, quomodo a Patribus aſſerta, 396. 397. ab haereticis et hoſtibus impugnata, 397. ſcriptis defenſa, 396
Rhetorice humana, quibus vocibus indicetur in Nouo Teſtamento? 284. 285
Richardus, epiſcopus Londinenſis, eius baculus deſcribitur, 117
Ritus multi a Iudaeis et gentilibus olim in Eccleſiam recepti, 393
Romae vrbis imperium, quale fuerit? 386
Ruffinus, ſcriptor eccleſiaſticus, eius credulitas notatur, 168. 169

S.

Sabbatum Chriſtianum, 210. 211. cur hoc die olim plurimae tinctiones peractae ſint? 213. 214
Sabbatum Iudaicum, eius violatio, qualis fuerit? 549. 550. *Sabbatum deuteroproton*, quodnam ſit? 529. *Sabbatorum prima*, quaenam? 519
Sacerdos ſummus apud Iudaeos, eius poteſtas et conſtitutio, 525. 526
Sacerdotes in Eccleſia Chriſtiana, quomodo baculis olim vſi fuerint? 139
Sacriſta, quis? 34
Sadducaei, eorum origo et nomen, 466
Sagan, coadiutor ſummi ſacerdotis apud Iudaeos, 526
Sal, ſeu bitumen ſodomiticum, eius vſus et ſanctificatio, 476. ſq. 514
Saltationes, ex paganiſmo reliquiae, 145. prohibentur, 145. vid. *Balare*, *Baiatio*, *Ballimathia*.
Salus aeterna, effectus et bonum baptiſmi, 195. - - quorundam gentilium, num a Patribus credita? 294. 295
Salutationes Doctorum Iudaicorum publicae, illuſtrantur, 517. 518
Samaritani, adulti, per biennium in fide olim inſtituendi, 191. infantes eorum baptizandi, 191
Sanatio, die ſabbati num licita? 529. ſqq. 533 ſqq.
Sanctificatio, bonum baptiſmi, 195. apud Patres coniuncta cum iuſtificatione, 365
Sandius, Arianus, obelo notatur, 296. 307
Sanguinis baptiſmus, 160. 161. 173. 226. 227. 371
Sanguis iuſtus, quid denotet? 501. 502. *Sanguis Abelis*, in terra Iudaeorum effuſus, 502. *Sanguis veniens ſuper alterum*, quid ſignificet? 501. 502
Sapientia Matth. 11, 19. quid denotet? 489. *Sapientia ſermonis*, 1 Cor. 1, 17. qualis? 284
Sapientiae filii, quinam? 489
Saraceni, eorum formula anathematis, 253. ad Chriſtum conuerſorum formula huiuſmodi, 252. 253
Satanae lapſus e coelo, quid denotet? 530. *Satanae tradere*, quid ſignificet? 240

Digitized by Google

Satiſfactio, quid apud Patres ſignificet? 360
S. Saturninus, eius imago, 127. eius baculus, 127
Scandalum, quid denotet? 497
Schammatha, excommunicatio minor quaedam apud Iudaeos, 236. 237
Schiſmata inter Iudaeos, eorum origo, 466
Sconſa, vid. *Abſconſa*.
Scribarum Iudaicorum faſtus deſcribitur, 517 ſq.
Scriptores profani, aetate iuniores quam ſacra Scriptura, 281. quam expilauerunt, 281. eorum conſenſus cum ſacra Scriptura, 281
Scriptura ſacra, eius diuinitas, 275. criteria eius externa, 276-281. et interna, 281-286. pars eius antiquiſſima, 281
Scrutinium: varia ſcrutinia olim apud *electos*, catechumenos, 215
Sectarum origo, num ex philoſophia? 416
Seleuciani, baptiſmum aquae reiiciebant, 170. quare id fecerint? 170. 171. *Seleucus* eorum auctor, 170
Sententiarius baccalarius, 114
Separatio, quaenam indicetur voce *anathematis*? 233. 232. - - *ab Eccleſia et ſacris*, cui competat? 244. eius exempla, 245. vid. *Anathema*, it. *Excommunicatio*.
Septuaginta interpretum verſio, num codici Hebraeo praeferenda? 286. 287. de ea iudicium, 287. 288
Sepulcra ſanctorum, ſuper iis baptiſmus olim conferebatur, 219
Sequentia, quid ſit? 112. vid. *Acoluthia*.
Seruus DEI, denotat Chriſtum, 302. *Seruus Patris atque Chriſti*, denotat Spiritum ſanctum, 310
Seueritae, vid. *Acephali*.
Signum Chriſti, inde deducta baculi paſtoralis forma, 121
Signum Filii hominis, quid denotet? 503. 504. quale ſit futurum, ſecundum Patres? 395
Signum de coelo poſtulatum a Iudaeis, 511. 512
Silentii myſterium, quid? 346
R. Simeon ben Iochai, narratio Rabbinorum de ipſo, 510. 511
Simon Magus, Gnoſticorum auctor, 306
Simoniae vitium, 388. 387
Sinus Abrahae, quid denotet? 537. 538
Siricius Papa, eius reſponſum de tempore dandi baptiſmum, 202
Socrates, varia de eo memorabilia, 294. 295. eius genius, vid. *Genius*.
Sol et Luna, eius obſcuratio, quid denotet? 503
Soluere peccata, apoſtolorum more, quid? 278
Somba, vicus, baptiſterio quondam celebris, 209
Σοφία, denotat rhetoricen humanam, 284
Sortes, ſacri codicis in iis abuſus, 291
Sortilegium ſacerdotum Iudaicorum ad partes muneris, deſcribitur, 520 ſqq.
Σφραγὶς, ſigillum, quid apud Patres ſignificet? 371
Spiritus ſanctus, interdum olim denotauit naturam Chriſti diuinam, 304
Spiritus ſanctus, de eius diuinitate duriores Patrum locutiones, illuſtrantur, 309 ſqq. de eius proceſſione ex Filio controuerſia, 308. 309
Spiritus, *immundus*, eius oberratio, 491. 492. Spiritus ſingulis rebus tributi a Iudaeis, 488. 532. *Spiritus ſtercoreus*, vid. *Stercoreus ſpiritus*.
Sputum, eius vſus, 550
Statuae antiquae, literis XP notatae, 6
Stella a Magis viſa, quid fuerit? 452. 453
Stercorei ſpiritus, quinam? 488
Stercus, quid apud Iudaeos denotet? 488
Sublimitas ſtili in ſacra Scriptura, 280
Submerſio in mare profundum, quid denotet? 497
Subterranea loca, ibi baptiſmus olim exhibitus, 197
Suburbicariae regiones, quales olim fuerint? 386
Sudarium Veronicae, ſeu vultus Chriſti, linteo impreſſus, 107. 108
Sudor Chriſti ſanguineus, quid fuerit? 542. de eo Patrum ſententiae, 344
Suffitus, eius inter Iudaeos muneris dignitas et conſecutio, 519 ſqq.
Suggeſtiones angelorum, 295. 323. - - Satanae, in ſcriptis expoſitae, 325
Suggeſtus, in ſynagoga Iudaica, 528
Superſtitio antiquorum in cultu ſacrae Scripturae, et inprimis Euangeliorum, 291

Digitized by Google

Suſpenſio ſacri codicis, in collo ſuperſtitioſa, 291
Symbola mnemonica Iudaeorum, 515 ſqq.
Synagoga, ab ea excluſio, ſeu ab Eccleſia abſciſſio, 237
Syſtema, vox Patribus vſu ignota, 272. ſyſtematum theologiae vſus et progreſſus, 273. Patrum ſyſtemata, 273. 274. ſyſtematum antiquorum tituli, 274

T.

Tatianus, eius harmonia euangelica, 289. 290
Τέκτων, quid ſignificet? 448. vid. *Artifex.*
Templa Chriſtianorum, monogrammate XP olim ornata, 5
Templum Hieroſolymitanum, eius deſcriptiones, 499. 520. 522. *atrium* ibi *gentilium*, deſcribitur, 499. 500
Tempus baptizandi, 199. reſpectu vel aetatis humanae, 199-201. vel temporis anni, 206-214. vid. *Aetas.* it. *Anni tempus.* it. *Baptiſmus.*
Tenebrae, earum angelus, 323. *in exteriores tenebras coniici*, quid ſignificet? 485
Tentationis Chriſti hiſtoria, illuſtratur, 470-474
Tertulliani de baptiſmo infantum ſententia, 187. 188
Teſſerae antiquae orthodoxorum et haereticorum, 358 ſq.
Teſtimoniorum Eliae de Meſſia dies tres, 545 ſqq.
Thaboreum lumen in corpore Chriſti, 398
Thebana legio, eius erga Imperatorem gentilem ſingularis obſeruantia, 385
S. *Thecla*, eius exemplo olim defenſa fuit licentia mulierum docendi et tingendi, 165
Theologia, quomodo a philoſophia ſit diſtinguenda? 414. -- *Patrum*, ſeu *patriſtica*, eius conſpectus, 265 ſqq. prolegomena, 267-275. *dogmatica*, 275--398. *homiletica* ſeu oratoria, 398 ſqq. *moralis* et aſcetica, 405 ſqq.
Theopaſchitae, eorum haereſis, 350
Theophaniae, vid. *Epiphaniae.*
Theopneuſtia, Patrum de ea notantur durae locutiones, 283. 284
Theſſali, diebus duntaxat paſchatis olim baptizabant, 210
Tituli venerandi ſacrae Scripturae, 290. 291
Tolandus, impugnauit canonem Noui Teſtamenti, 282
Traditiones Iudaicae, legi diuinae praelatae, 494. 495
Traditiones in Eccleſia Chriſtiana, earum origo et progreſſus, 286
Traditores codicum ſacrorum, quinam fuerint? 293
Treuiri, primi eorum epiſcopi, 124. num in ſola hac dioeceſi Pontifex maximus baculum gerat? 125
Tritheitae, quinam fuiſſe perhibeantur? 298
Trinitas, ſancta, huius myſterii hiſtoria, 296-299. ritus eam probantes, 307. ſqq. falſa de ea probatio, 426. haereticorum error in eius cognitione, 434 435. Gnoſticorum in hac doctrina errores, vid. *Gnoſtici.*
Tuba magna angelorum Chriſti, quid? 504. 505
Tumuli antiquorum Chriſtianorum, monogrammate nominis Chriſti olim inſigniti, 5
Tunica Chriſti non diuiſa, quaenam fuerit? 552

V.

Vactroperiti, vid. *Bactroperatae.*
Valentiniani, haeretici, 7
Vallare, vid. *Balare.*
Vallematia, vid. *Ballimathia.*
Variae lectiones in bibliis, num argumentum corruptionis inde ſumi poſſit? 288. earum indoles, origo, cauſae, 289
Vedaſtus, epiſcopus Atrebatenſis, eius baculus, 127
Venia peccatorum, olim in vna Eccleſia facilior fuit quam in altera, 353. de ea diſquiritur, 353. 354
Veſtes ſacerdotales, antiquorum Chriſtianorum, 388. 392
Vicarium baptiſma, 186
Vicecomes, (Ioſephus) refutatur, 210. 211. 212
Vigiliae, noctis partes apud Iudaeos, 493. 494. *Vigiliae* in feſtis antiquae Eccleſiae Chriſtianae, 391
Vincula diabolica, 278
Vinum, an eo baptizare liceat? 171 172. Armenis quibusdam hoc tribuitur,

Digitized by Google

buitur, 172. *Vinum nouum*, in regno Chriſti, 481. 506. Meſſiae ex cella Adami, ſec. Iudaeos, 506. *Vinum et ſicera*, Naſiraeis prohibita, 522
Virga aurea, Caroli Magni, 118
Virga paſtoralis, 117. *aurea*, 119. Bartholomaei, archimandritae Meſſanenſis, 121
Virgines, αὐτοχειρία quando ipſis olim commendata? 380
Virtus Spiritus ſancti, Mariam obumbrantis, qualis? 346
Vis diuina ſacrae Scripturae, 283. num a Patribus labefactata? 283. eorum defenſio, 283. 284
Viſio DEI, qualis? 428. *intellectualis*, Patrum, 397. 398. *beatifica DEI viſio oculis corporeis*, 398
Viſiones, earum donum, 278. taxantur, 278. 279. viſiones falſae et dubiae, 279
Vita aeterna, eius fruitio, ſecundum Patres qualis? 397. 398. acquiritur baptiſmo, 195
Viui, eorum pro mortuis baptiſmus, 185. 186
Vmbella, *Vmbraculum*, 146. vid. *Baldakinus*.
Vnctio, *Vnctus*, de Chriſto vocabula vſurpata, quid indicent apud Patres? 303
Vnitas DEI, idololatriae oppoſita a Iudaeis, 516. 517
Vnum, Marthae a Chriſto ſuaſum, quid? 531
Vrinâ baptizare, reprobatur, 171
Vxorum communio, num eam Socrates ſtatuerit? 295

Y.

Ὑπόστασις, quid ſignificet? 429. vid. *Hypoſtaſis*, it. *Perſona*.

Z.

Zacharias, Barachiae filius, in templo occiſus, 502. 503. eius hiſtoria, ibid.
Zacharias, Baptiſtae pater, quomodo forte fuerit lectus? 519
Zadok, Sadducaeorum auctor, 466
Zeno, Imperator, ſcripſit Henoticum, 101
Ζωή, *vita*, Aeon ſecundum Gnoſticos, 305. eſt Chriſtus, 305
Zona epiſcoporum, vid. *Baltheus*.

SOLI DEO GLORIA!

CORRIGENDA.

P. 108. lin. 3. *ſindoni*. p. 144. lin. 7. *linguarum*, et lin. 13. *Aragoniae*. p. 160. l. 24. *baptizatos*. p. 195. lin. penult. *Parmenianum*. p. 232. l. 18. *Paulo dyſnoito*. p. 314. l. 12. *Nourrium*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google